042

THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY

OF

DUKE UNIVERSITY

Universitas · Dukiana · Eruditio · et · Religio

Rare Books

# CONCILI-ationes locorum ſcripturæ, qui ſpe-CIE TENVS INTER ſe pugnare uidentur: Cen-turiæ duæ.

## Andrea Altha-MERO AVTHORE.

*Præter inſperſas hincinde additiones, acceſſerunt huic æditioni triginta locorum bini ſeu paria: & negotium Sacramentorum ſub finem pie ac diligenter tractatum.*

*Additus eſt inſuper Index ſanè quàm copio-ſus, eorum quæ hic tractantur.*

*Noribergæ M. D. LXI.*

KNK
A647CO

# REVERENDO ET HVMANISSIMO PATRI AC DOMINO, D. *Baltaſari, Abbati in Haidenheym, Mecœnati ſuo optimo, Andreas Althamer.*

GRATIAM ET *pacem per Chriſtum Ieſum Saluatorem noſtrum. Cum denuo hunc libellum reuiſum, caſtigatum, auctioremq́; æditurus eſſem, Reuerende & ornatiſſime Præſul, commodum mihi tua reuerenda Paternitas in mentem uenit, cui hanc poſtremam Conciliationum æditionem inſcriberem: ut tua reuerenda Paternitas agnoſceret me beneficiorum minime oblitum aut immemorem eſſe: quando ob fortunæ tenuitatem alias tuis erga me beneficijs reſpondere non potuerim, &*

*pene perpetuus eruditorum mos extite-
rit, ſuos patronos chartaceo honorare
munuſculo: nec ipſe inepte me facturum
exiſtimaui, ſi te Chriſtianum Præſu-
lem, Chriſtiano, attamen chartaceo, mu
nere, libello ſcilicet de rebus ſacris, de
ſcripturarum collatione honorarem,
Ideoq; tuæ reuerendæ Paternitati hunc
meum libellum offero & dedico: & fe-
cerit mihi tua paternitas rem admodum
iucundam, ſi hunc librum eius nomini de-
dicatum, hilari fronte & beneuolo ani-
mo acceptauerit. Continet autẽ is Con-
ciliationem duarum centuriarum bino-
rum ſeu parium locorum, quos uulgus
Theologorum, pugnantes appellare con
ſueuit* ἰανδιῶς. *Qui error ex ſcripturæ
ignorãtia, aut falſo intellectu natus eſt.
Nam ut uaria & multiplicia ſunt homi-
num capita, ita uaria ſunt quoq; earun-
dem iudicia, Siue ut Satyricus cecinit
Poeta: Mille hominum ſpecies, & re-
rum*

**Loci pugnantes improprie dicuntur.**

**Quot homines, tot ſententiæ.**

rum diſcolor uſus. Velle ſuum cuiq; eſt, nec uoto uiuitur uno. Leguntur ſacræ literæ paſſim, & à multis, ſed uario iudicio, ſenſu & intellectu. Quiſq; ſuum adfert ſenſum & iudicium. Quidam tantum legunt, ut uetera, humanas intelligo traditiones, ſcripturarum fulcris ſtabiliant: Vt quærant operculum, ſi Dijs placet, pro ſuis conſuetudinibus, nugis, opinionibus, longo uſu, operum meritis, ſatisfactionibus, Sanctorum cultu, cæreolis, imaginibus, miſſis, purgatorio, cœnobijs, & id genus Siculis gerris. Alij ut ſuas cogitationes contra Chriſti uerbum, de Verbi miniſterio, Baptiſmo, Clauium poteſtate, cœna Dominica, rebusq; alijs conprobent. Multi ut mendacia ſua inde fulciant. Plures ut διαφωνίας colligant, & iſthac ratione ſcripturarum lectionem odioſam, contemptibilem & Chriſtianis ſuſpectã faciant: Quaſi quæ nuſquam cohæreat, ubiq; diſſentiat

Scriptura uarios habet lectores.

& ſecum pugnet. Pauci admodum ſunt, qui uerum ſcopum attingant, Scripturas inueſtigandi Christi, ueræ pietatis ac religionis ſtudio perlegant: quæ ex fonte Catholicæ ſcripturæ hauriuntur. Quotus quæſo eſt, qui eo animo legat ſacras literas, ut eruditus ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Christo Ieſu euadat? Legunt ſacras literas, ac ſi poema aliquod Virgilianum, aut eneruem hiſtoriam legant: unde fit, ut tam plures emergant hæretici, quot ſunt inſulſi Bibliorum lectores. Quot uidi & audiui, qui diſcordiam in ſcripturis accuſarunt? quaſi ſpiritus ſanctus ſcripturarum magiſter, & qui eſt ſpiritus ueritatis, ſibi ipſi contraria protulerit, & quæ pium lectorem inuoluant, dubium & incertum reddant, cui ſententiæ credere, cui minus debeat. Nam ſi eſt ulla ſcripturarũ diſcrepantia, quomodo lector quod certum ac firmum eſt aſſequetur? Quis diſcernet

Scripturæ uſus quis.

ſcernet uerum à dubio, certum ab incer-
to, bonū à malo, lucem à tenebris? Abſit
ut Chriſtiana mens tale quippiam de
ſcripturis uel ſuſpicetur. Non enim pu-
gnat ſacro ſancta ſcriptura, nec diſsi-
dentes habet ſententias: Sed ſecum opti-
me rectiſsimeq; conuenit, modo fidelis,
perſpicax & intelligens adſit lector.
Eſto quædam in uerbis appareat διαφω-
νία, tamen ea in ſenſu non eſt: niſi quòd
Lex & Euangelium inter ſe digladiari
uidentur. Lex namq; peccatum oſten-
dens, iram operatur, maledictioni nos
ſubijcit: Euangelium è contra, peccatum
condonans, pacem in conſcientia efficit,
benedictionē & ſalutem offert, eſt enim
miniſterium ſpiritus. Si hæc duo inter ſe
compoſuerimus, & quomodo certent
explicauerimus, facile deinceps omnes
pugnantes locos componemus. Le-
gem utiq; tradidit Deus, ut ueterem
hominem peccato obnoxium, excitaret

**Lex & Euangelium quomodo pugnent.**

**Lex quare tradita.**

exerceretq́; per uaſtam & ſterilem ſo-
litudinem quadraginta annis, hoc eſt, om
nibus diebus uitæ circumduceret, donec
excuſſo ueterno languidum, inopem, nu-
dum, deſtitutumq́; relinqueret, ita ſuis iu-
ſticijs, operibus, merito & confidentia
penitus exueret, in ſua conſcientia con-
funderet, ut ſe in ſolum Deum patrem
conijciat, & à diuino deinceps pendeat
auxilio, ad Euangelium aſpiret, iuſti-
ciamq́; Dei ſitiat. Fractum lege, nudum,
deſperatum, famelicum & ſitientem
Chriſtus ſuſcipit, conſolatur, ſatiat &
ſanat Euangelio. Vt ſciamus in hoc
Deum mortificare lege, ut Euangelio
rurſus uiuificet. Concluſit omnes ſub in-
credulitatem, inquit Apoſtolus, ut om-
nium miſereretur. Lege damnat ut E-
uangelio abſoluat. Hæc ipſa eſt collu-
ctatio in ſcriptura, Lex & Euange-
lium uerbis diſcrepare uidentur, at non
ſententia. Alia eſt enim legis ſententia
quàm

Legis & Euangelij officium.

*quàm uulgo putatur. Lex omnes reos execrationiq́; obnoxios declarat: at Euangelium condonationem delictorũ pronunciat. Si hæc duo probe diſcreueris, et utriuſq; officium, mentem uſumq́; probe tenueris, ſine difficultate omnem tolles diſcordiam: Lex ad ueterem hominem exercendum, cohibendum, humiliandumq́; lata eſt: Euangelium uerò ad nouum & internum hominem conſolandum ſeruandumq́;. Lex peccatum reuelat, Euangelium delictum delet tegitq́;. Lex terret, Euangelium conſolatur. Lex iram operatur, Euangelium exhilarat. Lex nihil ad perfectum adducit, Euangelium iuſticiam & uitam æternam ſpondet ac annunciat. Lex per deſertum circumducit, & in uaſta ſolitudine, irrequieta conſcientia relinquit: Euangelium ad conſcientiæ pacem, ac promiſſam patriã & beatam requiem perducit. Lex concidit, Euangelum erigit. Lex uulne-*

*rat, Euangelium medetur. Lex accu-
ſat, Euangelium liberat. Lex ligat,
Euangelium ſoluit. Lex occidit, eſt enim
miniſterium mortis: Euangelium uiuifi-
cat, quia ſpiritus adminiſtratio eſt. Lex
damnat, Euangelium ſaluat. Lex quam-
uis gratiæ repugnet, & diſsidentia cum
Euangelio dicere uideatur, tamẽ ad E-
uangelium remittit urgetq́; hominem, &
ad Chriſtum ſeruatorem, et cœnam ma-
gnam (Luc. 14.) feſtinare compellit. In
quo Chriſto eſt ſalus & iuſtitia, uitaq́;
æterna. Iraſcitur Deus, et alienum fa-
cit opus, ut ſuum operetur. Ieſaiæ 28. In
ſumma, finis legis Chriſtus, Rom. 10. &
Lex pædagogus ad Chriſtum. Galat. 3.
Moſe educit populum Iſraeliticum ex
Aegypto, ut in terram promiſsionis per
duceret: Quod cum morte præuentus,
perficere nequiret, prius Ioſua princi-
pem ſucceſſorem, cœptiq́; itineris perfe
ctorem conſtituit. Et ubi lex ſuo defun-
cta eſt*

Lex urget hominẽ ad Chriſtum.

ɛ̃ta eſt munere, Euangelium ſuccedit, hominemq́; in ſuum ducatum patrociniumq́; recipit. Quod Moſe per legem incipit, Chriſtus per Euangeliũ perficit. Hæc eſt reuera ſalubris conflictatio ſcripturæ legis & Euangelij, quæ non ſine noſtro maximo fructu committitur. Per eam enim nos ipſos agnoſcimus quàm ſimus miſeri, ærumnoſi, egentes, à ſanctimonia iuſticiaq́; alieni, & longinqui à regno Dei, filij iræ, peccati & mortis, quomodo per gratiam & benignitatem Dei patris ab his ærumnis eripiamur, iuſtificemur & ſaluemur: Quomodo læſi & interfecti ab antiquo ſerpente, rurſus ſanemur & uiuificemur per Chriſtum. O longe beatiſsimam luctam, quæ tot adfert emolumenta. Aliâs non uideo, quomodo pugnet ſcriptura, imò potius ipſi ſcripturarum Critici & male ſani lectores, ſecũ pugnant. Nec ſunt firmi, cõſtantes, probe in uerbo Domini inſtructi,

Quare ſcriptura diſsidere appareat.

ſtructi, uerum ſcripturæ oſores, tumidi, ſuperſtitioſi, & nimium plus ſibiipſis tribuentes: Nec Deo gloriam, neq; ſuam cogitationem captiuam ad obediendum Chriſto tribuentes, ſicut Paulus exigit: Talibus uidetur alibi diſſentire ſcriptura: quales ſunt, taliter pronunciant de ſacris literis. Veluti ſi quis diuerſi coloris conſpicilia apponat oculis, mox uiſus obiecta diuerſitatem colorum imitantur: Si adfigas uitrum rubei coloris, rubeum apparet quicquid aſpexeris, ſi uero nigrum apponas, tetra ſunt quæcunq; aſpicis. Vitri ergo non obiectum uiſus, culpa eſt, quod mutatur color pro conſpiciliorum uarietate & colore. Sic quali ſpiritu, iudicio et ſenſu ſacras perlegeris literas, tales tibi uidentur. Si purum uitrum, pium & conſentientem adferas animum, rectumq; iudicium, non poterunt illæ non conſentientes eſſe: At ſi inconſtantem ac peruerſam habeas

mentem,

mentem, & carnale iudicium, quomodo poterit tibi conuenire ſcriptura? Verum enim eſt illud regij prophetæ: Cum ſancto ſanctus es (Deus) cum uiro integro integer es. Cum puro purus, & cum peruerſo peruerti ſoles. Similiter illud Apoſtoli: omnia pura puris: Porrò pollutis et infidelibus nihil eſt purum, ſed polluta eſt illorum & mens & conſcientia. Tua igitur culpa eſt, ſi uidetur quædam pugnantia ineſſe ſacris literis: niſi enim non pugnares tecum, nec Scriptura tecũ pugnaret, tu culpandus eris, non Scriptura. Glaucoma oculis oborturn abſtrahe, & obſcuratum uitrum aufer; ſimiliter, incredulam & peruerſam mentem, et ſpiritum ſanctum indue, diſparebitq; omnis pugna, erunt omnia perſpicua, clara & concordia. Humana ratio cæca eſt, nec poteſt in ſcripturis myſterium & concordiam ſpiritus cernere, ſi perſpicaces ac ſpirituales

oculos

*oculos adhiberes, longe aliter ſentires. Animalis homo nō accipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtulticia ſiquidem illi ſunt, nec poteſt cognoſcere, quod ſpiritualiter dijudicantur. At ſpiritualis dijudicat quidē omnia, ipſe uero à nemine dijudicatur. Primum igitur Papiſtæ, qui ſcripturæ diſcordiam finxerunt, excæcatos habentes ſenſus, oculos lolio uiciatos, aut uitro diuerſo obductos, ueteri fermento hærentes, non poſſunt concordiam ſpiritus conſpicere: Sicut filij Iſrael in Moſis faciem intendere nequiuerunt. 2. Corinthio. 3. Deinde ij, qui ab ſimplici ueritate & orthodoxa Eccleſia receſſerunt, nouo dogmati & errori iurati, quales noſtro æuo ſunt Anabaptiſtarum & Suermerorum phalanges, qui pernegant diſtributionem corporis ac ſanguinis Ieſu Chriſti in cœna Dominica, contra manifeſtum uerbum Dei: & reliqui hæretici Dei iudicio & ſua*

Quibus uideatur ſcriptura pugnare.

*ſua malicia excæcati, non claris cernunt luminibus, ſed per nebulam aut uitrum: Nec uident conſentientes ſacras literas, imò puluerem oculis offundunt, quod ſibijpſis minime conſentiant, neq; ſit pax in mentibus eorum: non mirum hos Scripturam culpare, quibus nihil recti in cœlo terraq; geritur, niſi ſordes ipſorum oleat, aut ipſi ſinxerint: Cætera uniuerſa lancinant damnantq;. Diſperεam, ſi unquam Scripturæ concordiam cernent, niſi Dominus eorum miſertus reduxerit ad ſaniorem mentem, ad Eccleſiæ unitatem, & pacem dederit in mentibus eorum, glaucoma ab oculis amouerit, & clare cernere dederit. Hoc ut breui fiat precor Deum Optim. Maxi. Amen. Et uelut apes ex floribus mella, araneæ uero ex ijſdem uenena ſugunt: Ita impij ex ſaluberrimo ſcripturarum campo, non niſi cicutam & amarum abſynthium decerpunt.*

E ſcriptura alij mel, alij uenenũ ſugunt.

Et

*Et Euangelium bonis eſt odor uitæ ad uitam, improbis odor mortis ad mortem. Sunt pauci alij, qui rudi ignorantia aut ſimplicitate cæcutiunt, ac putant ſcripturas diſsidere, nondum profecti in ſacris literis. Qui ſi diligenter in fide inuocato Dei nomine legerint, & omnes circumſtantias prope expenderint, ſcripturam ſcripturæ contulerint, inuenient haud dubio concordiam. Nam in ſcripturis nõ minus opus eſt frequenti exercitatione quàm in reliquis artibus. Aſsiduo legendæ ſunt diuinæ literæ, continuo meditandæ, nocturna uerſandæ manu, uerſandæ diurna: Omne tempus Theologiæ candidatis Scripturarum lectioni & exercitio impendendum. Non ſunt ueri paſtores, qui ſeponunt Bibliorum lectionem, qui minime afficiuntur ſacrarum literarum ſtudio: & tamen multos inuenies, quibus Biblia nec ſint, nihilominus paſtorum curam receperunt,*

Scriptura diligentem requirit lectorem.

ceperunt,

ceperunt, nulla alia ratione, niſi ut uen=
trem alant, ne cogantur laborare, igna=
uum fuci genus: Qui pueri nihil didice=
runt, et uiri facti miſſis tantum legen=
dis ſtudent: Pro concionibus uero cum Inepti dogmatiſtæ.
Dominicum uerbũ eſſet docendum, præ=
ter Legendas & fabulas ſanctorum,
aut conciunculam ex ſermonibus Dormi
ſecure, Diſcipuli, Theſauri, Pomerij,
Gritſch, Mephret, Dunckelſpuhels, Bi
ga ſalutis, aut ſermonibus per ſe loquen=
tibus, uel alijs Spermologis, non habent
quod declament. Qui ſi in Scripturas in=
cidant, euenit illis quod gallo, qui Iaſpi=
dem inuenerat: Precium enim ignorant,
uſum nõ didicerunt: et ſunt ὄνοι πρὸς λύραν,
ut prouerbio iactatur. Quid uero cæci
cæcorum duces in Eccleſia ædificent,
uel talpæ uidẽt. Legant autem fideliter,
ſtudioſe & crebro, atq; cum animi af=
fectu, & precioſam margaritam repe=
rient, ſimul uſum eius aſſequentur. Ni=

 hil

hil enim tam difficile quod diligenti inqui ſitione non aſſequaris. Conſcripſi autem exercitum quorundã concertantium, ut uocant locorũ: Acies ordinaui? Quos ſi eminus collocaueris, hoſtiliter uidentur congreſſuræ: At ſi cõtractis copijs cominus manus cõſerere iuſſeris, in ſummã coibunt concordiam: ut nihil æque cõſentire uideas, atq; luctãtes illos locos. Collatio Scripturarum conciliat unionem. Secus fiet, ſi nunquam contuleris. Ante omnia uerò, in id quod ipſa protulit ueritas, ad Dei os, quod uerax eſt, nec uanum aliquid profert, reſpiciendum eſt: Huic firmiter hærendũ. Deus idem ipſe eſt, non reuocat quod dixit, nõ mutatur, non eſt tanquã παλίνωδος homo, uarius, uafer, et inconſtans. Nulla apud Deum eſt tranſmutatio. Non eſt ποικιλώτερος, uelut Iupiter apud Lucianum in ſacrificijs. Non aſt ἀλλόπροσαλλος inſtar Martis apud Homerum. Nec Vertumnus

**Deus non eſt mutabilis.**

apud

apud Horatium, Empuſa apud Ariſto phanem, aut Protheus, quibus nihil eſt inconſtantius, uanius, mutabiliusq́;. Noſter Deus non habet contrarias & diſſidentes inter ſe uoluntates, nõ eſt uerſatilis & confuſionis Deus, ſed pacis. Non contraria, ſed firma, uera, conſtantia loquitur. Itaq; uehementer errant, qui blacterant ſcripturam pugnare, & Deum diſſidentia dixiſſe: Quorũ errorem mendaciaq́; hoc libello cõfutamus, dum Conciliationem locorũ, qui ſpecie tenus diſſidere uidebantur, damus. Hanc tuæ reuerendæ Paternitati legendam & cenſendam exhibeo, ſimul orans ut gratum ſit munus. Dominus noſter Ieſus Chriſtus det uniuerſis nobis unanimem ſpiritum in ſapientia et timore Dei, Amen.

Onoltzbachij, menſe Iunio, Anno ſalutiferi partus,

M. D. XXXIIII.

# IOANNES SERRAnus Campodunenſis Lectori.

GRatia magna quidem eſt ſanctũ cognoſcere uerbũ,
Veridico & ſenſu reddere uerba Dei.
Scripturas tractare etiam ſermone fideli,
Et conferre pia dexteritate locos.
Præſtitit hoc totum diuino flamine ductus
Inclytus Althamer, hoc, mihi crede, libro.
Scripturæ apperuit tractandi & myſtica ſenſa,
Sacra diuini flaminis arte modum.
Nocturna hunc uerſato manu, uerſato diurna,
Non erit hoc fruſtra, nec ſine fruge cadet.

VINCEN-

# VINCENTIVS OBSOpœus Lectori.

*Quæ ſemel ipſe Deus Diuino protulit ore,*
*Omnia perpetuam ſunt habitura fidem.*
*Non hæc tempus edax, non hæc carioſa uetuſtas*
*Mutabit: ſicut cætera cuncta ſolet.*
*Nulla hæc quantumuis rerum ſæuiſſima clades*
*Subuertet: ſtabunt, & rata ſemper erunt.*
*Non ſunt uana Dei, non ſunt mendatia dicta,*
*Nil unquam ficto dixit ab ore Deus.*
*Non hæc humanæ finxit facundia linguæ,*
*Non ſunt Cecropio prodita uerba foro.*
*Fraus ubi uerborum, multa impoſturaq́; regnant,*
*Ac ubi falluntur credula corda dolis.*
*Non pugnant, non ſunt dictis contraria dicta,*
*Verba Dei conſtant conſona quæq; ſibi.*
*Si tamen in ſpeciem quædam pugnare uidentur.*
*Quæ ſimul ignaros fallere forte queant.*
*Hæc Althamerus concordi iungere ſenſu*
*Ingenij ſtuduit dexteritate ſui.*

# CONCILIATIONVM LOCORVM SCRIPTVRÆ,

*qui prima fronte inter ſeſe pugnare uidentur, Centuria prima, authore Andrea Althamero.*

## I.

## Septies in die cadit iuſtus. Prouerbiorum. 24.

## Iuſtus in æternum non commouebitur. Pſalmo. 111.

*Principio admonuiſſe uolo lectores, inter locos quos dißidentes uocant, plurimos eſſe, quos animalis homo longißimè inter ſeſe pugnare iudicat, qui ſi penitius ſpiritus iudicio expendãtur, ac cõferantur, excußis et collatis circũſtantijs, nõ ſolum non diſſident, ſed multò magis ſe inuicem interpretantur et explicant. Inter eos ſunt & hi priores: Septies in die cadit iuſtus, &: Iuſtus non commouebitur. Delinquit pius, tamen non commouebitur in æternum, id eſt, à iuſticia Dei non decidet omnino. Prior locus ex ſententijs Salomonis hoc habet, quod Paulus in Roma. aliquoties repetit, Sanctos ſpiritu Dei illuſtratos quamdiu in carne uiuant, ſequi carnis reliquias, id eſt, naturã genitali morbo uiciatã ueterẽ hominem nondũ mortificatũ plenè, non poſſe non ſuũ agere, hoc eſt, peccare: non tantũ uulgariter, ſed aliquando manifeſte labi in gra* *Sancti quoque peccãt.*

 nia &

uia & horrenda ſcelera. Semper enim cõcupiſcit caro aduerſus ſpiritum, Gala. 5. Exemplum eſt Dauid, Ezechias, Hiob, Petrus, Apoſtoli, &c. qui deliquerunt minimé uulgariter, ueluti ſacræ tradũt paginæ. Non eſt iuſtus ſuper terrã, qui faciat bonũ, & non peccet. Eccle. 7. Cum uero ceciderit iuſtus, non collidetur, quia dominus confirmat manum eius Pſal. 36. id quod Paulus ſic expreßit: Nulla cõdemnatio eſt ijs, qui inſiti ſunt Chriſto. Diligentibus enim Deum omnia ſimul adiumẽto ſunt in bonum. Rom. 8. Delinquit nonnunq̃ iuſtus humana imbecillitate, titillante carne, & uincente cõcupiſcentia, ſed non imputatur ei delictum, domino remittente. Pſal. 31. Beatus uir cui non imputauit dñs peccatum. Nã ſi dixerimus, peccatum non habemus, noſipſos fallimus, et ueritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt et iuſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, et emundet nos ab omni iniquitate. 1. Ioan. 1. Hinc fit, ut & ſancti agnoſcentes peccatricem carnem et ingenium ueteris Adam, orent, Remitte nobis debita noſtra, agnoſcentes nimirum infirmitatẽ ſuam & carnis impuritatem. Iuſtus autem in æternum non cõmouebitur. Non dicit Propheta: Iuſtus in æternum non peccat, ſed nõ commouebitur, non ſubtrahet ſpem atq; fiduciã à Deo ſalutari ſuo, etiã in peccatis fixus in domino ſtabit, et dominus non deſeret eum, quia in ipſum ſperauit. In memoria æterna erit corã Deo, quando interim uultus domini eſt ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Pſa. 33.

*Deus nõ imputat ſanctis peccatum.*

*Iuſtus non commouebitur.*

Cadit

*Cadit iuſtus, ſed reſurgit, et* Dominus *nõ imputat pecca-tum.* Permanet *fixus in domino, perpetuo nõ collidetur, impulſibus inferni, Sathanæ, peccati, mortis, non abijcie-tur.* Deus *non poteſt eius obliuiſci, quia ſperat in eum, confugiens ad ipſum ſolum in tribulatione, et oculi domi-ni ſuper iuſtos.* Pſalm. 23. Etiam *ſi ad tempus deſeratur, perpetuo tamen haud commouebitur, minimè ſeparabi-tur à* Deo. *Paratum enim cor eius ſperare in* Domino, *confirmatum eſt cor eius & non commouebitur.* Errat *iuſtus, ſed non perit in peccatis & errore, domino reuo-cante.* Ideoq; *ſancti in ipſis peccatis, morte, inferno, cla-mant ad* Dominum, *& ſciunt ſe auditum iri.* *Deus non poteſt obliuiſci iuſtorum.*

II.

Ne reſpondeas ſtulto ſecundũ ſtulticiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis. Prouerbio. 26.

Reſponde ſtulto ſecundũ ſtulticiam ſuã, ne ſibi ſapiẽs eſſe uideatur. Ibi.

*Quæ hic ſubeſt pugnantia, in uerbis tantũ eſt, in ſen-tentia minimè.* Ne *reſpõdeas ſtulto, id eſt, impio, excæca-to, metu* Dei *uacuo, hæretico, pertinaci, prophano, in quo ſpiritualis ſenſus & intelligentia nõ eſt, qui* Deum *et quæ* Dei *ſunt minimè curat, ſed ſibi in ſua ſapientia ad-blanditur: ij enim ſtulti et inſipientes uocãtur in ſcriptu-ris: quibus nõ eſt reſpondendũ, nec contra eos diſputan-* *Stulti et inſipientes qui ſint.*

 dum:

dum: carent enim ſpirituali intelligentia, ſua inſipientia excæcati non audiunt rectè monentes, non reuocantur, ſunt per ſe damnati. Tales enim poſt unam atq; alteram admonitionē uitandos monet Paul. Tit 3. Ne ſimiles efficiamur eis, hoc eſt, ne & ipſi ſtulti litigando amittamus ueritatem & ſpitituaìem intelligentiam, prophani, excæcati, inſipientes & hæretici fiamus. Pro. 1. Sapientiam et eruditionem ſtulti adſpernantur, & Pro. 18 Nō libet ſtulto intelligere. Matt. 7. Nolite ſanctum dare canibus. Ita Paulus 2. Tim. 2. pugnas uerborum prohibet. Tit. 3. Hæreticum poſt unam aut alteram admonitionem fuge. Deinde quod addit: Reſponde ſtulto &c. hoc uult, manifeſtis rationibus declarandam atq; manifeſtandam ipſi ſuam inſipientiam, & ſcripturarum peruerſam intelligentiam & expoſitionem, quam torſit ad ſuum dogma ſtabiliendum, ne ſapere ſibi uideatur, coarguendus pluries, ut confundātur: ne arroget ſibi, ꝙ ſolus rectè ſapiat, & uerum ſcripturæ ſenſum attigerit, ut ſolent ſtulti, qui hodie gloriantur uſum Euchariſtiæ & Baptiſmi ſibi ſolis reuelatum atq; cognitum, nullus præ illis rectè docuiſſe, ij ſtulti monendi aliquoties & coarguendi, ut confundantur et uideant cū ſe ſapientes crederent, factos ſtultos. Idem Paulus iubet 2. Tim. 4. Inſta tempeſtiuè, intempeſtiuè, argue, increpa &c. Vbi ſemel atq; iterum cōmonefeceris, deinceps, deuita, & ſit tibi uelut Ethnicus et publicanus, Matt. 18. Conſule doctiſſimas annotationes Philippi Melanchthonis in Parabolas Salomonis.

*Stulti et hæretici arguendi.*

*Stulto reſpondendū*

*In Sacramentarios, pſeudoprophetas.*

Perdes

III.

Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Pſalm. 5.

Abraham mẽtitus eſt, (Gene. 12.) et non perijt.

*In lege aliquoties prohibetur mendacium, ne ſcilicet falſa loquamur.* Exo. 23. Leui. 19. *ſed ut depoſito mendacio, loquatur quiſq; ueritatẽ proximo ſuo, quãdo ſumus inuicem membra.* Ephe. 4. Ad *quæ* Dauid. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Ideoq; Petrus Ananiam et Saphyram mentientes occidit clauium poteſtate,* Actor. 5. *Quòd uerò Abraham atq; multi ſanctorum hoc crimine depræhenſi minimè perierint, hæc ſubeſt ratio, quòd Dominus non imputauerit illis peccata, nec illi hoc admiſerint malitia animi, & peccandi uoluptate, ſed conſeruandæ uitæ ſuæ & ſuorum gratia. Sic Abraham propriæ ſalutis et uxoris cauſa coram Pharaone & Abimelech mendacia protulit.* Gen. 12. & 20. *Similiter & Iſaac filius eius,* Gene. 26. & Dauid *inſaniam ſimulat coram Achis rege Geth* 1. Reg. 21. *Ad eum modum Iudith liberandorum ciuium gratia imponit* Holopherni, *aſtute recitans itineris ſui cauſam.* Iudith 11. *Præterea ſepties in die cadit iuſtus & reſurgit* Pro 24. *Non eſt homo qui nõ peccet* 3. Re. 8. *At Dominus non imputat peccatum, remittit potius, exploratum habens cor noſtrum, quo animo faciamus mala:*

*Mendaciũ prohibetur.*

*Clauium poteſtas.*

*Abraham mendax.*

*Iſaac mendax.*

*Dauid mẽdax.*

*Iudith mẽdax.*

Deus delet iniquitates noſtras.

mala. Ipſe eſt qui delet iniquitates noſtras, peccatorum noſtrorum non recordans amplius, Ieſa.43. Mundis omnia munda. Tit.1. & diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom.8. At perdere ſolet qui prauitati ſtudent, & cum animi uoluptate mentiuntur.

IIII.

# Initio tu Dñe terrã fundaſti, et opa manuum tuarũ ſunt cœli: Ipſi peribunt, tu autem permanes, Pſal.101. Terra in æternum ſtat. Eccle.1.

Cœlũ et terra tranſibunt, exponitur.

Videntur diſsimiles iſtæ duæ ſententiæ, ſed ſi rectius introſpexeris, non diſſentiunt. Multi ſunt qui cœlum terramq; penitus interitura prædicant, dum legunt in hiſtoria Euangelica: Cœlum & terra tranſibunt, Matth.24. Luc.21. Sed Chriſtus hoc nõ dicit, uerũ animans ſuorum diſcipulorũ animos ad futuras adflictiones de perpetuitate et ſtabilitate uerbi ſui loquitur: quaſi diceret: Cœlũ et terra firmiſsima alioqui, citius peribunt quàm meũ uerbum, quod adeò ſolidum, conſtans ac firmum eſt, ut nulla uetuſtate intereat, nullis periculis ac tumultib9, ſupprimatur, nullis quantumuis magnis oppugnationibus corruat, ſed perdurabit perpetuo. Omnia quæ dixi eueniẽt.

Cœli et terræ trãſmutatio.

Terra in æternũ ſtat. Cœlũ non tranſit, ſed immutabitur: ſubſtantia eorũ manebit, ſed facies mutabitur et innouabitur, Velut apud homines ueteres ueſtes nouis mutãtur, ita uetuſtas cœli et terræ in nouitatẽ immutabitur. Videbimus

bimus enim cœlos nouos & terrã nouam. Apo. 21. Cœli in aduentu Chriſti nouiſſimo ſoluentur, & elementa præ calore liqueſcent. Nouos autẽ cœlos & terrã nouam, in quibus iuſticia habitet, ſecundũ promiſſionem eius expectamus. 2. Pet. 3. Soluentur cœli, hoc eſt, fient alij mũdiores, ſicut aurum igne ſoluitur, nõ ut intereat, ſed ut purius fiat expurgata ſcoria. Vnde Tertulia. cap. 60. Eccl. dogmatum, ſi modo titulus nõ mentitur authorem: Elementa, id eſt, cœlum & terram non credamus abolenda per ignem, ſed in melius commutanda, Figuram quoq; mundi, id eſt imaginem nõ ſubſtantiam tranſituram. Sic quoq; caro noſtra ſoluenda eſt, non ut pereat in æternũ, ſed quo ſanctior atq; incorruptior fiat. 1. Cor. 15. Cadit animale, reſurgit immortale. In terra quã nũc habitamus non eſt iuſtitia, ſed maledictio. Gen. 3. Maledicta terra in opere tuo, &c. Sathan eſt princeps et deus huius mũdi. Rom. 8. Ipſa creatura uanitati ſubiecta eſt nõ uolens, et liberabitur à ſeruitute corruptionis &c. Verum cœli & terra in quibus tum habitamus, erunt noui, poſita uetuſtate, perfectiores, ubi perpetuo regnabimus, perditis de terra omnibus impijs. Quo nimirum reſpexit ſcriptura, Prouerbiorum 2. Recti in terra perdurabunt, & probi in ea ſuperſtites erunt. Impij è terra extirpabuntur, & funditus delebuntur quotquot contemnunt Deum. Pſalm. 26. Malignantes exterminabuntur, expectantes autem Dominum, ipſi hæreditabunt terram. Manſueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pa-

*Noui cœli et noua terra.*

*Terra maledicta.*

*Terra inhabitabitur à pijs.*

*Impij è terra extirpentur.*

ne pa-

ne pacis, & inhabitabunt in ſeculum ſeculi ſuper eam. Quomodo ergo tranſibit terra, ſi in ſeculum ſeculi habitabitur à iuſtis? Stat igitur in æternum, ſed mutata facie. Matth. 5. Beati mites, quoniam ipſi hæreditatem accipient terræ. Appoſite inquit accipiēt: quia in terra innouata habitabunt ſancti, & uiuent in æternum in ea, quæ propterea dicitur terra uiuentium. Quando igitur Chriſtus inquit: Cœli & terra tranſibunt, intelligendum eſt, citius quàm uerbum meum intereat. Aut potius tranſibunt ad perfectionem, id eſt, innouabuntur, fient puriora & incorruptiora, eiectis impijs: mutabuntur, aliam induent faciem: illic habitabit iuſticia, ubi nunc regnat iniquitas: illic erit pax & gaudium, ubi nunc fraus, bellum & iniuriæ. Verbum autem meum manet in æternū, & in ſeculum ſeculi non mutabitur, nec aliam induet faciem, ſed ſemper idem erit, & manet incorruptum.

*Terra uiuentium.*

*Verbū Domini manet in æternū.*

V.

## Arundinem comminutam non confringes, Ieſaiæ 42. Tanquam uas figuli confringes eos, Pſalmo. 11.

*Linum fumigans. Calamus quaſſatus.*

Prior locus, quem Matthæus Euangeliſta ex Propheta Ieſaia citat, uariè à uarijs exponitur. Quidam calamum quaſſatum et linum fumigans pro contritis corde, fide infirmis, & conſcientijs lege territis interpretantur.

tur, quos ſubleuet Chriſtus ſuo ſpiritu, conſoletur Euangelio, non perdet omnino, iuxta illud Ezech. 34. Ego paſcam oues meas, et ego eos accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat conſolidabo, et quod pingue et forte cuſtodiam, et paſcam illas in iudicio &c. Et Matth. 11. Venite omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo uos. Sunt qui arundinem cõminutam interpretantur aduerſarios Euangelij, Iam coram Deo confractos & iudicatos, quos non uelit confringere, id eſt, uel amplius irritare, uel publico iudicio concutere cũ potuiſſet. Nam in fine ſeculi reuelabitur iudicium impiorum, quod nunc eſt occultum. Et linum fumigans exponunt eoſdem ira & damnatione accenſos, quos non extinguat, hoc eſt, permittat ſibi ad interitum eorum. Donec eijciat ad uictoriam iudicium, id eſt, per ſe uincat ueritas & manifeſta fiat ipſius iuſticia et aliorũ iniquitas. Hoc fecerat Ieſus prædicans Euangelion regni Dei, tolerauit Phariſæos & cæcam Iudæorum rabiem. Non contendit, neq; clamauit tumultuoſe, ut uox ipſius minime in plateis audiretur. Vbi agnouit inſidias Phariſæorũ de pdendo ipſo, receßit illinc declinans ad tempus, permiſit eos in ſua cæcitate, iudicio patris relinquens, ne furioſos furioſiores redderet. Hunc ſenſum uidetur urgere totus cõtextus et ſeries orationis. Qui uerò in pſalmis eſt locus nõ repugnat illi. Phariſæi enim exacerbati prædicatione

Harundo cõminuta.

Chriſtus ex cæcatos cõminuit.

tione

*tione uerbi, excæcati iuſto iudicio Dei, iuxta prophetiam Ieſai. 6. Veritati noluerunt cedere, ob id comminuit eos tanquam uas figuli, non armis ferreis, ſed ſpiritualibus, Euangelio, quod omnia noſtra damnat, hoc percußi in conſcientijs, & excæcati pereunt. Veluti figulus ollam confringit malleo, ita Deus noſter uerus plaſtes illos aduerſarios ſuos uirga ferrea, id eſt ſpiritu oris ſui conteret, et ſpiritu labiorũ ſuorum, Ieſa 11. et 2. Theß. 2. Quam uirgam ferream alibi propheta Dauid uocat ſceptrum iuſticiæ Pſal. 44. Paulus gladiũ ſpiritus. Ephe. 6. Senſus itaq; eſt: Tanquam uas figuli confringes aduerſarios, id eſt, eneruabis, imbelles et exanimes reddes, concußis eorum faſtu & tyrannide, ut nequeant cõſiſtere, ubi uerbo Dei cœpti fuerint dijudicari. Facies eos linum fumigans, non ardens, et arundinem cõminutam, non integrum calamum, in quibus nihil uirium ſuperſit. Iam uides quàm congruant ambo loci, ꝙ Chriſtus cõfringat uerbo Euangelij, ſceptro iuſticiæ uires aduerſariorũ, ſed tamen ꝑmittat obſtinatione fumare linum non penitus extinctũ, confringet calamum, tamen omnino non comminuat uſq; ad iudicium, ibi reuelabitur iudiciũ totius mũdi. Impij licet damnati ſint, tamen nondum reuelatum eſt illis iudiciũ. Vides alterum locum alterius interpretem eſſe. Porrò ſi placet per arundinem comminutam humiles ſpiritu, conſcientia ſauciatos, peccatorum ſenſu & infirmos fide & in moribus accipere: non opus erit ulla cõciliatione, niſi ut intelligas Deum parcere infirmis, duris et incorrigibilibus non item.*

*Virga ferrea eſt Euãgelion.*

*Sceptrum iuſtitiæ, gladius ſpũs.*

*Impiorum iudiciũ non reuelatum eſt.*

Adhuc

VI.

Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur. Ionæ 3.

Parcã Niniuę ciuitati magnę, Ion. 4.

*Quando malitia Niniuitarum aſcenderat corã Deo, emiſit Dominus Ionam prophetam ad prædicandũ pœnitentiam, hac nimirum conditione, niſi pœniterent, ſubuerteretur Niniue, ut intelligas contionem prophetæ fuiſſe, urbem quadraginta diebus euertendam, ſi non reſipuerint. Sic ſemper prophetas ſuos dedit per diem, conſurgens diluculo, & mittens. Hiere. 7. Quia non faciet dominus Deus uerbũ ſuum, niſi reuelauerit ſecretũ ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas. Amos. 3. Sic quoq; Ioannẽ Baptiſtam præcurſorem Chriſti, præmiſit parare uias Domini, ut ad reſipiſcentiam inuitaret. Id quod & ipſe Chriſtus Ieſus haud impigre præſtitit, ſimiliter etiã Apoſtoli eius. Oportuit enim ſub nomine eius pœnitentiam prædicari, ac remiſſionem peccatorũ in omnes gentes, Luc. 24. Quid multis? Qui crediderit, ſeruabitur, ac ſuper incredulos permanet ira Dei. Ioan. 3. Vnde Pſalmographus: Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum uibrauit, arcum ſuum tetendit et parauit illum. Pſal. 6. et Chriſtus Lu. 13. Dico uobis niſi reſipueritis, omnes ſimul peribitis. Vides ſemper cõditionem pœnitendi adiectam. Sic Niniuitæ credentes prædicationi Ionæ, & pœnitentiam agentes, Matth. 12. ſeruati ſunt, alioqui perdendi. Et pepercit*

*Deus ſemper præmiſit prophetas qd magni factu rus.*

*Niniuitarũ pœnitentia ſeruauit eos à perditione.*

*Impœnitentes Deus perdit.*

Poenitentia & fides.

Dominus ciuitati magnæ, quam alioqui erat ſubuerſurus. Tanta eſt pœnitentia & fides uerbi Dei, ut è condemnatione eripiat, & à morte liberet, Ioan 5.

VII.

## Terræ uectes concluſerunt me in æternum. Ionæ 2.

## Et dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam. Ibidem.

Ionas fuit in inferno.

In inferno eſſe quid ſit.

Idem Ionas filius Amithai cum eſſet in uentre ceti tribus diebus & noctibus in anguſtia, et horrore mortis, in inferno, in corde maris, unde non erat ſpes redeundi, ſeptus aquis & morte, cum iam nō magis uideret uitam & ſalutē, nec ſpem ullam cōcepiſſet euadendi, poſt multa uerba, quæ illic legis, dixit: Circundederunt me aquæ uſq; ad animam, Id eſt, enatare non potero, iugulū meū petitur, anima mea ſuffocatur aquis. Abyſſus uallauit me, pelagus operuit caput meū Igitur non poſſum emergere, deſperata ſunt omnia, ad reſtim res rediit, actum eſt. Ad extrema montium deſcendi, terræ uectes concluſerūt me in æternum. Ita aquarū multitudine ſeptus ſum, ut pertingēdi porto ſpes ablata ſit, cogor in ipſis aquis, interire, non enatabo perpetuo cōcluſus uectibus terræ, efflabo igitur ſpiritum. Hæc dixerat Propheta in mortis anguſtia, aliud interim agit Dominus, quod Ionā latuerat, præcepit ceto, ut captiuum reſtitueret uiuū. Id quod exequitur piſcis ad uerbum Domini, euomuit Ionam, et

terræ

terræ reddidit, ut curſum et miniſterium ſuũ conſummaret. Vt diſcamus aliud hominem iudicare, aliud Deum operari. Ionas de uita deſperauerat, Deus è morte et inferno ad uitam protrahit. Suo et omnium iudicio in morte concluſus erat perpetuo, ſed aliud agit Deus. Ipſe eſt qui deducit ad infernum & reducit, mortificat & uiuificat. Exemplum habes, unde fidem alas. Deus mortificat et uiuificat.

VIII.

# Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea. Pſalm. 31.

# Inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem. Ibidem.

Vnus uerſus eſt hic Dauidis, quem conuellere minimè licet, ſic reſtituendus: Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea, in rugitu meo tota die. Senſus eſt prophetæ: Quoniam delicta mea & maliciam animi tacui, non libere confitendo, prout debebam, torquet nunc conſcientia & remordet, ut iugiter clamem præ dolore et anguſtia animi, debebam peccata mea corā Deo confiteri, & dolum ſpiritus minimè celare. Si enim confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. 1. Ioan. 1. At quia ego tacui confeßionem peccatorum, non agnoui iniquitatem, non deprecatus ſum ueniam, uenit dolor ſuper dolorem. Nam oſſa mea ob crebrum dolorem et rugitum non confeßi peccati, et conſcientiæ morſum, inueterauerunt Confeßio peccatorũ neceſſaria.

rauerunt, languerunt & contabuerunt horrore iudicij diuini. Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua (Domine) conuerſus eſt humor meꝯ in ſiccitates æſtatis. Quid multis? nolens uolens cogebar iniquitatem meam fateri, & nequam meum detegere, pœnam remordentis conſcientiæ et animæ anguſtiam ferre non potens, Et tu remiſiſti impietatem cordis mei, &c.

Deus remittit confitentibus peccata.

## IX.

## Deus tuus unus eſt, Deut, 6. Ego conſtitui te Deum Pharaonis, Exodi 7.

Vnus eſt Deus tantũ. Moſes eſt Deus Pharaonis.

Quid hic audimus? Vnus eſt Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnia, & per omnia, & in omnibus, una fides, unũ baptiſma, Ephe. 4. Vnde igitur Moſes conſtituitur Deus Pharaonis? Nimirũ ꝗ ea quæ Deus ſibi preceperat, coram Pharaone Aegyptiorũ rege eſſet conſũmaturus ſignis & miraculis, quibus tyrannũm obſtinatiorẽ redderet. Non autẽ dictus eſt Deus populi Iudaici, ſed tantum dicit: Ego conſtitui te Deum Pharaonis, Deũ ſcilicet non natura, ſed officio, ut meas partes agas, ego per te miracula edam, puniam et excæcabo Pharaonem. Iam cum Dei ſit proprium iuuare mortales, & omnes homines ſaluos facere, hoc eſt nutrire & conſeruare, de inde etiam perdere & ſaluare, non ſic conſtituit Moſen Deum, ut diuinam naturam illi deſignarit, ſed tantum ut ageret quæ ſibi cõmitteret. Nam aliâs poterat Moſes

uoca-

*uocari Deus, qa fidelis in domo Dei et iudex populi* He*bræorum, eo q. oēs credentes uerbo Dei renati, dicantur dij Pſal.81. Ego dixi dij eſtis, & filij altiſsimi omnes.* Ioan.1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri &c. 2. Petri 1. Precioſa uobis promiſſa donata ſunt, ut per hæc efficeremini diuinæ conſortes naturæ &c.* Sic iudices *uocantur dij, quòd diuina autoritate præſint, et non ſuum, ſed* Dei *iudicium iudicent. 4.* Paralip.19. & Ro.13. *Magiſtratus eſt à Deo, et Dei miniſter.* Velut Apoſtoli *lux mūdi dicuntur, nō ſua natura, ſed quod ueræ lucis, quæ* Chriſtus *eſt, teſtes ſint. Itaquoq; dij uocantur miniſterio, q. ueritatem* Dei *ſibi creditam prædicent* Dei *uice, qui uoluit nos eſſe miniſtros noui teſtamenti, nō literæ, ſed ſpiritus.* 1.Cor.3. *et diſpenſatores myſteriorum eius.* 1. Cor. 4. *Iam uides homines dici* Deos, *non natura, ſed adoptione & denominatione propter demandatū miniſterium.* Talem *deū conſtituerat* Moſen cū *diceret:* Perge, *ego ero in ore tuo, docebo q; quid loquaris,* Exo. 4. Aliâs *unus tantum eſt* Deus *uerus, naturalis & omnipotens.* 1. Cor. 8. Nam *etiam ſi ſint qui dicantur dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra, quemadmodum ſunt* Dij *multi &* Domini *multi, nobis tamen unus eſt* Deus, *qui eſt pater ille, ex quo omnia, et nos in illum, et unus* Dominus Ieſus Chriſtus, *per quem omnia et nos per illum.* Porrò *nihil offendat te* Chriſtiane *lector,* Arrianorū *error, etiā noſtræ tempeſtatis, qui blaſphemant et dicunt:* Si *unus tantū* Deus *uerus et naturalis, nec* Chriſtus *Ieſus* Nazarenus *filius* Mariæ *erit*

Dij ſunt omnes credentes.

Dij ſunt iudices.

Lux mundi cur dicātur Apoſtoli.

Prædicatores ſunt dij

Vnus deus

Contra nouitios Arrianos, diuinitatē Chriſti abnegantes.

Ieſus Chriſtus uerus Deus.

Deus. O tempora, ô mores. Chriſtus natura eſt dilectus filius Dei patris, in quo ſibi bene complacitum eſt, unus cum patre et ſpiritu ſancto, nō eſt diuiſa natura, non tres dij ſunt. Pater eſt in filio, et filius in patre, in utriſq; ſpiritus ſanctus: nam tres ſunt perſonæ, una eſt ſubſtantia, una natura, una maieſtas & potentia. Hæc quia non capit ratio & intellectus humanus, propterea falſa ſunt? minimè. Sola fides apprehendit, & ſolus Deus per uerbum ſuum hoc docet. Si credis uerè, ex Deo habes. Caro & ſanguis nō reuelauit tibi. Sin minimè poteris capere, deſine diuinæ maieſtati obſtrepere, ne luas infidelitatis pœnas. Miſeretur cui uult, & quem uult indurat. Exo. 33. Super hac re priuatum libellum edidi de diuinitate Chriſti, Germanico idiomate contra nouitios impoſtores Arrianos aut Ebionitas, quem legant, qui dubitare cœperunt, Chriſtus an uerè Deus ſit, an propheta tantum?

Fides in uerbum Dei.

X.

Deſiderium pauperū exaudiuit Dominus. Pſalm. 9.

Deſideriū impiorū peribit. Pſa. 111.

Peccatores quare non exaudiantur.

Sola fides inuocat, eaq; ſola impetrat. Fieri enim non poteſt, ut citra fidē quis Deo placeat, Heb. 11. Soli itaq; credentes orant, Roman. 10. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Peccatum eſt, quod ex fide non fit, Roman. 14. Sic impiorum oratio non eſt oratio, ſed potius clamor & ſimulatus cultus. Vnde orat uates regius: Fi-

us: Fiat oratio eius in peccatum, Pſal. 108. q. d. quia impius non orat ex fide, ſed inani murmure obſtrepit tibi Deus, obtundens aures diuinas, ne quæſo exaudias hypocriſim, ſed ſit peccatū precatio ipſius, et fruſtretur ſpe ſua. Iam cum hypocritæ et impij non adorent in ſpiritu & ueritate, ſed labijs tantum orent, Matth. 15. caſſa ſit oratio, & perit deſiderium impiorum. Pauperes uerò, qui promiſsionē Dei ueraciter apprehenderunt, exaudiuntur. Ieſa. 65. Erit antequàm clamēt ego exaudiā, adhuc illis loquentibus, ego audiam, Mar. 8. Omnia poßibilia credēti Pſal. 36. Iuxta eſt Dominus ijs, qui tribulato ſunt corde Pſal. 145. Prope eſt Dn̄s omnibus, inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eū in ueritate. Matt. 5. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Vnde Dauid: Ad Dominū cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Pſal. 119. Si potes credere & Deo dare gloriā, potens eſt ille tibi dare, quia diues, fidelis, et uerax eſt, ſeipſum negare nō poteſt. Sin diffidis, quomodo ille diffidenti tribueret? Veluti credis, ita fiet tibi. Pauperes exaudiri.

XI.

## Mihi uindictam, & ego retribuam. Deut. 32.

## Videā ultionē tuam ex eis. Hiere. 11.

Spiritus ſanctus ubiq; in ſcripturis prohibet priuatam ultionē, ne ſe quiſq; uindicet accepta iniuria, ſed Deo cō mittat uindictā, q uiuorū atq; mortuorū iudex eſt, ipſe Vindicta prohibita.

uindicabit cauſam innocentum, ſumet ultionem de calumniantibus & opprimentibus ueritatem, nihil inultum relinquet, unicuiq; iuxta opus ſuum reddet. Pro. 20. Ne dicas redde malum, ſed expecta Dominum, is ſaluabit te. Nobis iniuria ferenda, uelut multis uerbis declarat Chriſtus, Matth. 5. Idem quoq; Paulus, Ro. 12. Non uos met ipſos ulciſcentes dilecti, quin potius date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi ultio, ego rependam, dicit Dominus. Quando uero magiſtratus uindicat, authoritate Dei facit, nõ proprio auſu. Ro. 13. Dei miniſter eſt, ultor ad iram. Pro. 16. Pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt. Horrendũ eſt præterea incidere in manus Dei uiuentis. Heb. 10. Videat igitur quiſq;, ut iuſte iudicet. Nuſquam legimus ſanctos ſuapte ſumpſiſſe arma uindicãdi gratia, niſi iuſſi à Deo aut magiſtratu. Quoties citra uerbũ Dei aggreſſi ſunt ultionẽ, ſemper male ceſſit: et Petrus grauius obiurgabatur, cũ enſem ſtrinxiſſet in hoſtes Iudæos. Quoties uero præcepto Dñi admoliti ſunt manus, non potuit ipſis male cedere. Nã ſi Dominus nobiſcũ fuerit, quis contra nos? Ro. 8. Sic pro ſuis ſemp pugnauit manus Domini, & uindicauit iniuriam ſanctis illatam. Orauerunt aũt pij aliquoties ad Dñm contra perſequutores, non uindictæ cupiditate, ſed zelo fidei: habet enim fides ſuum zelum non ſecus atq; caro, amore iuſticiæ, quã uidebant conuiciari, proſcindi, ac peſſundari, dolebant nominis Dei blaſphemiam, & uidere non poterant præ nimio cordis dolore tam horrendũ iuſticiæ ueritatisq; contemptum,

Magiſtratus habet ius uindicandi.

Sancti non uindicant ſe.

Sancti orauerũt pro uindicta.

*temptum. Vnde accenſi ſpiritu zelotypiæ clamauerunt ad Dominũ, ne impietatem ac nominis ſui blaſphemiam diutius pateretur inultam. Sic Dauid ubiq; contra impios intonat, uelut eſt in Pſalmis nusq̃ non cernere, & Prophetæ crebrius contra perſecutores precantur. Ioannes quoq; in Apoc. cap. 7. ſcribit, animas interfectorũ propter uerbũ Dei, & propter teſtimonium quod habebant, clamaſſe uoce magna: Vſq; quo Domine, qui es ſanctus et uerax, nõ iudicas ac uindicas ſanguinẽ noſtrum, de his qui habitant in terra? Sciunt electi Deum eſſe patrem orphanorum et uindicem uiduarũ, ſciunt quòd ſit pœnam ſumpturus de inimicis ſuis, malos male perditurus. At quãdo differt ultionẽ & impij magis atq; magis furiunt, cõuitiantur, occidunt, pſequuntur, proſcribunt, quaſi impune illis liceat, dolent pij homines fratrum innocentiũ necem, et q̃ pauperes ubiq; opprimantur, quaſi nõ ſit ius neq; fas. Qui iuſtitiã tueri deberẽt, ſint iuſtitiæ oppreſſores & tyranni formidabiles, zelo iuſticiæ moti et pietatis atq; fratrum amore, inuocant Dei ultionẽ, ne longius ſinat pietatem, innocentiã et æquitatẽ opprimi. Sic Hieremias orat contra perſequentes, qui uolebant ipſum extinctũ, et cogitauerunt cõſilia ſuper eum dicentes: Mittamus lignum in pane eius, & eradamus eum de terra uiuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Quid facit uir Dei ad iſtam contumeliã? Deo tribuit gloriã, non ſe ulciſcitur, ſed orans dicit: Tu Dñe zebaoth, qui iudicas iuſtè, et probas renes et corda, uideam*

Hieremias orauit contra perſecutores.

ultionem tuam ex eis. Id eſt, ô pater, fac iſtam blaſphemiam ulciſcaris, ne patiaris illos impunè in ſanctos tuos graſſari, ſume ultionem ex eis me uidente, ut de tua iuſtitia gaudeam in corde meo, quia rectè iudicas. Et alibi: Tu Dñe ſcis omne conſilium eorum aduerſus me in mortem. Ne propicieris iniquitati eorũ, ut peccatũ eorum à facie tua nõ deleatur. Fiant corruentes in conſpectu tuo, in tẽpore furoris tui abutere eis. Hier. 18. Iã uides ſanctos nõ ulciſci ſe, ſed Domino cedere uindictã, et exſpectare cum gaudio iudicium Dei. Pſal. 57. Lætabitur iuſtus cum uiderit uindictam, pedes ſuos lauabit in ſanguine peccatoris. Audis quid faciant ſancti, orant Deum & exſpectant eum, qui ueniens ueniet, & non tardabit. Abac. 2.

## XII.

## Filius non portabit iniquitatem patris. Ezech. 18.

## Ego uindicabo iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Exod. 20.

*Filius non portat iniquitatem patris.*

Semel admonui carnalem intellectum multos locos iudicare pugnantes, qui ſi preſſius intueantur, et quæ præcedant atq; ſequantur, utrobiq; deprehendas potius concordiam, & ꝙ alter alterũ exponet, quàm quòd pugnẽt mutuo. Inter eos ſunt & iſti, quos modo attigimus: Ego uindicabo iniquitatem patrum in filios: et filius nõ portabit iniquitatem patris. Diſperеam ſi pugnent, et nõ magis

*giſ ſe inuicem exponãt. Audiamus igitur cõciliationem. Dominus per prophetam Ezechielem paulo ante dixerat: Ecce omnes animæ meæ ſunt. Vt anima patris, ita anima filij mea eſt. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Pater, quia calumniatus eſt, & uim fecit fratri, & malũ operatus eſt in medio populi ſui, ecce mortuus eſt in iniquitate ſua. Filius uerò, quia iudicium & iuſtitiam operatus eſt, & omnia præcepta mea cuſtodiuit, et fecit illa, uita uiuet. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatẽ filij. Iuſtitia iuſti ſuper eum, et impietas impij ſuper eum. Ezec. 18. Id eſt, quemq; ſua iniquitas perdet. Rurſus: Iuſtus in fide ſua uicturus eſt. Abac. 2. Eccleſia. 7. Lignum ubi ceciderit, ibi erit. Et Gal. 6. Vnuſquiſq; onus ſuum portabit. Maledicti ſunt omnes impij, cum patres tũ filij, et tota progenies, ut Deus uiſitet iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationes his qui oderũt eũ. Rurſus faciens miſericordiam in multa millia diligentibus eum et ſeruantibus præcepta eius. Deu. 5. Iam uides quod illic in Moſe dicitur, à propheta interpretari: audis quoq; legem et Euangeliun, legem in odientes, Euangelion in diligentes uerbũ ipſius: iudicium in impios, iuſtitiam in pios. Filius non portat iniquitatem patris, quia iudiciũ et iuſtitiam operatur, diligit præceptum Dei, non imitatur patrem impietate, ſed declinat ad iuſtitiam, & cuſtodit uerbum Dei, ob id uita uiuet et miſericordiã guſtabit, quã effundit Deus in diligentes*

*Iuſtitia propria ſaluabit unumquenq;.*

gentes

*gentes eũ, iuxta promiſſionẽ ipſius.* Alioqui *ſi filius aut nepos patris ueſtigijs innititur, et à deo receſſerit, morietur et ipſe in peccatis ſuis, quia anima quæ peccauit, ipſa morietur.* Viſitat Deus *iniquitatẽ patrũ in filios qui oderunt eum, in tertiam et quartam generationem.* Iam *ſatis uides cõciliationem, prophetam eſſe* Moſis *interpretem.*

XIII.

## Nolo mortem p*c*tõris. Ezech. 18. Qui fecerit iniquitatem, morietur in ea. Ezech. 3.

*Nolo mortem peccatoris.*

Vox *eſt* Euangelica, *id eſt ſuauis, cõſolatoria, et grata* Chriſtianis *auribus, adflictis cõſcientijs, lege territis, qua ſanctam bonitatẽ atq; miſericordiam ſuam nobis affert, et declarat* Deꝰ *pater, quòd amet nos, faueat et bene uelit, benignus & tolerans ſit, qui faciat miſericordiam in multa milia diligentibus ſe.* Deu. 5. *nolit mortem peccatoris, non iraſcatur in perpetuum.* Ieſa. 57. *uelit ignoſcere & miſereri populi ſui, & condonare noxam, uelit omnes ſaluos fieri, & ad cognitionem ueritatis uenire.* 1. Timo. 2. Q*uòd ſuæ cogitationes ſint cogitationes pacis et non afflictionis.* Hie. 29. Q*uare etiam dedit filiũ ſuum unigenitũ in mundũ ſeruare quod perierat, uocare peccatores ad pœnitentiam, ut ſalui fiant, conuertantur ad* Dominum Deum *ſuum, fiant è filijs iræ & mortis, filij* Dei *uiuentis.* Ephe. 2. *et uiuant ſana cõſcientia in ſecula.* Talem Deũ *prædicat nobis hic propheta, ꝙ ſit placabilis ac mul-*

ac multæ miſerationis, qui non uelit mortem impij, ſed potius ut conuertatur & uiuat. Ro. 2. Bonitas Dei te ad pœnitentiã inuitat. Alter uerò locus: Qui fecerit iniquitatem, morietur in ea, lex eſt horrenda, auctoramentum peccati ſubindicans. Sicut etiam ille: Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Ezec. 18. Damnat nos lex, ſi Euangelion nõ ſubuenit: cõdemnat peccatũ, ſi non interuenerit pœnitẽtia, et fides in Euangeliũ Dei: morientur peccatores, ſi in delictis permanſerint, & pœnitentiam reſpuerint, ſicut Chriſtus pronũciat: Niſi reſipueritis, oẽs ſimul peribitis. Luc. 13. Et ſi non credideritis, quòd ego ſum, moriemini in peccatis ueſtris. Ioan. 8. Offert Deus gratiam ſuam, modo eam acceptemus, reſpuentes enim male mulctabit, inuitat prædicatione Euangelij ad nuptias regni cœleſtis, cõtemptores peßime perditurus. Hoc habes in propheta. Si annunciante te ad impium, ut ab impietate ſua conuertatur, non fuerit cõuerſus à uia ſua, ipſe in iniquitate ſua morietur, porrò tu animã tuam liberaſti. Ezec. 33. Si aũt impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, et cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium et iuſticiã, uita uiuet, & non morietur. Omnium iniquitatũ eius, quas operatus eſt non recordabor. Ezec. 18. Iam uides lege intentari mortem, Euangelio condonari peccatũ. Vult Deus mortem peccatoris ſi uocem eius non audiat, non reſipiſcat: ſed perget cœno impietatis ſe uolutare. Non uult, ſi pœnitentiã agat et credat Euangelio. Lege uult, Euangelio non

Lex damnat.

Pœnitentia ſeruat.

Lex mortis miniſtra.

*non uult. Iudicio damnat, iuſtitia remittit. Hæc duo obſeruanda cenſeo in operibus Dei. Qui credit in filium, habet uitam æternam. Qui autem incredulus eſt filio, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Ioan. 3. Non uult mortem peccatoris reſipiſcentis.*

XIIII.

## Deus Deus meus reſpice in me. Pſalm. 21.

## Ego cœlum & terram impleo. Hieremiæ 23.

*Deus homo factus eſt.*

*Ieſus Chriſtus cum eſſet in forma Dei, id eſt, cœlum et terram impleret, cœli terræq; Dominus eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ut eſſet æqualis Deo, ſed ſemetipſum inaniuit forma ſerui ſumpta, in ſimilitudine hominum conſtitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem. Phil. 2. Factus paulo inferior angelis, Pſalm 8. quando ſcilicet patiebatur ſuppliciũ mortis, tum uelut homo imbecillis in anguſtia et horrore mortis poſitus, et ab periculis inferni inuentus, uitulisq; multis circundatus, deinde quoq; ab uniuerſis derelictus, clamauit ad patrẽ: Deus deus meus reſpice in me. Eli eli lama aſabtani. Deus Deus cur deſeruiſti me? Eum uerò, q puſillũ quiddã diminutus fuerat infra angelos, cernimus Ieſum propter cruciatum mortis, gloria et honore coronatum, ut per gratiam dei pro omnibus guſtaret mortẽ. Heb. 2. Seu ut alibi dicit*

*Deus humiliatus.*

Paulus:

Paulus: Quapropter et Deus illũ in ſummã extulit ſublimitatẽ, ac donauit illi nomẽ, quod eſt ſuper õne nomẽ, ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium ac terreſtrium et infernorũ, omnisq; lingua cõfiteamur, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus ad gloriã Dei patris, Phili. 2. Chriſtus homo nouiſsimus uirorum (Ieſa.53.) clamat ſe derelictum. Deus uerò ſiue glorificatus Chriſtus, inquit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Matt.28. Et ego cœlum & terram impleo, Hiere.23. Chriſtus glorificatus.

XV.

## Omnino indigens & mendicus non erit inter uos. Deut.15.

## Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, Ibidem.

Apparet his locis pugna ſententiarum, uerum ſi rectè excutias ſummam capitis, non diſsidebunt. Primum præcipit Moſes Iudæis, ne patiantur pauperes inter ipſos cõuerſari, qui egeant ac mendicent, imò ut ſubleuent et occurrant eorum egeſtati. Deus enim propterea fecit alios diuites, ut miſericordiam et liberalitatẽ in pauperes exerceant, ac fidem ſuam operibus probatã reddant. Rurſus pauperes creauit alios, ut patientia exerceantur, & à Deo ſalutari auxilium ſperent, in Dominũ pauperum adiutorem confidant, à quo omnes diuitiæ & uniuerſa bona. Ait igitur lex: Omnino pauper nõ erit inter uos, quia benedicet tibi Dñs Deus tuus in terra, quam traditurus

Mendici non habendi ſunt.

Diuites cur facti.

*diturus eſt tibi in promißionem. Nō iubet profligandos é terra aut iugulandos, ſed uult illis dari neceſſaria, ne mendicent. Audis legem præcipientem charitatem et miſericordiam in pauperes. Quòd uerò deinceps inquit, nō defore pauperes, non lex eſt uelut prior, ſed rei futuræ prædictio, ſicut illud quoq;: Pauperes ſemper habetis uobiſcum, et quandocunq; uolueritis, poteſtis illis benefacere. Aliud eſt mandare, aliud rem futuram prædicere. Primum præcepit, ne mendicos habeant, deinde dicit, nō defuturos pauperes inter ipſos. Velut ſi ego dicerem: curate, ne diabolo acquieſcatis, ſemp̄ enim uelut leo rugiens circumit inter uos, quærens quem deuoret. Cauete ne peccato inſeruiatis, regnat enim plerumq; peccatum in carne ueſtra. Mala imminebūt ubiq;, uos aūt date operā, ne malū admiſeritis. Semper erunt pauperes inter uos, ſicut & omnis generis mala, uerum illis occurrendū, cura & ſolicitudo adhibenda, ut tollantur. Subleuandi pauperes & abundantia noſtra refocillandi, ne mendicare, & ab alijs ſtipem erogare cogantur. Id præceptū Iudæis datū, nobis quoq; mandatum eſt. Nam quoties quæſo ad eleemoſynas prouocat Chriſtus? At nos ſumus ſurdæ aſpides obdurantes aures, damus ubi nō erit dandū: et ubi largiendum, retrahimus manus et claudimus. Ocioſos Monachos & Nonnas, onera terræ, abundantur ſuſtentamus, omnemq; ſubſtantiā in eos profundimus, de quibus Dei præceptum non habemus. Pauperes interim, heu pudor, negligimus. Inordinatos fouemus et honoramus ad ſummum*

*Pauperes inter Chriſtianos non debēt eſſe.*

*mum, qui extra Chriſtianā regulam ſuo uentri ſeruiunt, quos uerò ſeruandos iubet Chriſtus, hos perſequimur. In eccleſia recenti nō erat egens, Act. 4. penes nos mendicis omnia plena, qui tamē iuxta cuiuſq; ciuitatis et loci terminos alendi, nō extrudendi ſunt, ut eſt uagonū mendicorū refertus orbis, nemo ſuos alit, ſed obtrudit alijs.* *Contra mēdicantes ordines.*

XVI.

Deſiderabilia ſuper aurum & lapidē precioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum, Pſal. 18.

Dedi eis præcepta non bona, Ezechielis 20.

*Verbum Dei ſpiritualibus & Chriſtianis ſuaue, bonū atq; delectabile eſt, uitam, pacē & gaudiū ſecū adferens* Deut. 8. Prou. 3. *Vnde Dauid: Bonum mihi lex oris tui ſuper milia auri & argenti, &: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.* Lege *totum* Pſalmum 18. *uidebis quàm ſuauis, quàm grata & iucunda ſit pijs uox et uerbū* Dei, *ut nihil magis deſiderent, quàm illud unicum* Euangelion Dei, *gratioſum ſi in pectore ſerues* Prouer. 22. *Non poſſunt non ſummo gaudio atq; obuijs ulnis illud electi ſuſcipere.* Ro. 7. *Lex ipſa quidem ſancta, & præceptum ſanctum ac iuſtum et bonū.* Et *ueluti ſanctis & ſpiritui eſt deſiderabile et acceptum, ita rurſus*

ſus impijs et carni eſt ſumma ignominia, ignobile & deſpectū. Sicut ſanis omnis cibꝰ dulcis ſapidusq́; eſt, egrotis uerò inſulſus et inſipidus: ita uerbū Dei bonis eſt bonum, malis autem minimè bonū. Pſal. 18. Tit. 1. ſic Paulus: Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis uerò ſtultitiam, ſed iiſdem uocatis Iudæis pariter et Græcis, Chriſtum Dei potentiam ac Dei ſapientiam. 1. Cor. 1. Et. 2 Cor. 2. Chriſti bona fragrantia ſumus Deo in his, qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortem, illis uerò odor uitæ ad uitam. Eloquia Dei ſpiritualibus iucunda & deſiderabilia, carnalibus deſpecta et non bona, dedit enim illis Deus præcepta non bona, quæ irriſio ſunt ſtultis, quibus non libet intelligere. Prouerb. 13. Sapientiam enim & eruditionē ſtulti aſpernantur. Pro. 1. Pijs autem præcepta Dei propterea ſunt dulcia, quia pacem conſcientiæ adferunt, Chriſtum cum uniuerſis et bonis et donis in ſinum effundunt, iuſtitiam Dei aduehūnt, et omnigenam conſolationē adminiſtrant. Rurſus impijs ſunt mala & contemptus, quia damnant uniuerſas iuſtitias carnis, arguunt de peccato, hypocriſim detegunt, omnē carnem ceu fœnum eſſe demonſtrant, poſtremo etiam pœnam ob oculos ſtatuunt, orco tradunt, et tranſgreſſores condemnāt Ioan. 12. Sermo quem locutus ſum, condemnabit eum in extremo die. Vnde exacerbatus mundus perſequitur uerbum Dei, nolens ſua damnari, crucem abominatur, uultq́; pro ſua libidine dominari.

Verbū Dei quare ab impijs condemnatur. Pijs quare uerbū Dei ſuaue.

Mūdus cur perſequatur Euangelion.

Si

## XVII.

## Si quæſieris eum, inuenies. 1. Paralip. 28.

## Inuentus ſum à non quærentibus me, Ieſaiæ. 65.

*Cum audis Deum inueniri à quærentibus, caue ne liberum arbitrium, aut meritum ſomnies, quaſi in tua poteſtate ſitum ſit ut poßis quærere, autq; conuerti ad Dominum citra ſpiritus raptum, Dei donum eſt, et nõ uolentis, neq; currentis, Rom. 9. Vnde etiam promißio ſeu Euangelium adhortationi adiectum eſt, quòd ſint eum conſecuturi qui quærunt, iuxta illud: Pulſanti aperietur, & qui quærit, inueniet. Matt. 7. Quemadmodum etiam Sapientia inquit: Ego diligentes me diligo, & qui mane uigilauerint ad me, inuenient me. Pro. 8. Quæ ſententia quoq; Prou. 2. & Sap. 6. reperitur. Fide quæritur & inuocatur, ſine fide nihil impetrabis. Heb. 11. Sine fide etc. Vnde Paulus ait: Iſrael qui ſectabatur legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitiæ non peruenit, Propter quid? Quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis. Impegerunt enim in lapidem offenſionis etc. Rom. 9. Audis nos iuſtitiam & ſapientiam Dei propterea non conſequi, quia de noſtra iuſtitia & ſapientia nobis placemus, non adſpiramus ad gratiã, fingimus nobis merita, pollicemur ſanctitatem, ſuperbimus in iuſtitia carnis, quæ immundicia eſt apud Deum. Ieſa. 64. Quòd uerò Chriſtus Ieſus Dei ſapientia*

Contra li. arbitrium.

Deus à quærentib. inuenitur.

Iuſtitiã dei cur non attingamus.

*& ueritas, apud Prophetam, quem modo citaui, ait ſe repertum à non quærentibus, nõ repugnat priori ſententiæ, ſed potius exponit: ad gentiũ uocationẽ reſpicit, ac Dei gratiam & miſericordiam cõmendat, qui citra omne noſtrum meritum aut ſtudium, in ſinum noſtrum tam ubertim ſe effuderit, ut ſapientiam ſuam paruulis reuelauerit, & ijs qui nondũ agnouerunt eum per fidem, & de quo ne fama quidem audierint. Quæ maior gratiæ commendatio & meritorum deteſtatio? Ipſe prior dilexit nos. 1. Ioan. 4. Prior quæſiuit errantes, & humeris ſuis impoſuit. Nobis nihil tale ſperãtibus, ad ſe traxit, et effudit dilectionẽ ſui in corda noſtra. Ro. 5. adde ꝙ elegerit nos nondum natos, ante conditũ mundum. Ephe. 1. Ipſe igitur facit ut ipſum quæramus, diligamus atq; inuocemus, omnia de manu Dei accipimus. Ipſe operatur in nobis uelle perficere. Phil. 2. Inuenimus eum cum ſe manifeſtauerit, aliàs non: quærimus, ſi traxerit nos.*

Gratiæ cõmendatio.

XVIII.

Inquire pacem, & perſequere eam, Pſalmo. 33.

Confundantur qui me perſequuntur. Pſalmo. 39.

*In uerbis uidentur hi duo uerſus Dauidici pugnare. at ſi noueris, perſequi, anceps eſſe uerbũ, quod in bonã atq; malã partem uſurpatur, nihil difficultatis aut controuerſiæ ſuberit. Primus uerſus iubet quærendam ſectandamq;*

Perſequi.

ctandamq́; pacem, ubi inuenta fuerit, amplexandam, ut Perſequi
& ipſe ſis pacis ſtudioſus, amãs ſecuritatis, hoc eſt, ut in pacem.
pacem transformeris, ſis pacificus, nõ litis aut contentionis amator, ſed faciẽs ea, quæ pacis ſunt, pacem ames, paci ſtudeas, pace delecteris, pax tecũ & in te habitet, hoc ſignificat pacem perſequi, Matth. 5. Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur. Ideoq́; uitandæ amphibologiæ gratia, uertendum erat: Inquire pacem & ſequere, ſiue ſectare eam. Aliàs perſequi, ſignificat odiſſe, inſectari, faſtidire, & contumelia adficere, ſic in altero uerſu accipitur. Confundantur et erubeſcant qui me aut animam meam perſequuntur. Id eſt, qui uitæ meæ inſidiantur, atq; extinctam uellent. Auertantur retrorſum & reuereantur, qui uolunt mihi mala. Ferant confeſtim confuſionem, qui dicunt mihi euge, euge.

## XIX.

## Videbit omnis caro ſalutare Dei. Ieſaiæ 40.

## Auferatur impius, ne uideat gloriam Dei. Ieſaiæ 26.

Ieſaias Propheta de Chriſto uenturo prophetãs, quòd ſit populum ſuum à peccatis et legis tyrannide liberaturus, poſt alia uerba, quæ legat illic lector, ſic inquit: Reuelabitur gloria Domini, id eſt, remiſſio delictorum per Ieſum Chriſtum, et uidebit omnis caro, non tantũ Iudæi, ſed et gentes, ſalutare Dei, id eſt Chriſtũ domini. Euidẽs

Chriſtus uiſus omni carni.

nempe eſt, Chriſtum non tam à Iudæorũ populo, quàm à gentibus uiſum. Matth. 2. Magi ab Oriente ueniunt ipſum adoraturi. Mat. 8 Centurio uidet gloriam Domini. Ioan. 4. Samaritana et multi Samaritanorum cernunt Chriſtum ſalutare Dei. Ioan. 12. Multi Græcorum conſpexerunt & audierunt gloriam Domini. Baruch. 3. Poſt hæc in terris uiſus eſt, & cum hominibus conuerſatus. Ipſe non tam Iudæis annunciatus eſt, ſed & inter gentes prædicatur. Colo. 1. Euangelium prædicatum eſt apud uniuerſam creaturam, quæ ſub cœlo eſt Vnde Ioannes dixit: Et uidimus gloriam eius. Ioan. 1. Quod uerò deinceps in eodem Propheta legitur ſecundũ Septuaginta interpretes: Tollatur impius ne uideat gloriã Dei, execratio eſt impiorũ, qui dona et uerbũ Dei contemnunt, conuitiantur, atq; proſcindunt, perdendi iuſto iudicio Dei, ne uideant gloriã Dei, id eſt, ne in Chriſtum credant, & ſalui fiant. Ieſa. 6. Ioã. 12. Excæcati ſua prudentia, iuſtitia atq; conſilio, non uident Euangelion gloriæ beati Dei, quod eſt uirtus Dei, ad ſalutem omni credenti. Roma. 1. Ipſi cæci ſunt, lumen gratiæ cernere non poſſunt.

## XX.

Beatus tu Iſrael, Quis ſimilis tui popule, qui ſaluaris in Dño? Deu. 32. Generatio praua atq; peruerſa. Deut. 32.

Obſerua populum Iudæorum ſæpius commendari in ſcripturis

*ſcripturis, ſæpius quoq; uituperari Laudatur propter* Iudæi lau*beneficentiam Dei, quam præcipuè iſti populo præſtitit.* dantur.
*Non enim fecit taliter omni nationi. Pſal* 147. *Tradidit illis oracula ſua Ro* 3. *id eſt, legem, prophetias, et uerbũ ſuum Ipſorum eſt, inquit Apoſtolus, adoptio et gloria, et teſtamenta, legis conſtitutio et cultus, et promiſſiones, quorum ſunt patres, & ij, ex quibus eſt Chriſtus, quantum ad carnem attinet. Ro.* 9. *Vide quàm magnificis uerbis benedicatur à Moſe. Deu.* 33. *à Bileã Num* 23. *et* 24. *quamuis maior pars Iudeorũ impia fuerit, tamẽ propter pios & electos, qui uerbum Dei cuſtodierunt, et in lege Domini ambulabant die ac nocte, commendantur. Rur-* Iudæi male
*ſus uituperantur & maledicuntur propter impietatem,* dicuntur.
*quando neglecto uerbo Dei ſuas cogitationes ſequerentur, ut maior pars fuerit impia, minor pia. Sic Moſes in cantico definit ipſos generationem prauam atq; peruerſam, ſicut quoq; Chriſtus in Euangelio facit. Matt.* 12. & 16. *Lu.* 9. *et* 11. *Moſe Deu.* 9. *uocat ipſos gentem duræ ceruicis. Pſa.* 94. *dicit Dauid, Deum quadraginta annis infenſum fuiſſe generationi Iudæorũ. Cauſam explicat autor Epiſt ad. Hebræ.* 3. *Stephanus quoq; multis uerbis obiurgat eos, probans ex propheta Amos, fuiſſe idololatras, deinde etiam prophetarũ latrones appellat. Act.* 7. *Omnia tamẽ per ſynecdochen intelligenda ſunt Laudantur, ꝙ pij aliquot religionis ſyncerioris ſtudioſi fuerunt inter eos. Arguuntur, ꝙ potior pars à Domino Deo receſſerit. Commendantur à pietate, reprehendũtur ab iniquitate.*

XXI.

## Ego indurabo cor Pharaonis, Exodi. 4.

## Pharao ingrauauit cor ſuũ. Exod. 8.

Deus indurauit cor Pharaonis.

*Nihil pugnant & iſti duo loci: Induratum eſt enim ſemel cor Pharaonis iudicio Dei, nec mollitũ poſtea, non dedit ei Deus cor nouum, non abſtulit lapideum cor, & reddidit carneum, ſed in cæcitate ſua permiſit, ad maniſeſtandã gloriam ſuam. Ideoq; nihil refert, dicas Pharaonem ingrauaſſe cor ſuum, aut induratum cor eius conſilio Dei. Factus erat uas ignominiæ, & quamuis æditis miraculis per Moſen retraheretur à malitia ſua, tamen ſemper redijt ad ingenium ſuum, non potuit uere & ex animo dolere, quia cor lapideum ablatum non erat: non dederat ei Deus cor intelligens, ſed magis indurabatur ad miracula Dei. Quæ natura eſt Dei, ut magis atq; magis induret, obtundat atq; excæcet impios, uelut ſatis ex Ieſaia declarant Apoſtoli. Matth. 13. Mar. 4. Luc. 8. Ioan. 12. Acto. 28. Rom. 11.*

XXII.

## Deus mortem non fecit. Sapien. 1.

## Bona & mala, uita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt. Eccleſiaſtici. 11.

*Mallem abſtinere ab interpretandis ſententijs, quæ habent*

*habent libri Apocryphi, et quæ in bibliothecis* Hebræo*rum non ſunt, ni me quorundã improba cõdemnandi alie nos labores procacitas retineret, qui ubiq; Momos agũt atq; ſtrepunt: nos ea quæ neſcimus reijcere, aut quæ noſtro ſenſui refragentur.* Quis *unq̃ potuit ſycophantarũ effugere manus?* Quis *uniuerſis potuit ſatisfacere?* Ma*ior certe incumberet labor in cõciliãdis illis locis, quàm in ijs, quos approbauit conſenſus* Eccleſiæ. *Aſt ego non ero uerboſior, ſed paucis dicã: agent alij, qui uolunt, lõgioribus.* Deus *ab initio nõ condiderat mortẽ, non enim lætatur in perditione uiuorũ. Sap. 1. ſed creauit hominem in animã uiuentem.* Gen. 2. *qui uiueret perpetuo: hoc uidit inuidus Sathan, & machinatur dolũ, deijcit hominẽ ab innocentia, in peccatũ protrahens, & ſic inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarũ. Sap. 2.* P*oſteaquàm uerò peccatum creuerat, & omnis malitia fuiſſet multiplicata, arripuit* Deus *mortem pro ſupplicio peccati, & iſthac puniuit tranſgreſſores, ut agnoſcerent ſe non impune peccaſſe. Sic dixit alibi* Eccle. *ca. 39. Ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad uindictã creata ſunt.* Hoc *eſt: poſt hominis lapſum et præuaricationẽ, deus mortẽ, famem, grandinem deputauit ad malorũ uindictam, quibus ulciſceretur ſe de inimicis ſuis.* Quoniã *ira, hoc eſt mors, in indignatione eius* Pſalm. 29. & Rom. 6. *Auctoramentum peccati mors. Vtitur illis loco inſtrumẽti, quo percutiat impios, uelut ſæpe peccatũ peccato punit,* Roma. 1. *Iam credo ſatis intelligi, quomodo bona atq; mala*

*Mors autore ſathana intrauit in mundum.*

*Mors peccati auctoramentum.*

mors et uita à Deo ſint, et quòd Deus mortis autor non extiterit, ſed Sathan. Bona quæ largitur Deus, ſunt fauoris atq; beneuolentiæ ipſius argumenta: Rurſus mala indignationis ſuæ indices, niſi quòd aliquando pios adfligit, ut probentur. Idem deinceps fuſius tractabimus.

*Beneuolentiæ et indignationis Dei argumenta.*

XXIII.

# Nihil eorũ odiſti quæ feciſti. Sap. 11. Iacob dilexi, Eſau odio habui. Malachiæ 1.

Dixi me malle ab interpretandis locis, quos habent libri Apocryphi, abſtinere: niſi me inexhauſta quorundã malitia uinceret. Dico igitur paucis, non præſcribens legem, ut nõ liceat à me diſſentire, qui melius nouit, dicat, doceri non erubeo. Deus hominem rectum condiderat, ipſe ſe uerò infinitis miſcuit quæſtionibus. Eccle. 7. Omnia opera Dei erant ualde bona, Gene. 1. 1. Tim. 4. Nihil mali condiderat Deus. Vnde etiam nihil ſuorum operum potuit odiſſe. Non enim iniquitatũ eſt pater, ait itaq; ſapiens: Diligis omnia quæ ſunt, et nihil odiſti eorum, quæ feciſti, nec enim odiens aliquid cõſtituiſti aut feciſti. Sap. 11. Sed quando homo euerſus propria malitia cõtempſit creatorem, cœpit Deus rurſus creaturã euerſam, quã ſic minimè condiderat, odiſſe. Non aũt odit Deus hominem quem fecit, ſed peccatum quod nõ fecit, hoc odit. Nõ eſt Deus diligens iniquitatẽ, naturarum nõ malitiarum eſt conditor, mala quæ odit, ipſe haud fecit. Opera Domini

*Deus opus ſuum non odit.*

uniuerſa

*uniuerſa ualde bona. Eccleſi.39. Iacob dilexit nondum natum, præſciens ipſius integritatem. Eſau odio habuit, quia uidit ipſum malum futurum. Non odit Deus Eſau hominem creaturam ipſius bonam, ſed odit Eſau peccatorem, ſic fermè ſentit Auguſtinus. Pſal.5. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem. Aliàs nunquam odiſſet, ſi non ſecuti fuiſſent impietatem, ipſo contempto et neglecto. 1. Reg. 2. Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* *Eſau odio habuit Deus.*

XXIIII.

Heli corripiens filios ſuos ait: Quare feciſtis res huiuſcemodi, quas ego audio res peſsimas ab omni populo? Nolite filij mei etc. 1. Regum. 2.

Nouerat indigne agere filios, & nõ corripuit eos. 1. Reg. 3.

*Nemo carnalibus oculis poterit hic cernere dictorum concordiam. Arguit Hæli ſacerdos Domini filios ſuos ſuper peccato, quod admiſerant, & poſtea dicit Dominus non correptos ne ſemel quidem. Spiritualis omnia dijudicat. Lenior atq; mitior erat correptio Heli, et non tam grauis atq; ſeria, quàm graue fuit filiorum peccatũ, conniuerat interim pater et nõ ſatis dure caſtigauerat grande delictum, pro ut debebat, ſed remiſsius atq; licentius. Hoc licet elicere ex eo, quòd poſtea os Domini uerax, et* *Heli corripit filios tenerius.*

quòd

*quod mentiri non poteſt, dicat non caſtigatos.* Ridiculã, *leuem & hypocriticam fuiſſe reprehenſionem, ſatis perſpicuum eſt, qui tam acriter prouocat contra ſe* Dominum, *ut abijciat ipſum & uniuerſam domum eius.* Diſce *igitur ex uerbo* Domini, *correptionem* Heli *non fuiſſe piam, ueram, ſeriam, grauem, et ſyncerã, ſed ſimulatam, licentem, remiſſam, et quæ non fiebat candide, et ex animo, ut ea coram* Deo *non habeatur pro caſtigatione.*

## XXV.

## Creſcite & multiplicamini. Gene. 2. Beatæ ſteriles quæ non genuerunt. Lucæ 23.

*Lex naturæ indita.* Dominus *initio creaturarum, condito mundo, hanc legem naturæ indidit, et uniuerſis animantibus, ut creſcerent, augerentur, et replerent terrã, demandauit: perdurauit hoc uerbũ uſq; ad hæc tẽpora, duraturũ etiã ad ſeculi cõſumationem: nam tum demũ deſinet natura et lex naturalis, fietq́; nouus rerũ ſtatus: ceſſabit generatio, et elementorum tranſmutatio: interim non tum neq; ducent uxores, neq; nuptum dabunt.* Matt. 22. Ideoq́; & *generatio & creaturarum auctio ceſſabit, & erit finis legis.* *Auctio creaturarum deſinet.* *Tum oẽs immutabimur in puncto temporis, in momento oculi, per extremam tubam.* 1. Cor. 15. Nec *diuerſa eſt illi altera ſententia, & futuræ rei prophetia, ſi ſaltem preſſius aliquando inſpexeris, quæ apud* Euangeliſtam *præcedant.* Flentibus *mulieribus, quæ ſequebãtur* Chriſtum

*cruci-*

crucifigendū, conuerſus ad illas prædixit Hieroſolymæ deuaſtationē, et mala ſuperuentura, dicens: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper uobis ipſis flete, et ſuper filijs ueſtris, quoniam ecce ueniunt dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles & uentres, qui non genuerunt, & ubera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos, & collibus: operite nos &c. Luc. 23. Calamitas et imminens periculū, urgebit iſtas funeſtas uoces & eiulatus. Videbunt enim liberos rapi ab uberibus matrū et iugulatos, ab famelicis deuorari: optabunt ſe infœcundas, et nunquā genuiſſe pueros, ne iſtum miſerabilem dolorē cogerentur uidere ex liberorū caſu. Tunc dicēt: Beatæ ſteriles, terq́; quaterq́; fœlices, qa carent iſta calamitate, nō uident tam miſerabile funus filiorū. Super hac re lege Ioſephum de excidio Hieroſolymorū. Alium quoq; ſenſum habet alter ille locus. Ieſa. 54. ubi de Chriſti regno prophetat: Lætare ſterilis, quæ nō paris, decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filij deſertæ, magis quàm eius, quæ habebat uirū, dicit Dominus. Id eſt, fides Euangelij multo plures generat, & Deo conciliat, quàm Iudaiſmus ſeu lex Moſaica, quæ populi Iudæorum, ſiue ſynagogæ maritus eſt. Nam lex Iudæis tradita eſt. Ro. 3. Cōmiſſa ſunt illis oracula. Lex autem tantum peccatū reuelat, et filios iræ atq; mortis nos eſſe declarat, non conciliat Deo: at fides in Euangelion filios Dei facit, et quæ ſterilis ac infrugifera cenſebatur, uniuerſos credentes gignit Deo. 1. Cor. 4. Per Euangelion

Beatæ ſteriles, &c.

Lætare ſterilis, &c.

Lex Synagogæ maritus.

Iudæi fœcundi. lion ego uos genui. Iudæi itaq; ſenſu allegorico dicuntur fœcundi ac coniugati, quia ipſorum eſt adoptio & gloria, et teſtamenta, & legis conſtitutio, & cultus, et promißiones, quorum ſunt patres, & ij ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem: Roma 9. Rurſus gentes dicebantur ſteriles, orbæ aut deſertæ, quòd legē non accepiſſent, nec promißiones Dei, erant ſine Chriſto, abalienati è re publica Iſraelis, et extranei à teſtamento promißionis, ſpem non habentes, deoq; carentes in mundo. Ephe. 2. Et Chriſtus inquit, alias ſe habere oues, quæ nō ſint ex ouili Iudæorum. Ioan. 10. Itaq; cum uidiſſet propheta gentes ſteriles ac incircumciſas, accerendas olim ad gratiam Euangelij, ait: Lætare ſterilis et orba uiro. Id eſt, populus gentium qui non es ſub lege mariti, nec habes promißiones Dei, gaude inquam, quoniā longe plures erunt tui filij, quàm legalis populi, multo plures per legem fidei in præputio iuſtificabuntur, quàm lege operum in circumciſione. Vide Paulum Gal. 4. interpretem Prophetæ. Vnde Hanna mater Samuelis uidetur idem expreßiſſe. 1. Reg. 2. Donec ſterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata eſt. Eccleſia gentium maior erit Synagoga Iudæorum.

Gentes ſteriles.

Gentium uocatio.

## XXVI.

## Dona et uocatio Dei eiuſmodi ſunt, ut eorum illum pœnitere nō poſſit. Rom. 11.

Pœnitet

# Pœnitet me quòd conſtituerim Saul Regem.1. Reg.15.

*Deus uerax et ipſiſsima ueritas eſt.Ioan.14.ſibi per omnia conſtat,et non eſt,quaſi homo qui mentiatur,nec ut filius hominis ut muteiur Num.23.& agat pœnitentiam.1.Reg.15 Non eſt apud ipſum tranſmutatio.Iaco.1. Vnde itaq; fit, quòd toties dicatur pœnitentia motus? Velut illud Gen.6.Pœnitet me feciſſe hominẽ.Pſal.105. Pœnitet eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ. Hiere.26 Pœnitebit Dominum mali.Hiere 18.Agam et ego pœnitentiam,et hic:Pœnitet me,quòd Saulum conſtituerim regẽ. Fixũ eſt quod Deus ſtatuit. Immutabilis eſt uoluntas eius:Pollicitus eſt bona credẽtibus,qui ſperant in eũ Rurſus mala contemptoribus.Quando autem præſtat quod ſancte promiſit nobis,mutari aut pœnitentia duci uidetur.Nõ poſſumus inſcrutabilia Dei iudicia apprehendere,quia caro ſumus.Si nunc benefacit deinde punit,putamus pœnituiſſe præſtiti beneficij. At ipſe dixit:Si audieritis me,bona terræ comedetis,Quod ſi nolueritis,et ad iracundiam me prouocaueritis,gladius deuorabit uos,quia os Domini locutũ eſt.Ieſa.1. Quando Iſrael audiebat uocẽ Domini Dei ſui,benefaciebat illi iuxta promiſsionẽ ſuã,at quando neglecto uerbo Domini cum dijs gentiũ fornicabatur,gladius perſequebatur eũ & oĩs generis mala,iuxta quod minatus fuerat.In ſumma.Deus bonis bonus eſt,malis malus,Pſal.17.Cũ ſancto*

*Deus immutabilis.*

*Deus bonis bonus.*

*cto ſanctus eris, et cum uiro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerſus eris. Sic per prophetam dixit:* Quicunq; *honorificauerit me glorificabo eum, qui aũt contemnunt me, erũt ignobiles.*

Deum non pœnitet dati.

1.Reg.2. *Dona igitur et uocatio* Dei *eiuſmodi ſunt, ut eorũ Deũ pœnitere non poßit.* Quicquid Deus *ab æter no elegit, uocauit & donauit, ſanctũ & firmum manet, & perire non poteſt* Ioan.10. Non *peribunt in æternũ, & nemo rapiet eas de manu mea.* Promiſit *hæreditatem omnibus poſteris* Abrahæ, *id eſt, omnibus credentibus, quàm etiam præſtabit, et nõ mutabit conſilium, nõ pœ nitebit illum beneficij et promißionum, quia uerax eſt et immutabilis, nobis quidem uidetur mutari et pœnitentia agi in ijs quæ operatur, tamen ſecus habet.* Saulem *impiũ hypocritã reijcit* Deus, *ut ſufficeret* Dauida, *electũ apud* Deum *patrem æterno cõſilio.* Mundus *quando affluebat malitia, ſpreto dei mãdato, extinct9 eſt iuſto dei iudicio,* Noah *cum ſuis ſeruato.* Benefecerat *orbi terrarũ multis ſanè temporibus, at quando ille nõ reſipiſceret, ſed in pe iora ſubinde laboretur uicia, tandẽ extinctus eſt.* Sic *po ſtea cum* Iudæis *actum eſt, audientes uerbum dñi, ſeruati ſunt incolumes, ambulabantq; confidenter: at cũ deſciſce rent ad idola deflectentes, quî non potuit eos perdere ſe cundum uerbum ſuum?* Exo.20. *Viſitans iniquitatem pa trũ in filios, eorũ qui oderũt me, et faciens miſericordiã in multa milia diligẽtibus me, et cuſtodientibus præcepta mea etc.* POENI*tere aũt dicitur* De9 ἀνθρωποπαθῶς

Pœnitere quomodo dicatur Deus.

quando

*quando mutat id, quod fecerat: Nõ pœnitet humano more, ut dolore tãgatur, et diſpliceat quod placuerat prius, ſed mutat factum. Vt qui benefecerat diligentibus ſe, poſtea iiſdem malefacientibus malefaciat, id eſt, puniat aut pdat. Abolet quod ante fecerat, ſicut in cataclyſmo aquarum aboleuit hominem malitia euerſum, et Saulem à regia dignitate deiecit, quia dereliquerat dñm factorẽ eius, et uerba ipſius opere nõ impleuit: regno exuit incredulum hypocritam, mutauit rem præſentem. Non ſic cõſtituerat regem, ut perpetuo regnaret, non elegit ipſum à conſtitutione mũdi, non tribuit dona, quæ perpetuo poſſideret, ſed quæ rurſus impio auferret: ad tempus tantũ, quamdiu adlubebat Deo patri, largitus eſt ſua munera, quæ ubi abuſa fuere ab infideli ſeruo, reuocauit eadem. Sic enim dixerat Samuel: Pro eo quòd abiecisti ſermonẽ meum, abiecit te Dominus, ne ſis rex in Iſrael. 1. Reg. 15. Quæ uerò ante ſecula ſunt præſtituta, quos elegit ab æterno, & effudit in eos dona ſua, ea inquam dona non reuocat, et illorum pœnitudine minimè ducitur. Loquitur itaq; Paulus Roma. 11. de electione Dei æterna, non temporaria, cuius non poterit Deum pœnitere.* *Saul cur reiectus.*

XXVII.

Apud Deum non eſt perſonarum acceptio. Roma. 2.

Ad quem reſpiciam? niſi ad pauperculum et contritum ſpiritu & tre-

mentem ſermones meos. Ieſaiæ.66.

*Deus non eſt perſonarum acceptor.*

*Frequens eſt ſententia in ſcripturis, quòd Deus perſonam minimè reſpiciat.* Deu.10. *Deus magnus et potens qui perſonam non accipit.* Et 2.Paral.19. Non eſt apud *dominum* Deum *noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio.* Ieſa.42. Neq; *accipiet perſonam.* Gala.2. *Perſonam hominis* Deus *non accipit. Idem legis* Ephe.6.Col.3.1.Pet.1. *Quorum uerſuum ſententia eſt.* Deus *neminem reſpicit,* Electis *et timentibus eũ, beneficit ſine perſonarũ reſpectu, quales quales ſint, mares uel fœminæ: potentes uel inopes:* Iudæi *uel* Græci, *cuiuſcunq; cõditionis aut ſtatus.* Cũ *benefico beneficus eſt, cũ puro purus, cũ uiro integro integer.* Pſa 18. *Viciſsim malos odit perdetq́; ſine eorundẽ reſpectu* Pſal.18. Cũ *peruerſo puerti ſoles.* Deus *neminẽ reijcit, q credideri in eũ, ſit quicunq; uel* Iudæus, *uel gentilis, diues ſiue pauper.* Id *quod diuus* Petrus *interpretatur* Act.10. *dũ inquit:* Re *ipſa cõperio, quòd non ſit perſonarum reſpectus apud* Deum, *ſed in quauis gente, qui timet ipſum, et operatur iuſtitiã, is acceptus eſt illi. Similiter* Paulus Rom.10. *Corde creditur ad iuſtitiã, ore aũt confeſsio fit ad ſalutẽ.* Dicit *enim ſcriptura:* Omnis *qui fidit illi, nõ pudefiet.* Non *enim eſt diſtinctio uel* Iudæi *uel* Græci. Nã *idem* Dñs *omniũ, diues in oẽs inuocantes ſe.* Quiſquis *enim inuocauerit nomen* Dñi, *ſaluus erit.* Vides *ad quẽ reſpiciat* Deus *ſua clementia, & quis acceptus ſit illi, nempe qui confidit in eum, qui nomen ipſius inuocauerit, et totus ab eo pendet, nec*

*Deus quos recipiat.*

ſpem

*ſpem ſuam in aliud collocarit: hūc amat et recipit* Deus, *ſpiritumq́; ſuum largitur.* Sicut *in ira & furore reſpicit ac uiſitat impios.* Humilibus *enim dat gratiã, ſuperbis uerò reſiſtit* 1.Pet.5.*Perſonam & laruam externam minimè reſpicit, nec ſecundum uiſionem oculorũ iudicat* Ieſa.11.*ſed fidẽ intuetur.* Hier.5.*Nihil refert quis ſis, modo diligas, et mandata ipſius ſerues.* Fides *te illi cõciliat. non perſona, ætas, natiuitas.* Mat.5. *Beati mundo corde, quoniã ipſi* Deum *uidebunt. Senſus itaq; eſt:* Deus *perſonam non accipit, id eſt, non conſiderat faciẽ hominis, aut externum opus, ſeu ſtatum & conditionem, ætatem, qualitatem uitæ, operis, aut cõſeruationis (hoc enim perſona ſignificat in ſcripturis) ſed cor conſpicit, & renes ſcrutatur, rectè et iuſte iudicans.* Ioã.14.*Qui habet præcepta mea et ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à patre meo, et ego diligam eum, et aperiam ei meipſum.* Ita *etiã, apud* Ieſa.*Reſpiciã ad pauperculũ et contritũ ſpiritu, et trementem ſermones meos qui ſcilicet me diligit, & ad me ſolum reſpicit, non habens ſpẽ quàm in me unico.* Et *Chriſtus* Mat.11. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus & reuelaſti paruulis.* In *ſumma.* Deus *cor intuetur, ſimplicem animũ et candidũ pectus, nõ perſonã, id eſt, externam ſpeciem, opus, hypocriſim. Electos ſaluat: improbos damnat, ſine omni reſpectu.*

*Perſona quid ſignificet.*

XXVIII.

Sanctus ego ſum dicit Dominus, & non iraſcar in perpetuum. Hiere.3.

## Et ibunt ij in ignem æternũ. Mat. 25.

Ieſa. 57. Non in ſempiternum litigabo, neq; uſq; ad finem iraſcor. Pſalm. 102. Miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multum miſericors. Non in perpetuum iraſcetur, neq; in æternum comminabitur. Non ſecundum iniquitates noſtras fecit nobis, neq; ſecundum peccata noſtra retribuit nobis. Quoniam ſecundum altitudinem cœli à terra, corroborauit Dominus miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Vides quibus iraſcatur Dominus, quibus non? Timentibus ac reſipiſcentibus miſeretur, ſicut Maria canit: Miſericordia eius à progenie in progeniem, timentibus eum. Luc. 1. Incredulos magis obdurat. Ioan 3. Qui incredulus eſt filio, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum, Qui agnoſcunt patrem, eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, eorum non poteſt non miſereri, at qui ſaturi erubeſcere neſcierunt, excæcat magis, ut uidentes non uideant. Ieſa. 6. Hæc ſunt Dei iudicia, quæ ſcrutari à nobis piaculum eſt. Audi prophetam, quomodo Deus non iraſcatur perpetuo. Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, et cuſtodierit omnia præcepta mea, et fecerit iudicium et iuſtitiam, uita uiuet, et non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ueſtris, et non erit uobis in ruinam iniquitas. Audis, reſipiſcẽtia, hoc eſt fide placari iram Dei. Et

Deus non iraſcitur in perpetuum

Hiere.

*Hiere.18. Ezech 18. Si pœnitentiã egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam et ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui ut facerem ei, et ſubito loquar de gente & de regno, ut ædificem & plantẽ illud &c. Sic Chriſtus quoq; ait: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illũ, et ſi pœnituerit, dimitte illi Et ſi ſepties in die peccauerit in te, et ſepties in die conuerſus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, remittes illi, Lucæ 17, Iam palam eſt habere illos benignum patrem, qui agnoſcunt peccata ſua et ueniam deprecantur: at qui ſordidi ſunt, et cõtemptores diuinæ bonitatis, ſordeſcant adhuc. Apo.22 donec conſumantur de terra. Qui neſciunt miſericordiam petere, quare miſericordiam conſequerentur? Qui quærit, inueniet, & pulſanti aperietur. Licet uideatur iraſci ad tempus ob peccata populi ſui, nõ tamẽ obliuiſcitur miſericordiæ ſuæ. Aba.3. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Quoties quæſo Iudæis infenſus rurſus placatur, remittẽs offenſam? ne uideretur ꝑpetuo iraſci, et nõ potius ſit placabilis & multæ miſerationis, modo ad ipſum reuertamur. Vt pater corripit filios, ſed non abijcit, imò uirgã, qua caſtigauerat filios ſuos, in ignem proijcit. Iudicabit Dñs populum ſuum, et ſeruis ſuis miſerebitur. Deut.32. Pijs & credentibus erit placabilis: at præfracte impijs iudex ſeuerus, ij nunq̃ patrem agnoſcere uoluerunt, ſed ſemper ſpreuerunt, euntes poſt cogitationes ſuas, illis dicet: Nõ noui uos. Diſcedite à me qui operamini iniquitatem. Matth.7. Et demum ibunt hœdi, id*

*Qui habeant benignum patrẽ, qui iratum.*

di,id eſt malignantes,in ſupplicium æternum,paratum ipſis ab exordio mundi.Iuſti & oues in uitam æternam. Sic enim Deo patri ab æterno placuit dare illis regnum. Luc.12.Impij ne ſemel uoluerunt audire uocem Dei,tam ſuauiter ad regnū et nuptias æterni regis inuitantem,ſed ſpreuerunt,nuncijs profligatis & percuſsis.Non eſt igitur ira Dei,quòd condemnat pertinaciter impios ſed iuſtum iudicium,imò nō tantū iudicium,ſed iuſtitia ſic ab æterno præſtituta. Qui credit in filium, ait Ioannes Baptiſta,habet uitam æternam:qui aūt incredulus eſt filio, non uidebit uitam,ſed ira Dei manet ſuper eum. Ioan.3.

*Iuſtitia dei eſt quod cō demnet impios.*

## XXIX.

## Non Deus diligens iniquitatem tu es. Pſal.5.
## Quem uult indurat Rom.9.

*Deus nō diligit iniquitatem.*

Deus iniquitatem odit,& lege uetuit,nec facit eam, quoniam ſanctus eſt,& ipſa ſanctitas, iuſtus & ipſa iuſtitia,Nec eſt apud Dominū Deum noſtrum iniquitas. 2.Paralip.19. Et quamuis operetur omnia in omnibus, bona ſimul etiam mala,tamen non diligit iniquitatem, ſed odit Pharaonem, Aegyptium ipſe indurauit,ut oſtenderet in eo potentiam ſuam,ederet miracula,et ſuorum fidem confirmaret: ſed quia indurauit,non propterea dilexit eum aut peccatum ipſius, alioqui non aggrauaſſet cor eius, nec ſubmerſiſſet aquis.Iudicium Dei eſt,quòd aliquorum miſeretur, aliquos excæcat, quod adoraue-rimus

*Pharao cur induratus.*

*Iudiciū Dei quod indurat.*

rimus potius, quàm ſcrutati fuerimus. Iuſtum enim & rectum iudicium eius. Pſal. 118. Deus fidelis eſt et abſq; ulla iniquitate, iuſtus & rectus. Deu. 32. Ideò non eſt iniuſtitia apud Deum. Licet ipſi dare cui libuerit, nemini quicquam debet. Licet illi facere quod uult, quia bonus et iuſtus, oculus uerò noſter malus. Mat. 20. Et quamuis induret, excæcet, perdat, mortificet, deducat ad inferos, tamen non diligit, minimè gratam & acceptam habet impietatem: non eſt illi ulla uoluntas, beneplacitum aut affectus in peccato et iniquitate noſtra. Omnia agit, moderatur, & facit ſua prouidentia et conſilio, nō cogitur nobis operum ſuorum rationem reddere. Faciat quod bonum eſt in oculis ſuis.

## XXX.

## Miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Pſal. 144.

## Cui uult miſeretur. Rom. 9.

Maior fœcundiorq; eſt Dei miſericordia atq; bonitas, quàm ut hominū linguis explicari poſſit. Miſericordia Domini plena eſt terra. Pſalm. 32. Circumſpice in omnes angulos terræ, uſq; ad ſidera, nihilq; niſi uberem et meram miſericordiam Domini conſpicies, qua ignoſcit, fouet, protegit & regit omnia. Omnes creaturæ bonitatis et miſeritordiæ diuinæ ſunt participes, niſi ſoli increduli, qui ut minimè agnoſcunt miſericordiam Dei, ita de hac gratia exultare non poſſunt, ſunt enim in regno mortis

*Miſericordiæ Dei immenſitas.*

*Impij miſericordiæ Dei expertes.*

*& principis tenebrarum ſua ſapientia excæcati. Multa flagella peccatoris, ſperantem aũt in Domino miſericordia circundabit. Pſal. 31. Deus effudit bonitatem et miſericordiam ſuam ſuper humiles ſpiritu, ſuper metuentes eum, & qui diligunt ipſum, quos ante tempora æterna præſciuit. Nam quos præſciuit, eoſdem & præfiniuit, quos præfiniuit, eoſdem et uocauit, et quos uocauit, eos & iuſtificauit. Roma. 8. ijſdem miſeretur & benefacit. Deut. 5. Faciens miſericordiam in multa milia diligentibus me, et cuſtodientibus præcepta mea. Dauid orat Dominũ, ne miſereatur impiorum, qui uerbo eius nolunt credere. Pſal. 58. Igitur nemo Deum debitorẽ ſuum accuſet, quòd tui aut aliorum non miſereatur, non diteſcat, non iuuet. Miſeretur enim cui uult Exo. 33. et clemens eſt in quem placuerit. Nihilominus miſericors eſt, etiam ſi tui minimè miſereatur. Si uis tui miſereatur, dilige ipſum ex toto corde. Ille enim Deo placet, cui Deus ipſe placet, inquit Auguſtinus. Et Salomo Pro. 8. Ego diligentes me diligo, & quærentes me. Sis tu quoq; rurſus miſericors, ita enim miſericordiam conſequeris. Matth. 5. Beati miſericordes &c. Hic rurſus iudicium Dei imperſcrutabile adora, quòd miſeretur cuius uult. Nemini quicquam debet. Potius time Deum, & recede à malo. Prouer. 1.*

*Deus quibus miſereatur.*

## XXXI.

**Quiſquis biberit ex aqua quam ego dabo ei, nõ ſitiet in ęternum. Ioan. 4.**

Qui

# Qui me bibunt, adhuc ſitient. Eccleſiaſtici. 24.

*Scriptura diuinitus inſpirata duplicẽ nobis aquã præſcribit, uiuam atq; mortuã, diuinã atq; humanã.* Hier. 2. *Dereliquerunt me fontem aquæ uiuæ, et foderunt ſibi ciſternas diſsipatas, quæ continere non ualent aquas. Viua eſt aqua cæleſtis ſapiẽtiæ Ieſus Chriſtus Dñs noſter, quã qui biberit, nõ ſitiet in æternum. Hic unus eſt fons aquæ uiuæ, qui uiuificat in perpetuũ, nec eſt uita in quoquam niſi hauſerit ex hoc fonte, unde manant flumina aquæ uiuæ.* Ioan. 7. *Fides in Ieſum Chriſtum producit hunc laticem, qui eſt ſpiritus ſanctus, interprete ipſo ſpiritu in prophetis. Ieſaiæ. 44. Effundam aquas ſuper ſitientem, fluenta ſuper aridam. Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, et benedictionem meam ſuper ſtirpem tuã, & germinabunt inter herbas quaſi ſalices iuxta præterfluentes aquas.* Et Ezec. 36. *Effundam ſuper uos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus iniquitatibus ueſtris.* Dicit itaq; Chriſtus: *Qui ex hac aqua quam ego propinaturus ſum, biberit, non ſitiet poſthac unquam. Id eſt, qui credit in me, & ſpiritum meum accipit, non curabit, neq; quæret de alio fonte, ſat habebit, ſi me unũ guſtauerit, ſuauis eſt hauſtus meus.* Beatus uir qui ſperat in eo. *Qui biberit ex aqua mortua, ciſternis diſsipatis, fonte humano, hoc eſt iuſtitia humanitus excogitata, aut terreſtri doctrina, quæ non fluit ex uentre ſpiri-*

*Aqua duplex.*

*Spiritus ſanctus eſt aqua uiua.*

*Doctrina cœleſtis ſatiat ſitim.*

*Humanæ traditiones non pacificant conſcientiam.*

tus ſancti, etiamſi perpetuo ingurgitauerit aquam humanæ ſapientiæ & iuſtitiæ, ſatisfactionum atq; traditionum, tamen nunquam ſatiabitur, redit ſitis ſedata ad tempus tantillum. Hoc uides in iuſtitiarijs noſtris ad extremum affligentibus corpus ſuum multis ſelecticijs operibus, nunquam tamen uere pacantur, ſemper alia atq; alia excogitant opera, quibus ſatisfaciunt pro peccatis, & Deum ſibi concilient. Soli fideles ex iſto fonte uiuo potantes, pacem habent erga Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ro. 5. Vnde Chriſtus Ioã. 7. Qui credit in me, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Fons Iacob ab homine effoſſus, ſedat quidẽ ſitim, ſed externam tantum, non internam, & id quidem ad tempus redeunte ſubinde ſiti. At fons aquæ uiuæ non tantum exterius, ſed etiam interius conſcientiam ſatiat, & ſitim reſtinguit. Is eſt ſenſus uerbi Chriſti. Ioa. 4. At quòd Ecclesiaſt. inquit, ſitituros amplius qui bibunt de fonte iſto, ſic accipe. Fideles quamdiu in carne uiuant, ſemper ſitire iuſtitiam, præterea nihil. Sitient adhuc, id eſt, pergent in cognitione Chriſti, de fide in fidem, de gloria in gloriam, de uirtute in uirtutem, et magis eſurient panẽ, qui de cœlo deſcendit, & ſitient aquam cœleſtis ſapientiæ. Vt ſic iuſtus iuſtificetur magis, & ſanctus ſanctificetur adhuc. Apo. 22. Omni enim habenti dabitur. Et oĩs palmus, qui fert fructũ purgabitur, ut fructũ copioſiorem afferat. Ioan. 15. Sancti ſemper ſitiunt iuſtitiam Dei, nunquam non cupiunt eſſe cum Chriſto, non quærunt alium

Ieſaiæ 58.

Fons Iacob non reſtinguit internam ſitim.

ſerua-

ſeruatorem quàm unum Ieſum Chriſtum. Illuminati enim guſtauerunt donum cœleſte, & participes facti ſpiritus ſancti, guſtauerunt bonum Dei uerbum ac uirtutes futuri ſeculi, unde fit ut iſthac aqua contenti aliunde nolunt ſaturari, hanc aquam ſitiant perpetuo, præterea nullam. Inuitantur enim huc ſolum, cum audiunt: Si quis ſitit, ueniat & bibat. Ioa. 7. non inquit, bibat ex fonte Iacob, ſed bibat ex me, hoc eſt, credat in unigenitũ filium Dei, et habebit uitam æternam. Semper eſuriunt et ſitiunt fideles, cupiunt eſſe cum Chriſto. 2. Corint. 2. & Philip. 1. Quia uidemus nunc tantum per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. 1. Corint. 13. Tunc ſimiles ei erimus, & uidebimus eum ſicuti eſt. 1. Ioan. 3. Huc properant & anhelant pauperes ſpiritu, hæc eſt fames aut ſitis ſpiritualis, de qua etiam Dauid: Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea &c. Pſal. 41.

Chriſtus uocat ad ſe ſitientes. Ieſa. 55.

## XXXII.

## Deum nemo uidit unquam. Ioan. 1. Vidi Dominum facie ad faciem. Geneſis 22.

Dei eſt tanta maieſtas & claritas, ut eam nulla caro inſpicere queat, nulla ratio cõprehendere, nullus intellectus emetiri, et ut Paulus ait: Oculus non uidit & auris non audiuit, et in cor hominis nõ aſcenderunt. Velut noctuæ & ueſpertiliones ſolis radios contemplari minime

Deum nemo uidit unquam.

*me poſſunt, ita quoq; noſtra cæcitas (qui ſumus in denſiſ ſimis tenebris et umbra mortis) clariſsimum lumen diui-næ maieſtatis cernere nec poteſt, præ horrendis oculo-rum noſtrorum nebulis.* Solus enim Deus *habet immor-talitatem, lucem habitans inacceſſam, quem uidit nemo hominum, neq; uidere poteſt* 1.Tim.6. Nam *cæci cum ſi mus, qui uideremus lumen uitæ?* Et *quando ille habitet lumẽ inacceſſum, quõ uiſu noſtro tenebris obuoluto pene traremus ad ipſum? ſumus abſq; luce & extra cognitio-nem* Dei, *ideo cernere non poſſumus tantam claritatem incõprehenſam carni.* Non *comprehendunt tenebræ lu-men.* 1.Ioan.1. Cupijt Moſe *uidere gloriã* Dei, *at reſpon ſum accepit:* Non *poteris uidere faciem meam, non enim uidebit me homo & uiuet.* Exo.33. *In ſumma.* Dei *natu-ram & ſubſtantiam non uidit ullus homo.* Atq; *aliqui ſanctorum ſe* Dominum *uidiſſe dicunt, nõ ipſam deitatẽ & maieſtatem inuiſibilem conſpexerunt, ſed tantũ ima-ginem alienam, qua ſe* Deus *reuelauit, tecta diuinitatis forma, aut guſtum aut ſpecimen gloriæ ſuæ exhibens.* Sic Iacob *angelũ* Dei *uidit, cum quo etiam luctabatur.* Gen. 32. Et *de quo poſtea dixit:* Vidi Dominũ *facie ad faciem id eſt,* Deus *ſe mihi reuelauit uerbo ſuo per angelũ.* Sic Abraham, Moſe, Ioſue, Hiob, Ieſaias, Micheas, *atq; alij uiros angelicos coram ſe ſtantes uiderunt & audierunt aut certe reuelationem cœleſtem, at ſubſtantiam* Dei *uel ipſum* Deum *minimè conſpexerunt.* Chriſtus Ieſus *uerus* Deus *et homo cõuerſabatur in terris.* Deum *nemo uidit*

*Deus inuiſibilis.*

*Sancti quomodo Deũ uiderint.*

*unquam*

*unquam per ſuam naturã, carne et ſanguine, ſpiritu autem & fide cernitur (quia ipſe ſpiritus eſt) ſi Euangelio credimus. Vnde Paulus: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte, tunc uero cognoſcam quemadmodũ cognitus ſum. 1. Co. 13. Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniã uidebimus eũ ſicuti eſt 1. Ioan. 3. Nunc fide tantũ per uerbũ eius cõſpicitur. Verbum enim, id eſt, filius Dei ſapientia Dei, eſt ipſiſſima facies et imago, qua cernitur deus: alia ratione non uidetur in hoc ſeculo. Colo. 1. Qui eſt imago Dei inconſpicui, primogenitus uniuerſæ creaturæ, quòd per illum creata ſint omnia, quæ in cœlis ſunt & quæ in terra, uiſibilia et inuiſibilia. Heb. 1 Per quem ſecula condidit, qui cũ ſit ſplendor gloriæ, & expreſſa imago ſubſtantiæ illius, moderaturq; oĩa uerbo potentiæ ſuæ &c. Et Chriſtus ait. Ioan. 14. Philippe qui uidet me, uidet et patrem meum, quaſi dicat: Ego ſum facies et imago Dei, ſum uerbum Dei. Itaq; qui uerbũ meum audit et credit, ille Deũ audit et uidet. Igitur in ſolo Chriſto uidetur Deus. Sic Ioan. ait: Vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Ioan. 1. Habes quomodo patres uiderint olim Deum, per uerbum et promiſſiones ſuas, quas fide apprehenderunt. Ita interpretare ſcripturas ſcripturis.*

Verbũ eſt facies & imago Dei.

XXXIII.

Deus neminem tentat. Iacobi. 1.
Tentauit Deus Abraham. Gene. 22.

*Magnam*

Magnam diſcordiæ ſpeciẽ hi duo uerſus habent, multisq; occaſionem dederunt reijciendæ epiſtolæ Iacobi, q, cum reliqua ſcriptura pugnet. At facilime componemus, ſi duplicem ſciuerimus eſſe tentationem, Dei uidelicet et carnis noſtræ. Tentat nos Deus, et tentat nos caro noſtra Deus tentat cruce, pſeudoprophetis, fame, bellis, igne, aqua, morbis, afflictionibus, perſecutionibus, et mille periculorum aduerſitatumq; generibus, ut fidem noſtram exploret, an in fide Dñi noſtri Ieſu Chriſti, in cõfeßione nominis eius, in bono, quod ipſe in nobis cœpit, perſeuerare uelimus. Multi enim tentationis tempore recedunt, cũ paulo grauior oborta fuerit afflictio. Velut nos ipſos qui ſimus intus & in cute pernoſcamus, qui nunquàm melius inbecillitatem, hypocriſim, et ingenium noſtrum experimur, quàm in tentatione et cruce. Præterea ut animi noſtri ſynceritas alijs quoq; manifeſta fiat. Sic tentauit Deus Abraham. Gen. 22. Cum unigenitum iußiſſet in holocauſtum offerre. Tentauit inquam, ut Abrahæ fides innoteſceret, et uelut aurum igne examinaretur. Exo. 16. Dixit Dominus ad Moſen: Ecce ego pluam uobis panem è cœlo, & egredietur populus, et colliget de die in diem, ut tentem eum, utrum ambulat in lege mea, an nõ. Hæc tentatio quoq; ad populi explorationem facta eſt, num legi diuinæ parere uellet, nec ne, ut palàm eius fides aut infidelitas emicaret. Sic Deu. 8. Memento omnis uiæ tuæ, per quã ambulare te fecit dominus Deus tuus, iam quadraginta annis in deſerto, ut affligeret te, ut tentaret

Duplex tẽtatio, dei et carnis.

Deus quomodo tentet.

*táret te, ut ſciret quæ ſunt in corde tuo, utrum cuſtodires præcepta eius, an non. Afflixit te, et eſurire te fecit, et comedere te fecit* Man, *quod non cognouiſti, nec cognouerunt patres tui, ut cognoſcere faceret te, q̃ nõ in ſolo pane uiuit homo, ſed in omni uerbo quod egreditur de ore* Dei. *Hic rationem adfert ſcriptura, quare deus tentat populum ſuũ, ut cordis affectus reuelentur, num in* Dei *uia permanere aut deflectere uelim. Quemadmodũ et* Deu. 13. *Si ſurrexerit in medio tui propheta, uel ſomnians ſomnium, & dederit tibi ſignum uel portentum.* Et *uenerit ſignum & portentum, quod locutus eſt tibi dicendo, eamus poſt* Deos *alienos, quos non noſti, & colamus eos.* Non *obedies uerbis prophetæ illius, uel ſomniatoris: quia tẽtat uos* Dominus Deus *ueſter, ut palàm fiat, utrũ diligatis* Dominũ Deum *ueſtrum toto corde, et toto anima ueſtra.* Permittit *& quandoq; excitat* Deus *falſos prophetas et hæreticos ad* Eccleſiæ *ſuæ explorationem, ut palàm fiat qui boni aut mali, conſtantes aut hypocritæ: triticum uel paleæ: prudentes uel fatui: aurum uel ſtipula.* Tentatio *prodit cuiuſq; cordis affectus, uelut etiam diuus* Paulus *ſubſcribit.* 1. Cor. 11. Oportet *& ſectas in uobis eſſe, quò qui probati ſunt, manifeſti fiant inter uos.* Permittit *nonnunquàm* Deus Sathanæ *nobis illudere, ſicut* Hiobem *paſſus eſt affligi.* Eiuſmodi *tentationem in* Dominica *oratiõe deprecamur:* Et *ne nos inducas in tentationem.* De *hac tentatione ad initium ſui epiſtolij* Iacobus *ſcripſit:* Omne *gaudiũ exiſtimate fratres mei, quum in ten-*

Hæreſes ad electorum probationẽ à Deo permittuntur.

*in tentationes incideritis uarias, illud ſcientes quòd probatio fidei ueſtræ parit patientiã.* Et: *Beatus uir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam promiſit* Dominus *his, qui diligũt eum.* De *eadem tẽtatione* Petrus: *Nunc ad breue tẽmpus afflicti uarijs tentationibus, ſi opus ſit: ut probatio fidei ueſtræ multo precioſior auro, quod perit, & tamen per ignem probatur, reperiatur in laudem &c.* 1. Pet. 1. *Vtiturq́; ſcriptura apta & eleganti metaphora: uelut enim aurum & argentum igne probatur & expurgatur, ita homines receptibiles in camino humiliationis.* Eccleſi. 2. *Fidelis autem* Deus *qui nõ ſinit nos tẽtari ſupra id quod poſſumus, imò faciet unà cum tentatione euentum, quo poßimus ſufferre.* 1. Cor. 10. *Altera uero tentatio carnis eſt malitia illa & prauus affectus, qui nobis à natura inhæret: eſtq́; planè illud nihil niſi originale peccatum. Senſus enim et cogitatio humani cordis, in maiũ prona ſunt à iuuentute ſua.* Gen. 8 *Et caro ſemper concupiſcit aduerſus ſpiritum.* Gal. 5. *Nihil eſt in carne noſtra bonum. Affectus carnis mors eſt, et inimicitia aduerſus* Deum: *nam lege* Dei *nõ ſubditur. Hæc carnis noſtræ concupiſcentia, quam* Sathan *miris ſuggeſtionibus inflãmat, ut ad infidelitatem, blaſphemiam diuini nominis, contemptum* Euangelij *et proximi odium, ad quæuis mala feramur, nos tentat, titillat et ad delinquendũ propellit. Carnis ergo noſtræ affectu, maloq́; genio ad peccata rapimur, & tentamur: et de hac poſteriori tentatione ſequen-*

*Tẽtatio carnis quæ ſit.*

*quentibus uerbis Iacobus agit, ut orationis conſequentia declarat: Deus intentator eſt malorũ, ipſe enim neminem tentat. Vnuſquiſq; uero tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus &c. Id eſt, Deus non eſt ſcelerũ authòr, non tentat in malum, ut in illũ culpam reijcere uelitis. Caro ueſtra peccatrix & praua concupiſcentia illicit ad mala. Vos ipſos accuſate, non deũ. Deus tentat quidẽ, ſed nõ ut malũ perpetreris, ſed ut probatus fias. Affectus uero carnis ad ſcelera, quæ Sathan ſuggerit, tentat, adigitq;. Si ad hunc modũ intentationẽ Dei à tentatione carnis diſtinxeris, nihil diſſidere hos uerſus actutũ inuenies.*

XXXIIII.

## Oculum pro oculo, dentẽ pro dente. Exod. 21.

## Si quis te percuſſerit in dextrã maxillam, præbe ei & alteram. Matt. 5.

*In lege permittebatur lex talionis, nõ tamen propria temeritate agebatur, ſed ad iudices, diuina ordinatione conſtitutos, deuoluenda erat cauſſa: qui iudicabant cauſã cognita, iuxta ueritatem: illis demandatum erat diſcernendi officiũ, et iuxta legis præſcriptũ pronunciare ſententiam. Nemini licebat ſeipſum ulciſci & uindicare de aduerſario. Scriptum enim eſt: Mihi uindictam & ego retribuam Deut. 32. Et quicunq; effuderit humanũ ſanguinẽ, fundetur ſanguis illius Gen. 9. Et ne dicas, quemadmodum fecit mihi, ſic faciam ei. Reddam unicuique* Lex talionis. Iudicũ officium: uindicta prohibita.

Magiſtratui licet uindicare.

ſecundum opera ſua. Prou. 24. Porrò magiſtratibus authoritate diuina conueniebat iudicare et uindicare iniuriam ſubiecti populi, & in cauſſa diſcernere, ſepoſitis ſuis affectibus, ut qui alteri dentem excuſsiſſet, pateretur ſententia legis et ipſe dentem euelli: qui oculum eruiſſet, lueret pœnam oculi: quiſq; reus et culpæ conuictus redderet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, uulnus pro uulnere, liuorem pro liuore. Exod. 21. Deut. 19. At Chriſtianis à lege liberis, qui ſpiritualis ſunt populus, omnis iniuria & ultio prohibita eſt, et præcepta patientia. Non licet ipſis iudicio contendere, more gentium, et perpetuo odio uindictæ ſtudio rixari, ſed ferre iniuriam, quod interpretatur Chriſtus. Matth. 5. Luc. 6. Vnde Paulus, omnino delictum in uobis eſt, quòd lites habetis inter uos inuicem. 1. Cor. 6.

Chriſtianis mãdata eſt tollerantia.

XXXV.

## Non reſurgent impij in iudicio. Pſalmo. 1.

## Omnes quidẽ reſurgemus. 1. Cor. 15.

Non loquitur Propheta primo Pſalmo de reſurrectione nouiſsima, quæ fiet in conſumatione ſeculi, ubi Chriſtus Ieſus cum hortatu, & uoce archangeli, ac tuba Dei deſcendet de cœlo, & apparebit in gloria maieſtatis ſuæ iudicaturus uiuos & mortuos: Tum enim omnes cum pij, tum impij reſurgent ad iudicium, ut reportet unuſquiſq;

Reſurrectio nouiſſima.

quiſq; ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, ſiue bonum ſiue malum. 2. Cor. 5. De qua reſurrectione diſſeruit copioſe Paulus. 1. Cor. 15. & 1. Theſſ. 4. Dauid uerò confert hoc loci pium cum impio, commendans uirtutes iuſtorum, ait: Et folium eius non defluet, & omnia quæcunq; faciet proſperabuntur, ſuccedent fœliciter. Mox uerò pulchra antitheſi, impij mala et fortunā recenſens, ſubdit: Noc ſic impij non ſic, id eſt, non proſperabuntur in omnibus operibus & ſtudijs ſuis, uelut pij, qui in lege Domini meditantur die ac nocte, ſed erunt tanquam puluis, quem proijcit uentus à facie terræ. Propterea nō perſiſtent impij in iudicio, et peccatores in cœtu iuſtorū, nō perſeuerabunt in functione iudiciaria, non erunt perpetui in officio, in magiſtratu, in adminiſtratiōe iudicij, hoc enim ſignificat iudicium hoc loci: ſed excindentur, ſicut Saul et Ieroboam cum poſteritate exciſi ſunt, Dauid uerò pius in ſemine ſuo regnauit, & perdurauit perpetuo. Impij autem diſpergentur uelut paleæ leuiſſimæ, quia in impietate ſua ſubmerſi, uero iudicio carēt, quo perpetuo etiam carebunt, dum ſua ſomnia, traditiones humanas ſequuntur, lege Domini contempta. Deinde etiam nō reſurgent in iudicio, dum uerbo Domini dijudicari cœperint, minimè reſipiſcunt, ſed turbata conſcientia fugient à facie terræ, nolūt ſua damnari, et ubi audiunt ſe cōdemnari uerbo Domini, furiunt inſani, nolunt audire ſanam doctrinam, ſed blaſphemant eam & perſequuntur inſtar canum & porcorum, mallent extinctum. Quod uides in

Impij non reſurgent in iudicio, quomodo intelligendum.

pertinacibus Phariſæis quantum tumultuentur aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius, coeunt, conſultant, & nihil non tentant, quò gloriæ ipſorum nihil decedat, ut pereat Chriſtus, et permaneat quæſtus, potius cœlum terræ miſcerent, quàm ſinerent ſua damnari. Hoc dicit nunc Pſalmographus: Impij non ſurgunt & aſcendunt in iudicio, ſed iacent & perdurant in ſua cæcitate, nolunt ferre iudicium ſpiritus, dum interim ſancti libenter patiuntur omnes iuſtitias ſuas condemnari, ſoli impij refragantur. Demum ſi omnino uelis ad extremum iudicium referre (quod tamen minimè licebit, quando euidentior ſit, eo Pſalmo Prophetam nihil de extremo iudicio dicere) ſic interpretare: Non reſurgent impij in iudicio, & iuſtitia, uelut pij, ſed in iniquitate ſua reſurgent, neq; in concilio iuſtorum, ſed condemnatorum corona, cum quibus ibunt in ignem æternum.

XXXVI.

Vade ad formicam ò piger, conſidera uias eius, et diſce ſapientiam, quę cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat. Pro. 6.

Ne ſoliciti ſitis animæ ueſtræ quid manducetis, neq; corpori, quid induamini.

duamini, Matthæi 6.

*Minimé pugnant & iſtæ duæ ſententiæ, nam Chriſtus laborem non prohibet, ad quem hic Salomon hortatur, ſed curam et ſolicitudinem uetat. Laborandum enim eſt iuxta uocem diuinam. Gene. 3. In ſudore uultus tui &c. Sed cura Dei committenda, qui dat incrementum & paſcit nos, benedicens laboribus noſtris. Nam ſola benedictio Dei diuites facit. Pro. 10. Ipſi cura eſt de nobis. 1 Pet. 5. Nobis expedit in uerbum ipſius reſpicere, & uocationem noſtram, qui ad laborem creati ſumus, haud negligere Id quod in formica uidemus, quæ cum nec præfectum nec ducem habeat, tamen æſtate cibum parat, id enim oportuniſsimum iſti animalculo laborandi tempus, et colligit in meſſe alimentum, nimirũ intelligens ſe ad hoc creatam. Ita tibi agendum, quando per occaſionem licet, ſollicitudine Deo commiſſa. Damnat enim ubiq; ſcriptura ſternutãtes ocioſos, ἐργομισοῦς, et Paulus inordinatos uocat qui minimé laborant. 1. Theſ. 3. Nam egeſtatem adfert manus ocioſa, ſed manus ſedulorum ditat. Pro. 10. Qui exercet agrum ſuum, ſaciabitur pane. At qui ocio indulget, egebit, Pro. 28.*

*Labor præcipitur, cura prohibetur.*

*Inordinati ocioſi.*

XXXVII.

Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos, Zach. 1.

Nemo uenit ad me, niſi pater meus

traxerit eum, Ioan. 6.

*Lex impoſſibilia præcipit.*

*Legis uox eſt, cum ait* Dominus *exercituum: Conuertimini ad me, exigens à nobis maiora quàm poſſumus, declarans quid facere debeamus: nempe ad* Dominũ *conuerti. Sed unde quimus? non mox potero centum aureos depromere, etiam ſi iubeat* Papa, *nec facile imperabis ſurdo ut audiat, etiam ſi præceptis obtundas.* Lex *ſublimiora requirit, quàm præſtare poßimus: impoßibilia exigit, ut ferociam noſtram aliquantiſper domet, uelut equus freno cohibetur: peccatum ſaltem oſtendit, nõ præſtat uires faciendi bonũ, nam id ſpiritus eſt officium: nihil itaq; promouent uires humanæ atq; uniuerſum lib. arb.* Nemo *cõuertitur ad* Deũ, *niſi tractus ſpiritu* Dei. Sic Hieremias: *Caſtigaſti me* Domine, *& eruditus ſum quaſi iuuenculus indomitus. Conuerte me, et conuertar, quia tu* Dñs Deus *meus. Poſtquàm enim conuertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percußi femur meum. Confuſus ſum, et erubui etc.* Hier. 31. Audis *prophetam interpretem, non poſſe hominem conuerti ad* Deum, *niſi* Dominus *ipſe conuerterit eum.* Id *eſt, neminem uenire ad patrem, niſi per* Chriſtum, *rurſus nullum poſſe ad* Chriſtum *uenire, niſi trahente patre.* Ioa. 6. Non *enim uolentis eſt, ſed miſerentis* Dei. Ro. 9. Lex *nõ confert gratiam faciendi bonum, ſed tantum iubet.* Euangelion *uero adfert ſpiritum, quo raperis ad bona.* Lex *peccatum oſtendit, et iram operatur.* Euangeliõ *peccata remittit, et pacem ſecum aduehit.* Lex *urget,* Euangelion

Vide Doc. M. Lutherum *de ſeruo arbitrio.*

*uires ſuppeditat. Ita uides Chriſtum exponere prophe-tam, & nihil diſſenſionis intereſſe.*

XXXVIII.

Qui diligit iniquitatem, odit animã ſuam. Pſal. 10.

Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in uitam æternã cuſtodiet eam. Ioan. 13.

*Supra diximus, Deum nõ eſſe iniquum, ſed iuſtum, & prohibere iniquitatem, non fouere. Qui itaq; iniquitatem amant, ex* Deo *non ſunt, ſed ex diabolo.* 1. Ioan. 3. Deus *iniquitatem non uult, ſed odit.* Igitur *qui iniquitatem diligunt,* Deum *habent odio, et ſuam ipſius ſalutem contemnũt.* Iniquitas *enim, perpetrata ſeu amata ſaltem, nemini plus obeſt quàm propriæ ſaluti, nam ad mortem trahit.* Auctoramentum *enim peccati mors.* Ro. 6. *Senſus itaq; eſt:* Qui *iniquitatẽ amplectitur, non cupit ſaluare, ſed magis perdere animã ſuam.* Niſi *quòd in* Hebræo *aliter legitur, admonentibus doctis quibuſdã uiris, olim præceptoribus meis unicè ſuſpiciendis, de repub.* Chriſtianorum *benemeritiß. ſcilicet:* Impium *et diligentẽ iniquitatẽ, odio habuit anima* Dei, *hoc eſt,* Deus *odit impios et iniquos, ſicut* Pſa. 5. *dixit:* O*diſti oẽs qui operantur iniquitatẽ.* Porrò *et alterũ in* Euangelio *locum, cum quo pugnare uidetur, quoq; uideamus.* Qui *odit animã*

ſuam in hoc mundo, in uitã æternã cuſtodiet eam. Quo-
modo iſta conueniunt? In is odit animã ſuam, qui diligit
iniquitatẽ? quõ igitur in uitam æternam conſeruabit eã?
Prior locus ſatis excuſſus declarat iniquos ſalutem ſuam
ſpernere, dũ non timent Deũ, et præcepta eius negligũt,
dum pluris curant iniquitatem, q̃ æquitatem et iuſtitiam.
Odiſſe animam in Euangelio, eſt uitam cõtemnere pro-
pter regnũ Dei, abnegare ſemetipſum, diffidere de iuſti-
tia propria, renunciare omnibus, quæ nos reuocant à
regno cœlorum, & ſoli uerbo Dei et diuinæ miſericor-
diæ inniti, ferre crucem et afflictiones propter Euange-
lion, ſic itur ad aſtra, ſic per mortem tranſimus ad uitã,
dum animã noſtram perdimus in hoc ſeculo. Id eſt, abne
gauerimus & mortificauerimus totum ueterem Adam,
nihil iuſtitiæ ponimus in nos ipſos, ſed in ſolo Deo ſpera
mus, ualedicimus omnibus diuitijs, amicis, uoluptati, mũ
do, uitæ, et quicquid charũ eſt in mundo propter Euan-
gelion, libẽter mortẽ patimur, ſi uelit Deus pater, Iſtud
eſt animam odiſſe et perdere, pietatis cauſa. Qui ad eum
modũ odit et pdit, in uitã æternã conſeruabit eam. Rur-
ſus qui amant animã ſuã in hoc ſeculo, perdent eam, Hoc
eſt, q ſua quærũt, gloriã, honorẽ, diuitias, cordis deſide-
rio acquieſcentes, crucem fugientes, ſolam cuticulam curã
tes, ea quæ in mundo ſunt ſectantes, ij perdituri ſunt ani-
mam ſuam, damnabuntur, et non habebunt ſpem in Deo
ſalutari. Iniqui odiunt animã non propter iuſtitiam, ſed
propter iniquitatem, dũ nullã ſalutis ſuæ rationẽ habẽt,

Odiſſe animam.

Amare animam.

ſine

ſine metu Dei uiuũt, uentri, ocio, uoluptati ſtudẽt, et carnis affectibus indulgẽt. Vt intelligas aliud eſſe odiſſe animã propter regnũ cœlorũ, et aliud odiſſe naturali ingenio, malitiæ, uentris aut iniquitatis ſtudio. Impij dicuntur animam odiſſe, quia negligũt animæ ſalutem, nõ curant Deum. Pſal 13. Dum pij Euangelij cauſa faſtidiunt mundũ, et de ijs loqtur Euãgeliũ: de alteris Pſalmographus.

XXXIX.

## Omnis homo mendax. Pſalm. 115. Non eſt in ore ipſorum inuentum mendacium. Apoca. 14.

Paulus primis tribus capitibus Epiſtolæ ad Romanos pluribus uerbis aperit, omnes homines eſſe peccatores, cum gentes, tum Iudæos. Senſus enim & cogitatio humani cordis, in malũ prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Gen. 8. Et quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Pro. 20. Si dixerimus, peccatum non habemus, noſipſos fallimus, & ueritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt et iuſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, et emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, non peccauimus mendacẽ facimus eum, et ſermo eius nõ eſt in nobis. 1. Ioã. 1. Quid multis? Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Eccl 7. Omnes declinauerũt, et inutiles facti ſunt. Pſal. 13. Natura noſtra in uniuerſum corrupta eſt, et peccatrix: ſumus omnes filij iræ. Eph. 2 et comdemnati, niſi

Omnes ſumus peccatores.

Fides tollit peccata.

Ieſus Chriſtus eripuerit nos ab hac internitione. Sola fides in Chriſtũ abluit peccata, & emundat nos ab omnibus delictis. Sanctis igitur ob fidem peccata nõ imputantur. Pſalm.31. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus uir cui non imputauit Dominus peccatum. Roman.8. Nulla condemnatio his, qui inſiti ſunt Chriſto. Antequam Euangeliõ regni Dei fide arripuimus, eramus filij tenebrarum & immundi. At poſtquam credidimus Euangelio, ſanctificati ſumus, abluti & iuſtificati. Ioan.15. Iam uos mundi eſtis, propter ſermonem quem locutus ſum uobis. Actor.15. Fide purificans corda eorum. Ita quoq; illi, de quibus Ioannes in Apocalypſi.14. mundi et ſancti ſunt ex fide, Domino remittente peccata, quia ſequuntur agnũ quocunq; ierit, & empti ſunt ex omnibus primitiæ Deo & agno, & in ore eorum non eſt inuentum mendacium, ſine macula enim ſunt ante thronũ Dei. Etiam ſi aliquando peccauerint, nunc tamen amicti albis ſtolis (Apoc.7.) Id eſt fide purificati, induti ſunt indumento iuſtitiæ, & ſunt ſine macula ante thronum Dei. Dominus ſanctificauit eos, & purificauit ab omni macula, ob id dicit: In ore ipſorum non eſt inuentum mendacium.

Sanctificatio noſtra unde.

## XL.

## Chriſtus uetat iraſci. Matth. 5. Dauid ait: Iraſcimini. Pſal. 4.

Iracundia prohibita.

Rectè prohibet Chriſtus iracundiam, quæ ex malo

fonte

*ſonte promanat, id eſt, erumpit ex maligno pectore, impura carne, qua pertinaciter faſtidimus fratres noſtros, & in contemptũ ipſorum prorumpimus, ut reſpuamus omnino.* Hoc *aũt facit, ut ad charitatem et miſericordiam prouocet.* Q*ui enim nõ diligit fratrem, manet in morte.* O*mnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* 1. Ioa. 3. V*nde* E*ccleſiaſtes cap.* 7. N*e ſis uelox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit.* Et Pro. 19. M*agna ira detrimentum adfert, niſi coerceatur.* Pro. 27. C*rudelis eſt iracundia et ira etc.* I*gitur omnino non uult* D*ñs talem incandeſcentiã, ſed magis miſericordiam, quæ præſtat ſacrificio.* A*t* ꝙ P*ſalmographus ait:* I*raſcimini, ſed non peccetis, nõ repugnat priori uerbo* C*hriſti, hoc enim uult dicere propheta:* S*i contingat fragilitate humana prolabi in iram, da operã ne pecces, ne carni cedas, ne frenũ laxaueris: ſed cohibe, ne in peccatũ et nimiũ furorẽ effluat ira, ne uideare charitatis oblitus.* E*ph.* 4. S*ol non occidat ſuper iram ueſtram, ne detis locum calumniatori.* E*t paulo poſt.* O*mnis amarulentia, et tumor, et ira, et uociferatio, & maledicentia tollatur à uobis cum omni malitia.* Ro. 12. N*e detis locũ iræ.* I*raſcebatur* C*hriſtus aliquoties iuſta cauſſa in cæcos* P*hariſæos, impios & pertinaces* I*udæos, ſed tamen nõ erumpebat in peccatum.* 1. Pe. 2. Q*ui peccatũ non fecit, nec eſt dolus repertus in ore eius.* S*ancti pluries iraſcebantur, tamẽ citra peccatum, quando in perſecutores, blaſphemos, et uiolentos inuehebantur, & dolebant ueritatẽ calumniari atq; opprimi.* V*erũ id offi-*

*Iraſcimini & nolite peccare.*

*Ira ſanctorum.*

cij et charitatis erat, quæ iraſcitur, ſed nō peccat. Poſtremo zelus eſt, non odium, quando charitas arguit errantes. Pro.27. Melior eſt manifeſta correctio, quàm clandeſtina dilectio, Ma.18. Si peccauerit in te frater tuus, argue eum etc. In ſumma duplex eſt ira, fidei et carnis. Fidei eſt, quæ fit ex officio, qualis eſt prædicatorū, parentum aut magiſtratuum, uel ſpiritualis zelus piorum, de qua Dauid: Iraſcimini etc. Carnis eſt, faſtus, contumelia & contemptus: ac priuata iracundia, de qua Chriſtus.

## XLI.

## Sine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Ioan. 1.

## Non eſt creata hominibus ſuperbia. Eccleſiaſt. 10.

*Verbū Dei eſt æternū & Deus ipſe.*

Probauit diuus Ioannes, initio hiſtoriæ Euangelicæ uerbi Dei æternitatem, et diuinitatē, quod illud uerbum fuerit in principio ante omnes creaturas, et ſit deus ipſe, ac ſit ex creaturis factus, ſed creator & factor omnium. Vnde ait: Quicquid factum, aut creatum eſt, autore iſto uerbo conditum eſt, nihil quod factum eſt, citra illud ipſum uerbum creatum eſt. Omnia per ipſum facta ſunt, omnia iſthoc uerbo moderantur, portantur et reguntur. Subtrahe uerbū Dei, et nihil conſtabit, omnia corruent in unum chaos. At quòd Eccleſiaſticus inquit ſuperbiā non eſſe hominibus creatam, rectè dicit. Deus enim odit peccatum, et lege lata interdixit, quare ergo creaſſet ſuperbiam

*perbiam homini? Non eſt iniquitatum conditor. Irrepſit illa, non authore Deo, ſed diabolo. Condiderat Deus per uerbũ ſuum uniuerſa opera ſua ualde bona. Gen. 1. nec ſuberat quicquàm mali. Hominẽ quoq; fecit rectũ: ipſe uerò ſe infinitis miſcuit quæſtionibus. Eccle. 7. Superbia nõ eſt Dei opus, nec enim uerbo Dñi creata eſt, ſed Sathanæ inuentum, qui primus hac intumuit, & proiectus eſt in terram. Apoc 12. De illo proſerpſit malum in uniuerſum genus humanum. Hanc non condidit Deus, non eſt ex creaturis Dei. Quicquid à Deo factum eſt & omnis creatura Dei per uerbum quod eſt ueritas, cõditum eſt. At ſuperbia non eſt ſancita uerbo Dei, non eſt creatura, ſicut nullum peccatũ creatura eſt. Nam Deus nõ eſt conditor peccati, ſed Sathanas lapſus à ueritate in mendaciũ fons eſt peccatorũ. Ioan. 8. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non ſtetit, quia non eſt ueritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, atq; eius rei pater. Eccl. 10. Initium omnis peccati eſt ſuperbia. Initiũ ſuperbiæ hominis eſt apoſtatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illũ, receſſit cor eius. Velut igitur Deus mortẽ uerbo ſuo non fecit. Sap. 1. ita nec ſuperbiam condidit per uerbum ſuum, ſed ipſa è Sathana emanauit in orbem terrarum, è quo tanq̃ è pelago profluxit quicquid uſpiã eſt peccatorũ. Ipſe enim eſt lerna et ilias malorum, rex ſuper uniuerſos filios ſuperbiæ. Hiob. 41.*

Superbia nõ eſt creatura Dei.

Sathanas ſuperbiæ antiſtes.

XLII.

# Neſcit homo, utrum amore, aut o-

*dio*

dio dignus ſit. Eccleſiaſtes 9. Depoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. 2. Timoth. 4.

*Ambuſi ſunt iniquiſsime hoc Eccleſiaſtæ loco male feriati ſophiſtæ, quod incertus ſit homo Chriſtianus ſuæ ſalutis, an gratus ſit Deo, nec ne: placeat Deo, ſiue nō. Quod tamen nequaquā agit Eccleſiaſtes, Nō enim de conſcientiæ iudicio loquitur. Nam quis neſcit ſe odio dignū, quū deliquerit? Quis ignorat Deum offendi peccato et malicia animi? Videtur igitur potius loqui de ratione diſcernendi pios ab impijs et alijs extrinſecus, id eſt, de iudicio externo et carnali, q.d. Neſcit homo ex ſe, ſuis uiribus, ſapientia, aut lib. arb. uter ametur à Deo, ſiue pius ſiue impius, eò quòd iuxta eueniant omnia iuſto atq; impio. Effundit Deus dona ſua indiſcriminatim, non habito reſpectu utriuſq;, tribuit opulentiā, robur corporis, legis doctrinam, iuſtitiam, ſapientiā, eloquentiam, gloriam ſanitatem formā, cum ſanctis, tum impijs. Vnde neſcit ratio humana in facie eorum neq; dilectionē, neq; odium: aut quem diligat Deus, aut quem odio habeat. Huc tandē cogit nos Salomon eò loci, ne Dei iudicia et conſilia ſcrutemur altius, ſed timeamus Deū, et credamus ei. Rurſus ne fidamus ſapiētiæ et iuſtitiæ noſtræ, ſed ſoli Deo, in cuius manu ſunt omnia opera noſtra. Nā qui aliter loqueretur uir ſpiritu Dei plenus, qui et ipſe uerbo Dei credidit? Si credidit? certus fuit fauoris diuini. Vnde igitur diceret*

*An ſciunt Chriſtiani ſe eſſe in fauore Dei.*

ceret hominem incertum eſſe ſuæ ſalutis? quando omnes Chriſtiani certo ſciant ſe electos in Chriſto, antequã iacerentur fundamenta terræ. Eph. 1. ſciãt per uerbum Dei ſe gratos Deo patri, quia filium ſuum unigenitũ tradiderit pro ipſis in mortẽ. Et quid eſt fides Chriſtiana, niſi illa certitudo? Vera & firma eſt illa promiſsio Dei: Qui crediderit ſaluus erit. Iam quando credis Euangelio, certus es de remiſsione peccatorũ, certus es de beneuolentia & fauore patris, et certus es de ſalute æterna. Eaq; cognitio & certitudo eſt ſumme neceſſaria. Nam uoluntatẽ ſuam uerbo ſuo expreſsit Deus, quo cognito, cognoſcis etiam, an odio aut amore dignus ſis, id eſt, an te amet Deus, ſiue non, faueat nec ne. Per uerbum Dei omnia ſcimus atq; agnoſcimus quæ ſcire opus eſt. 1. Cor. 2. Nos mentẽ Chriſti tenemus. Eph. 1. Patefacit arcanũ uolũtatis ſuæ. Extra uerbum Dei, nõ eſt gratiæ cognitio, id eſt, ſi uerbũ Dei non habes, neſcis quid uelit, quid placeat Deo, & cæcus es, manu uiam tẽtans, ignoras remiſsionem peccatorum, ignoras Ieſum Chriſtum & regnum cœlorũ, quæ omnia uerba aduehuntur ad te. Itaque Chriſtiani, quia uerbum Dei habent, et credunt illi, ſentiunt beneuolentiam, et fauorem Dei, agnoſcunt ſe eſſe ſub gratia, et certi ſunt ſuæ ſalutis: quia promiſsionem Dei habent, in quã reſpiciunt certa perſuaſione cõcepta, quòd is, qui promiſerat, idem potens ſit & præſtare. Roma. 4. Vnde Paulus rectè dixit: Repoſita eſt mihi iuſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, iuſtus iudex, nõ ſolum autem mihi, ſed

Fides Chriſtiana eſt certitudo ſalutis æternæ.

Certi ſunt Chriſtiani ſalutis ſuæ.

Verbũ aperit omnia.

*ſed & omnibus, qui diligunt aduentum ipſius. 2. Timo. 2. Nimirum reſpiciens in promiſsiones Dei infallibiles. Sic quoq; alibi loquitur: Noui certusq; ſum, quòd is cui credidi, potens ſit depoſitum meum cuſtodire in illum diem. 2. Tim. 1. Quia fidelis eſt, ſeipſum negare non poteſt. 2. Tim 2. Hinc crebro admonet per omnes fermè epiſtolas, ne electionis & uocationis ſuæ ſint immemores. Quid quæſo iſthac adhortatione uoluit, quàm admonere ſuæ ſalutis, ad quam ſint uocati? ne quid faciant indignũ ſalute æterna, & Chriſtianis hominibus. Vides impiam eſſe ſententiam eorum, qui ſtrepunt locum Eccleſiaſtæ id ſonare: quòd neſciat homo, ſiue ſub gratia ſit, ſiue non, habeat fauentem Deum, nec ne. Certe ex ſe, propria natura nemo ſcit, ſed ex uerbo & promiſsionibus Dei per fidem uniuerſi ſciunt, nec eſt Chriſtianus, qui non certo ſciat ſuam ſalutem eſſe ratam, infallibilem, depoſitam in manu Dei. Omnis enim qui audit uocem filij Dei, & credit illi, habet uitam æternam. Si fides eſt integra, firma, cõſtans, certa, nõ fucata, aut hypocriſis, certa quoq; eſt ſalus. Nam quemadmodum credimus, ita fiet nobis, et ſic habemus. Ro. 8. Spiritus Dei teſtatur cum ſpiritu noſtro, quòd ſimus filij Dei etc. Et nos ſcimus qui tranſlati ſumus de morte ad uitam. 1. Ioan 3. Sumus filij Dei &c. Gala. 4. Emiſit Deus ſpiritum ſuum &c.*

## XLIII.

Conſolamini, conſolamini popule meus, Ieſa. 40.

# Væ qui habetis conſolationem ueſtram. Lucæ 6.

*Gemina eſt conſolatio. Altera ſpiritus, altera carnis. Prior ſancta, poſterior impia. Spiritus eſt conſolatio, quando fides promiſsionibus Dei cõfirmatur, et ad Deũ remittuntur peccatores, et adflictæ conſcientiæ, qualiter Paulus. 2. Cor. 1. conſolatur. Carnis eſt, quando gaudio huius mundi & bonis caducis et pollicitationibus excitãtur filij huius ſeculi, quũ neglecto Deo, animũ diuitijs & uoluptatibus applicuerint. Propheta cum gaudere iubet ac conſolari, non ſignificat carnale gaudium, ſed ſpiritus: quia Deus noſtri miſertus, factus ſit propitius, quemadmodum etiam Apoſtoli iubent gaudere in Domino. Ait autem propheta: Conſolamini, conſolamini popule meus, dicit Dominus noſter. Loquimini ad cor Hieruſalem, & prædicate illi, quoniã finita eſt militia eius, eò quòd iniquitas eius condonata ſit, accepit enim de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Iubet lætari propter remiſsionem peccatorum, per Chriſtum reuelandam, quòd militia legis, quæ urgebat intolerabiliter, finita ſit, & translati ſimus in militiam ſpiritus, ut iam non ſimus ſub lege, ſed ſub gratia Rom. 6. & accepimus duplicia de manu Domini, remiſsionem peccatorum, & liberationem à ſeruitute legis. Hæc eſt ſpiritualis cõſolatio, grata Deo & ſcripturæ familiaris. Nam præceptum eſt nobis, ut adflictos & pauperes ſpiritu*

*Conſolatio ſpiritualis.*

*Conſolatio carnalis.*

*Duplicia accepimus.*

*conſolemur uerbo* Domini*, promißionibus æternæ ui-tæ.* Rurſus *uetitum, ne ſpem ponamus in creaturis & bona huius mundi.* Pſa. 61. *Diuitiæ ſi affluant uobis, nolite cor apponere. Velut ille fecerat, qui dixit:* Anima *habes multa bona, repoſita in annos multos: requieſce, comede, bibe, gaude.* Lu. 11. *Nam qui ad iſtum mundũ conſolantur, & gaudent, recipiunt bona in uita ſua, poſthac gehennam. Vnde* Chriſtus *dixit: Væ uobis diuitibus, qui habetis conſolationem ueſtram, id eſt, qui aliunde conſolamini, quàm in* Deo *uiuente, qui ſpem ponitis in rebus fluxis, et cor diuitijs ueſtris apponitis, qui rebus ueſtris, potentiæ, opibus, uiribus, et filijs hominum confiditis, et ſaturi eſtis ſpreta pauperũ egeſtate. Væ, inquam uobis, quia difficile eſt eos, qui fiduciam habent in pecunijs, regnum* Dei *ingredi. Facilius eſt camelũ per foramen acus ingredi, quàm diuitem in regnum* Dei *introire.* Mar. 10. *Faciendum igitur nobis iuxta* Prophetæ *conſilium:* Nõ *glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur diues in diuitijs ſuis, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire et noſſe me, quia ego ſum* Dominus*, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam in terra.* Hiere. 9. In *ſumma:* In Domino *conſoletur, qui conſolari uult, nam uæ imprecatur omnibus, qui habent conſolationem ſuam in rebus caducis, in diuitijs, potentia, armis, exercitu copioſo, curribus & æquis, & non in* Deo *cœli & terræ.*

XLIIII.

Quid

Quid tentatis Deũ, ut imponatur iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neq; patres noſtri, neq; nos portare potuimus? Acto. 15.

Mandatum quod præcipio tibi hodie, nõ ſupra te eſt, neq; procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ut poſsis dicere: Quis ualet ad cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus & faciamus? Deut. 30.

*Cum eſſet controuerſia inter diſcipulos Chriſti, de lege Moſaica, q, multi neceſſariã ad ſalutem cõtenderent, reſtitit illis Petrus, et dixit: Quid deũ tentatis, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neq; nos, neq; patres noſtri portare potuimus? Sed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, credimus nos ſaluos futuros, quemadmodũ et illi. Quibus uerbis breuiter legis difficultatẽ expreßit, quæ ob id abrogata eſt. quòd nemo potuit eam facere, et implere, quemadmodũ legis* Heb. 7. & 31. Hie. *Solus Chriſtus finis eſt legis, et legis perfector, nobis ſpiritu Dei uacuis eſt impoßibilis factu, non poſſumus eam implere, etiã ſi millies tentauerimus. Imbecillior eſt natura noſtra, q̃ ut tollerare poßit.* Rom. 8. *Ob id Deus miſit filium ſuum, qui, quod nos minimè potueramus,* *Legis difficultas.*

præſtitit, legem impleuit, et de peccato condemnauit peccatum, ut iuſtificatio legis in nobis impleretur, qui nõ ſecundum carnem uerſamur, ſed ſecundũ ſpiritum. Summa itaq; orationis Petri eſt: Lex difficillima & quæ non poteſt uiribus noſtris perfici, abroganda eſt, non urgenda: credimus enim nos æquè fide iuſtificandos atq; gentiles. Porrò Moſe nec Deu. 30. nec ullibi locorum in toto Pentatheuco, ne tantillũ de legis facilitate, ꝙ poſsit haud difficulter à natura humana et lib. arbit. fieri, loquitur: ſed aliud agit hoc loci, nempe mãdata Dei in promptu eſſe, nõ remotiſsimis finibus, ne quis excuſare ſe poſsit, quòd nõ audierit. Ecce, inquit, præceptum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neq; longe à te, ſed prope te ualde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illud. Nihil opus erit mõtes tranſcendere, maria ꝑnauigare, penetrare extrema terræ, ut audias præceptũ Dñi, nec curras aliò, præſens eſt præceptum. En ego hodie uobis cunctis audientibus prælego, iamiam ueſtris auribus auditis, & corde ꝑcipitis. Hoc dicit Moſe, de præſentia ſcilicet præcepti, et nõ de facilitate, uelut liberi arbitrij aſſertores inſipiẽter reclamãt. Nulla igitur eſt diſcordia ſententiarũ. Petrus legẽ importabilẽ uocat, Moſe ignem maximum. Deut. 18. Igitur conueniunt ambo, ſi modo ſpiritualibus oculis inſpexeris utroſq;.

Lex nõ iuſtificat, ſed fides.

## XLV.

# Iuſto non eſt lex poſita. 1. Timot. 1. Vir qui in præceptis meis ambula-

uerit, & iudicia mea cuſtodierit, ut faciat ueritatem, hic iuſtus eſt. Ezech. 18.

*Vt magiſtratus non eſt, niſi ob malos cohibendos, et reipub. peſtes medendas, ita lex non eſt iuſto poſita, ſed iniuſtis & inobſequentibus, impijs, et peccatoribus, irreuerentibus & prophanis, patricidis et matricidis, homicidis et ſcortatoribus, maſculorũ concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, periuris, & ſi quid aliud eſt, quod ſanæ doctrinæ aduerſetur, ſecundum* Euangelion *gloriæ beati* Dei. 1. Tim. 1. *Non ſunt contra Chriſtianos, pios & credentes, lex & magiſtratus, ſed contra præfractos, nocentes, & impios.* Rom. 13. *Principes non terrori ſunt bene agentibus, ſed male.* Et 1. Pet. 2. *Præſides mittuntur ad uindictam nocentium, laudem uerò rectè agentium. Si uniuerſus mundus audiret uocem* Dei, *crederet Chriſto, rectè ageret, et non ſeruiret peccato, nihil opus haberemus magiſtratibus. Sed quia minor pars credit, ſeruitq́; iuſtitiæ, aſt potior pars decipit, rapit et peccat, propter nocentes & malos habendi ſunt magiſtratus, & ſancitum eſt ius gladij, ordinatione diuina, non propter Chriſtianos, qui ſua ſponte non peccant, & faciunt quæ recta ſunt, acti ſpiritu* Dei. *Sed ne publica pax interturbetur, ne facinora ſint impunita, ne cuiuis liceat pro ſua libidine graſſari, & fraudem facere proximo, ut boni quietem habeant, & mali ſub terrore atq; metu degant,*

*Magiſtratus cur conſtitutus.*

*Lex iuſto non eſt poſita.*

*Magiſtratus intereſt publicã pacem tueri.*

aut pœnis coherceantur. Prou. 26. Flagellum equo, freنum aſino, uirga tergo ſtultorum. Rom. 13. Poteſtas Dei miniſter eſt, ultor ad iram ei, qui quod malũ eſt, fecerit. Lex itaq; tantum contra impios lata eſt, non contra iuſtos, ut agnoſcant peccatum, et maledictionem ſuam: deinde ex culpa iudicium ac condemnationem ſuam intelligant, ut conuertantur ad Dominũ Deum ſuum, et ſalui fiant. Lex enim pædagogus eſt ad Chriſtum. Gal. 3. non iuſtificat ipſa, ſed ad ueram iuſtitiam remittit. Functa eſt officio ſuo, ſi peccatũ manifeſtauerit. Quod autem Ezechiel ait: iuſtum eſſe, qui in præceptis Dei ambulet, non eſt Paulinæ ſententiæ contrarium, declarat enim quis uere iuſtus ſit, & quæ uirtutes & ſtudia ipſius, unde poſſit cognoſci, quãdo ex fructibus agnoſcatur arbor. Vir, inquit, ſi fuerit iuſtus, & fecerit iudicium & iuſtitiam, in montibus non comederit, & oculos ſuos non leuauerit ad idola domus Iſrael, et uxorem proximi ſui nõ uiolauerit, & ad mulierem menſtruatam non acceſſerit, & hominem nõ contriſtauerit, pignus debitori reddiderit, per uim nihil rapuerit, panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit ueſtimento, ad uſuram commodauerit, & amplius non acceperit, ab iniquitate auerterit manũ ſuam, & iudicium uerum fecerit inter uirum & uirum, & in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea cuſtodierit, ut faciat ueritatem: hic iuſtus eſt, uita uiuet, ait Dominus Deus. Ezec. 18. Iuſto non opus eſt lege, quia ſpiritum Dei habet, quo rapitur ad optima, habet legem

*Lex nõ facit iuſtum.*

*Iuſtus quis ſit.*

*Iuſtus citra legem bonus eſt.*

Dei

*Dei ſcriptam in corde ſuo, facit ſua ſponte, quæ præcipit Dominus, citra legis imperium. Bona arbor eſt, ideo nõ poteſt non bonos fructus ædere. Non lata eſt illi lex. Currenti enim equo, nõ opus eſt calcaria addere. Ambulat in lege Domini die ac nocte. Pſa.1. Non urgente lege, ſed quia iuſtus & bonus eſt prius. Ideoq; ſectatur iuſtitiam & æquitatem natura ſua. Lex nõ habet Dominium in iuſtum, quia tantũ iniuſtis poſita eſt. Ipſe per ſe facit recta, etiam ſi lex haud fuiſſet. Spiritu regitur, qui non ſinit ipſum in legem delinquere. Gal.5. Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. Nemo itaq; uere legem facit, niſi iuſtus, id eſt credens. Ocioſa non eſt fides, ſed mire fœcunda. Spiritu implet legem, nõ hypocriſi. Ita iuſtus facit, hoc eſt complet legem, at lex non facit iuſtum. Lex iuſto non eſt poſita, & tamen iuſtus obſeruat legem.*

## XLVI.

### Lex obiter ſubijt, ut abundaret delictum. Rom.5.
### Deus nemini mandauit impie agere, & nemini dedit ſpacium peccandi. Eccle.15.

*Lex lata eſt ad reuelandum peccatũ, ut inquit Apoſtolus. Ro.3. Per legẽ cognitio peccati. Ante legem inuulgatam non cognoſcebatur peccatũ, nec erat conſcientia peccati, non uiolabatur lex. Ro.4. Vbi non eſt lex, ibi nec* Lex cur ſit data.

*tranſgreßio. i. non uidetur peccatum aut tranſgreßio abſente lege, &* Ro. 5. *peccatum non imputatur, cũ non eſt lex, hoc eſt, prohibitiõe delicti, aut lege ſublata, peccatũ non imputatur, non habetur pro peccato.* Rurſus Ro. 7. Peccatũ *non cognoui niſi per legem.* Nam *et concupiſcentiam nõ nouiſſem, niſi lex dixiſſet:* Non *concupiſces.* Sed *occaſione accepta peccatũ per præceptum genuit in me oẽm concupiſcentiam. Siquidem abſq; lege peccatũ erat mortuum.* Ego *aũt uiuebã ſine lege quondam. Porrò ueniente mãdato peccatũ reuixit etc. Lege manifeſtata abũdat delictũ, non quòd lex peccandi licentiã miniſtrat, ſed quæ natura eſt hominũ, ut poëta* Sulmonenſis *dixit:* Ni*timur in uetitũ, ſemper cupimusq; negata. Lex non confert gratiã et ſpiritũ, nec tollit mutatq; naturã noſtram, ſed magis auget affectũ internũ et peccandi deſiderium.* Sicut *etiã alibi dicit* Paulus: *Lex propter tranſgreßiões, ſcilicet augendas, poſita eſt.* Gal. 3. *Id eſt, lex impietatẽ quidem detegit, ſed nõ aufert, delictorũ multitudinem ob oculos ſtatuit, ut ad gratiam ſuſpires.* Vbi *enim exuberauit peccatũ, ibi magis exuberauit gratia.* Ro. 5. *Deus per legem prohibet peccatum, nõ fauet aut permittit.* Quòd *uerò homines natura mali, cognito peccato magis delinquant, non legis uitium eſt, ſed naturæ uiciatæ, peccato originali.* Deus *nemini peccatũ præcepit, nullis peccandi licentiam præſcripſit, ſed magis uetuit et interdixit, tanquam freno iniecto, uolens reuocare à naturali curſu. Lex repagulum eſt, quod peccato opponitur,* Veluti *obi-*

*Lex morbũ detegit.*

*Lex auget peccatum.*

*Lex peccati obex.*

*ces flumini obijciuntur, ne currat alueo ſuo quo ſolet, & nauis gubernaculo regitur ſicut equus freno.* Ita *natura noſtra lege coerceri debet, ne faciat uoluntatem ſuã, qua prona eſt ad malum, ne feratur curſu ſuo ad quæuis delicta, ne putet ſe impune peccare, aut* Deum *non offendi delictis.* Pro.26. F*lagellum equo, frenũ aſino, uirga tergo ſtultorum.* A*tq; hoc eſt legis officium, primum oſtendere peccatum, deinde iram operari, id eſt, augere peccatum, non quo ad exterum opus, ſed quo ad internum animi adfectũ, manente conſcientia peccati, natura haud extincta, ſed magis præcepto irritata. quæ non uult legibus cohiberi, ſemper magis arrident quæ ſunt prohibita.* Legis officium.

XLVII.

## Omnia quęcũq; uoluit, fecit. Pſa.113. Vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis. Acto.7.

*Solus* Deus *eſt omnipotens, ſolus facit quæ uult, & nemo poteſt ipſius poteſtati, omnipotentiæ, & maieſtati reſiſtere* Pſal.134. Q*uoniam ego cognoui quod magnus eſt* Dominus, & D*ñs noſter præ omnibus dijs.* O*mnia quæcunq; uoluit* D*ñs fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyßis etc.* Pharao *quidem reſtitit* Moſi *ſeruo* Dei, *ſed unde? ſuis uiribus, ſua potẽtia, qui rex* Aegyptiorum *erat?* Minimè. Nam Deus Moſi *in* Aegyptũ *reuertenti dixit:* V*ide ut omnia oſtenta, quæ poſui in manu tua facias coram* Pharaone. Ego *indurabo cor eius.* Deus ſolus omnipotẽs.

*& non dimittet populum.* Exod. 4. *Audis cur reſtiterit* Pharao? *nempe q̃ excitatus fuerat, et cor eius induratũ diuino iudicio, & conſilio, ſicut poſtea inquit: in hoc excitaui, ut oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Exo. 9. *Impij excæcati atq; excitati reſiſtunt uerbo et cultui, atq; miniſtris* Dei: *alioqui ne uerbum contra mutire poſſent.* Pro. 21. *Cor regis in manu* Dei *eſt ſicut flumina aquarum, quorſum uolet inclinabit. Sua cuiq; uia placet,* Dñs *uerò corda impellit.* Montes *aũt, hoc eſt, potentiores contra ſe excitat, ut potentiã et fortitudinem ſuam in illis declaret.* Nam *quis potentior erat* Pharaone? *et tamen in medio mari ſternitur ſolo uerbo.* Quis *truculentior* Nabuchodonoſore, & *reliquis* Chaldæorum *tyrannis? at manus* Domini *tetigit eos.* Quis *inhumanior* Phariſæis, *ſcribis et pontificibus? ſed illi perierunt, & ueritas* Dñi *manet in æternũ.* Quis Iudæis *in horto ferocior: & tamen uno uerbo proſternũtur.* Quis *crudelior* Nerone, Domitiano, *atq; reliquis fidei* Chriſtianæ *oppugnatoribus? tamẽ illi percuſſi dextera* Dei, *inextinctos reliquerũt* Chriſti *diſcipulos.* Quis *inſanior noſtris dealbatis parietibus? uincit tamen ueritas, & nemo reſiſtere poteſt.* Videntur *quidem reſiſtere, & uerbi curſum remorari, ſed nihil proficiunt.* Amentia *ipſorum indies fit euidentior, nihil obtinent reſiſtendo, quàm confuſionem, quia uere reſiſtere non poterunt.* Obſtrepunt *ſed nihil promouent.* Inſurgunt *gygantes et* Philiſtæi *cõtra* Deum *cœli, ſed triumphos agere minimè ualent.*

Potentes *proſtrati.*

Reſiſtendo *non reſiſtitur.*

*ualent, niſi quòd encomia canunt ante uictoriã. Confundũtur antequàm perfecerint, quod conſilio ſuo decreuerunt. Cum ſepultũ putant Chriſtum* Dñi, *et tumulum fortius armatis uiris munierunt, rediuiuus ſurgit, militibus cuſtodibus omnib. perculſis extremo terrore. Quis enim ante faciem indignationis eius ſtabit? quis reſiſtet in ira furoris eius?* Naum 1. *Hinc etiã* Dauid: *Tu terribilis es, et quis reſiſtet tibi? ex tũc ira tua.* Pſal. 75. *Quis reſiſtere poteſt uultui meo?* Hiob. 41. *Nemo impune reſtitit* Deo, *ſemper miſerrimum expertus exitum, niſi ſumme pœnituerit.* Hiob. 10. *Sapiens eſt corde & potẽs uirtute, quis reſtitit ei, et proſperatus eſt?* Ieſa. 47. *Vltionẽ capiam, et non reſiſtet mihi homo. Iam ſatis intelligis, reſiſtentes nõ reſiſtere.* Nam *cum ſe impij potentiores, iuſtiores et ſublimiores* Deo *exiſtimant, ſeruis* Dei *ſe opponunt et reſiſtunt, ſed excitati et permiſſi, hoc eſt, ſua ſapientia et fortitudine excæcati. Nequeunt enim ferre iudiciũ* Dei, *cum fuerint ab miniſtris uerbi* Dei *correpti. Tum furore perciti reſiſtunt ueritati, iuſtiores ſe exiſtimantes, quàm qui à tam leuiuſculis (uelut uocant pios) hominibus, arguantur. Iſta excæcatio atq; furor uerbi & ſanctorum contemptus aut odiũ dicitur reſiſtentia* Dei. *Vñ ait* Stephanus *rebellibus Iudæis: Vos ſemper reſiſtitis ſpiritui ſancto, id eſt, nõ uultis credere ueritati, nec recta monentes audire, ſemper oppoſuiſtis uos prophetis et uiris ſanctis, non uultis ueſtra argui.* Euangelio *repugnatis, digniores atq; ſanctiores uos iudicantes, quàm qui reprehendamini,*

Reſiſtere Deo quis poteſt?

Impij reſiſtunt Deo.

*damini, hoc nimirum ſignificat reſiſtere Deo & ſpiritui ſancto, quando ueritati & ſanctis Dei contradicitur. Qui Prophetis & Apoſtolis reſtiterunt, Deo reſtiterũt.*

## XLVIII.

# Domus mea domus orationis uocabitur. Ieſa. 56.

# Tu cum oras, introito in conclaue tuum. Matth. 6.

*Iudæis præceptus eſt orationis locus.*

*Iudæis in lege præceptum erat, ne alio loco orarent atq; immolarẽt, præterq̃ eo quẽ elegiſſet dominus.* Deu. 12. *Caue ne offeras holocauſta tua in omni loco quem uideris, ſed in eo loco, quem elegerit* Dominus, *in una tribuum tuarum offeras hoſtias, & facias quæcunq; præcipio tibi &c.* Vbicunq; *uerò arca fœderis et tabernaculũ erant, is erat locus à* Deo *electus.* Nam *inde ex propiciatorio promiſerat ſe exauditurum eos, et illic permanſurum* Exod. 25. In *Silo aũt primum fixum eſt tabernaculum fœderis* Ioſu. 18. Eratq́; *locus adorandi Dei, ut ex primo* Regum *in hiſtoria* Hannæ *patet.* Poſtea *per* Dauidem *reducta eſt arca domini* Hieroſolymam, *ubi deinceps extructum eſt templum celeberrimum.* 3. Reg. 5. & 2. Par. 3. Hoc *templum elegerat* Deus, *nam arca fœderis in eo orat, illic uoluit adorari.* Quod *templum licet deſtructum fuerit poſtea, tamen re ædificabatur.* Ad *quem ritum reſpiciens* Chriſtus, *pepulit ementes & uendentes é templo*

è templo dicens: Scriptum eſt: Domus mea domus orationis uocabitur. At uos fecistis illã ſpeluncam latronũ. Matt. 21. Voluit Deus populũ ſuum uerbo ſuo regere, ad quod primum legibus opus erat, ne ſuis affectibus et bonis, ut uocant intentionibus ferreretur. Ideoq; etiam locum adorationis conſtituit, ut gentẽ alioqui ceruicoſam lege coherceret, ne faceret quod ſibi adlibuiſſet. Legibus rexit, qui carnales & indomiti erant. Ideoq; etiam priuatus locus oranti præceptus erat. At Chriſtianis nullus priuatus locus adorandi mandatus eſt. Neq; enim in monte hoc, neq; in Hieruſalem, ſed in ſpiritu & ueritate adorandus eſt Deus. Ioan. 4. Nec dicent: Ecce hic aut illic eſt Chriſtus. Lu. 17. Regnum enim Dei intra uos eſt. In Chriſto uult adorari pater, ideoq; neminem exaudit, niſi in Chriſto. Ioan. 3 Nemo aſcendit in cœlũ. etc. Matt. 17. Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacitum eſt. Ioan. 14. Nemo uenit ad patrem, niſi per me. 1. Pet. 2. Ipſi uelut uiui lapides ædificemini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, ad offerendas ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Quod uerò Chriſtus iubet oraturos ſecedere in cubiculum, caue putes urgeri locum. Nuſquam enim legis ipſum precaturum introiſſe conclaue. Orauit in monte, orauit in rure, cœnaculo, coram diſcipulis, ubiubi oportunitas oblata fuiſſet. Intellige igitur per cubile locum à populari ſtrepitu ſepoſitum, ne oſtentandi gratia uideare coram alijs precari, ne effundas praeces tuas, ut glorificeris ab adſtantis

Chriſtianis nullus locus orationis præceptus eſt.

Introire in cubiculum oratum.

ſtantibus, ſed recede à gloria uulgi, et in conclaui, id eſt, in ſpiritu & ueritate ora patrem. Precare ubi uolueris, ſiue in tēplis aut priuatis ædibus, ſub labore, aut in rure, ubicunq; adlibuerit et neceßitas adegerit, tantū caue ne gloriæ ſtudio effundas orationem tuā, ne in hypocriſi et mendatio ſtrepas uerba, ſed in ſpiritu & ueritate. Templum Iudæorum figura fuit Chriſti et Eccleſiæ Chriſtianorum et domus ſpiritualis, quæ ſumus omnes credētes. 1. Cor. 3. et 6. 1. Pe. 2. Igitur corde et fide orandū, non habito loci reſpectu. 1. Tim. 2. Volo orare uiros in omni loco, ſuſtollentes puras manus abſq; ira & diſceptatione.

Templum Iudæorum figura Eccleſiæ.

XLIX.

Ego Dominus & non eſt alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum, Ego Dominus faciens omnia hæc, Ieſa. 45.

Diabolus cū loquitur mēdacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, atq; eius rei pater, Ioan. 8.

Deus operatur omnia in omnibus

Paulus 1. Cor. 12. inquit: Deus operatur omnia in omnibus. Et Ephe. 1. Operatur omnia iuxta conſilium uoluntatis ſuæ. Quomodo uero bonum operetur, & quomodo

modo malum, paucis aperiemus. Ipſe eſt omnipotens, ſua prouidentia omnia mouet, gubernat, regit & agit, Acto.17. Per ipſum uiuimus et mouemur et ſumus. Pro. 20. Vt auris audiat, & oculus uideat, Dominus facit. 1. Reg.2. ait Hanna: Dominus mortificat & uiuificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat et ſubleuat. Suſcitat de puluere egenũ, & de ſtercore eleuat pauperem. Deu.32. Videtis q̃ ego ſim, ego & non ſit alius Deus præter me, ego occido, et ego uiuere facio, ego percutio, & ego ſano, & nõ eſt qui de manu mea poſſit eruere. Hiob 5. Ipſe uulnerat & medetur, percutit, & manus eius ſanat. Hoſe.6. Ipſe cepit et ſanabit nos, percutiet & curabit nos. Pſalm. 113. Omnia quæcunq; uoluit fecit. Amos 3. Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit? Quia non faciet Dñs Deus uerbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas. Eccl.11. Bona et mala à Deo ſunt. Bonus aũt cum ſit natura, non facit malum in ſe, aut per ſe, ſed ſemper benefacit. Quî enim male faceret ſumma iuſtitia & bonitas? Omnis creatura Dei bona eſt. 1. Tim.4. Opera Domini uniuerſa ualde bona. Sic Dauid quoq;: Quàm magnifica ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua. Pſal.103. Quando igitur natura bonus ſit & bona opera ipſius, quomodo facit tenebras & malum? quæ certe rationis iudicio bona non ſunt. Vbi Deus Opt. Max. ſuo ſpiritu, fauore & gratia adfulſerit, lux eſt & ueritas, ac omne bonum.

Bona quomodo generet Deus.

Deus

Deus enim lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ. 1. Ioan. 1. Ipſe illuminat omnes homines. Nõ ambulat in tenebris, qui hanc lucem ſequitur, ſed lumẽ uitæ habet. Ioan. 8. Rurſus ubi Deus lumen ſuũ ſubduxerit, tenebræ, errores et mendacia præualebunt. Ipſa eſt pax uera. Ephe. 2. Vbi ipſe regnarit, illic eſt tranquillitas: pax conſcientiarum, & gaudium animorum. Format lucem, cũ beneuolentiã atq; miſericordiã ſuã exhibuerit, ac pectora noſtra radio ſpiritus illuſtrauerit. At cum manum retraxerit, tenebræ & nubilæ ſuccedunt. Cum uerbũ Euangelij effundit, pacem ſuam offert: at cum abſtulerit propter ingratitudinem noſtram, rurſus mala & triſtia emergunt. Pro. 29. Cum defecerit prophetia, diſsipabitur populus. Quæ diximus, propheta Dauid explicat dicens: Omnia à te expectant, ut des eſcam eorum in tempus oportunũ. Dante te illis colligent: aperiente te manũ tuã, omnia implebuntur bonitate. Auertente aũt te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, et deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Emittes ſpiritum tuum, et creabuntur, & renouabis faciem terræ. Pſal. 103. Cum Dominus clementer ad nos reſpexerit, bona, læta, & proſpera fiunt uniuerſa. Rurſus, cum uultum ſuum à nobis abſconderit, mala, infœlicia et triſtia erunt oĩa. Ad eum modum operatur Deus bonum et malum. Nihil fit fortuito: uelut infideles obganniunt, ſed omnia geruntur diuino conſilio. Operatur bona miſerendo, mala iraſcendo, aut puniendo. Qualibus etiam inſtrumentis utitur, talia facit opa.

Tenebræ quomodo creet.

Pax Chriſtus.

Omnia geruntur diuino conſilio.

In bonis agit bona, in malis mala. In electis ſalutem operatur, in impijs iniquitatem. In Prophetis et ſanctis ſalutem terræ, in iniquis perturbationem peragit. Prouc. 11. Cum florent iuſti, gaudet ciuitas, et in perditione impiorum lætatur. Benedictione rectorum fortunatur ciuitas, at impiorum conſilijs euertitur. In benedicentibus benedicit, et in maledicētibus maledicit. Velut ſi faber ſtatuarius uicioſum atq; corruptum lignum à uermiculo, qui trips aut cinips dicitur, eroſum, nactus, cogatur, ſtatuam aut ſcitulam imaginem ex eo formare: quale lignum, talis ſtatua et imago, non poterit affabrem ſtatuam ex corrupto ligno formare: ſicut nec figulus ex fuliginoſo luto candidam fingit ollam. Inſtrumenta ſi mala ſint, malus fit labor: quale lutum, talis olla: quale lignum, talis ſtatua: qualis eſt natura noſtra, tales ſunt operationes. Ex impio naſcitur peccator, ex peccatore non niſi peccata fluunt, Deo creante, formāte, et agente illos ex natura tali. Sathanas cum ſit mancipium, & inſtrumentū Dei, nō agit aliud, niſi quod uult omnipotentia Dei. Et cum ſit natura nequam, mendax & malus, mouet & agit Deus naturam ſuam, ut nunquam ceſſet et quieſcat. Nullæ enim creaturæ Dei ſunt ocioſæ, motæ omnipotētia diuina. Vtitur igitur Deus Sathana, & quo uis impio, uelut uaſis contumeliæ ad iram ſuā, et tamen pro ſua ſapientia bene utitur illis ad gloriam ſuam. Pro. 16. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impiū quoq; ad diem malum. Iſraelitas per Pharaonē perſequitur, Dauidi maledixit

*Qualia inſtrumenta, talia opera*

*Sathanas agitur à Deo.*

*Impijs utitur Deus ad iram ſuam.*

ledixit per Semei.3.Reg.16.Hiobem adſligit per Sathanam,Iudæos per Chaldæos punit. Aliud operatur in uaſis honoris & miſericordiæ,et aliud agit in uaſis contumeliæ: non utitur unis inſtrumentis ad uniuerſa opera ſua. Aliud operatur in principe,aliud in priuato. In ruſtico agricolationem operatur, in præſide adminiſtrationem prouinciæ,in iudice iurisdictionē,in epiſcopo uerbi miniſterium. Vnde Paulus 1.Cor.3.Dei ſumus cooperatores. Aliud in doctis,aliud agit in idiotis,aliud in ſanctis,aliud in peruerſis. Sunt inſtrumenta,quibus irã et indignationem ſuam obtrudit, uelut lex,peccatũ,mors infernus,ſathanas,impij,grando,ignis,morbus, fames, bellum,peſtis,et alia id genus mala,quibus ingratitudinem & peccata noſtra punit: Quoties illis utitur iuſtus iudex, iudicatur à nobis mala facere & operari iniuſtitiam. Sunt rurſus organa,quibus miſericordiã & beneuolentiam ſuam exhibet,qualia ſunt: Prophetia, diſcretio ſpirituum,ſapientia,fideś,ſanitas,linguarum cognitio,ſermonũ interpretatio,diuitiæ,pax,robur corporis, fertilitas agrorum etc.hæc tamen omnia tribuit et operatur unus Deus. Aliud agit in filijs Dei,aliud in filijs diffidentiæ,aliud in angelis,aliud in Sathana. Solus uniuerſa operatur. Nihil agit Sathanas cũ uniuerſo regno ſuo, niſi quod permittit, & uult Deus pater. Et tamen Deus nihil facit mali,ſed omnia opera ipſius ſunt recta,ueritas & iudicium.Pſalm.110.Nobis carni ſcilicet & ſanguini uidentur aliquoties iniuſta et mala,ſed apud Deum non

Sancti & impij ſunt organa dei

Inſtrumenta iræ Dei.

Inſtrumenta beneuolentiæ.

Opera Dei ſunt recta.

eſt iniquitas. 2. Paro. 19. Cum adfligit, punit et perdit, uidetur nobis inique agere, cũ non poßit non rectè agere. Quis noſtrum iniquum uocat, ſi tollantur apud nos publici latrones? tueatur publ. pax? occidantur nocentes, ut boni pacem habeant? hæc nimirũ nullus iniqua pronunciet. Igitur ſi Deus punit erroribus, excæcatiõe, morbis, peſtilentia, bellis fame, bene agit, quãuis carni et iudicio ratiõis male uideatur egiſſe. In oculis hominũ mala ſunt ignis, grando, nix, glacies, fames, mors, at hæc in oculis Dei mala nõ ſunt, indignationis ſuæ tela, niſi q, aliquando etiam pios probat adflictionibus. Mundis igitur ſunt omnia munda, ſciunt enim omnia geri diuino conſilio: pollutis aũt et infidelibus nihil eſt purũ, ſed polluta eſt illorũ mens et conſcientia. Tit. 1. Bonis Deus eſt bonus, electis electus, peruerſis peruerſus. Pſa. 17. Creat alios uaſa miſericordiæ, alios uaſa iræ, omnia iuſto iudicio. Nec debet quiſquam contradicere illi, aut iniquitatis arguere. Sap. 12. Quis dicet tibi, quid feciſti? aut quis ſtabit contra iudicium tuum? aut quis in conſpectu tuo ueniet uindex iniquorum hominũ? aut quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti? nec enim eſt alius Deus, q̃ tu, cui cura eſt de omnibus, ut oſtendas, quoniam nõ iniuſte iudicas iudicium. Neq; rex neq; tyrannus in conſpectu tuo inquirent de his, quos perdidiſti. Cum ergo ſit iuſtus, iuſte omnia diſponit. Habes rationem, quomodo Deus mala operetur. Sic quoq; & illum alium locum Ieſa. 63. intellige. Quare errare nos feciſti Domine Deus

Iniquos tollere non eſt malum.

Mala apud homines, recta ſunt apud Deũ.

Deũ nemo arguet iniquitatis.

de uijs tuis, induraſti cor noſtrum, ut non timeremus te? Subtracto ſpiritu ſuo facit errare, dum non dirigat greſſus noſtros in ſemitis ſuis. Quapropter orauit Moſe: Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto. In quo enim ſcire poterimus, ego et populus tuus inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nobiſcum. Exodi. 33. Si uerbo Domini attendimus, uelut lampadi lucenti in obſcuro loco, rectè facimus. 2. Pe. 1. & non errabimus. Lucerna enim pedibus noſtris uerbum tuum, & lumen ſemitis. Pſalm. 118. At ſi uerbum eius amouerit in furore ſuo, nõ poſſumus non extreme errare, dum dilectionem ueritatis non recipimus. 2. Theſ. 1. & idola ponimus in corde. Ezech. 14. Id eſt, quando non audimus uerbum Dei, et relinquimus fontem uiuũ, effodientes nobis ciſternas diſsipatas, quæ aquas continere non poſſunt. Hier. 2. Tum mittit nobis Deus operationẽ erroris, ut credamus mendacio. Iſta eſt ratio excæcationis, quare errare nos faciat, Pro. 29. Cum deeſt prophetia, perit populus. Eandem cauſam adfert Ezechias rex Iuda. 2. Paral. 30. Patres & fratres ueſtri, inquit, receſſerunt à Domino Deo patrum ſuorum, propterea tradidit eos in interitũ, ut ipſi cernitis. Cur priſco mundo, quem diluuio aquarũ ſubmerſit, nõ pepercit? Quia omnis malicia inundauerat, et pietas neglecta fuiſſet. Quare Pentapolim ſulphure et igne extinxit? niſi quia iuſtum Loth audire renuit. Quæſo cur toties Iudæos, cædibus, peſte, captiuitatib. et mille malorũ generibus preſsit? niſi quia Domi-

*Errare quo modo faciat nos De9*

*Errorũ & excæcationũ cauſſæ.*

Dominū reliquerūt, euntes poſt cogitatiões ſuas. Sic per Prophetam minabatur: Ecce ego adducam mala ſuper populum iſtū, fructum cogitationū eius: quia uerba mea non audierunt, et legem meam proiecerunt. Hie. 6. Deus itaq; oia operatur, bona et mala: quia ſolus eſt omnipotens, & nemo poteſt ipſi reſiſtere: Iudicio & lege damnat, adfligit, iudicat, perdit, & pericula diuerſi generis immittit, hoc eſt, ut more noſtro dicam, operatur mala. Sathan nihil poteſt, quamuis Deus et princeps ſit huius mundi, niſi permittente Deo. Non habet tantam poteſtatem, ut poßit cuncta pro ſua libidine uertere et peruertere. Christus eſt ſuperior Sathana, & hic eſt ſub pedibus eius, miniſter & lictor ipſius. Habes copioſa exempla in ſcripturis. Sed qd multis ago? Si ſolus Deus omnipotens & ſupremus, conſectaneum eſt neminem nec Sathanam, nec hominem quicquā poſſe, niſi per Deum. Hic ſit epilogus omnium dictorū. Omnes ſumus impotentes, ſolus Deus omnia poteſt, facit, regit, adminiſtrat, diſpenſat, prouidet & operatur. Diabolus draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui ſeducit uniuerſum orbem, proiectus eſt in terram, & angeli eius cum illo proiecti ſunt. Apoc. 12. Ideo ſuperior eſt Deus. Hic cacodæmon mendax eſt ab initio, et in ueritate non ſtetit, eſt enim mendaciorum parens. Cum loquitur mendacium, nō de alieno ſed ex proprijs loquitur, excidit ſemel de ueritate Dei, ad quā redire non poteſt, ignominiæ uas eſt, ſuo fœtore orbem terrarū inficeret, ſi permitteretur à Deo, circuit

Sathan impotens eſt inferior Deo.

Sathan lictor et ſeruus Dei.

Diaboli malicia.

*quaſi leo rugiens, quærens quem deuoret.* 1.Pet.5. *ſolutus de carcere exit, ut ſeducat gẽtes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ.* Apocal.20. *Solus Deus ligat hunc draconem, ſolus quoq; ſoluit. Quos abijcit Deus in ira & indignatione ſua, illos haud ſegniter arripit Sathan, capit & illaqueat ad ſuam ipſius uoluntatem.* 2.Tim.2. *Et ita operatur in filijs contumacibus.* Ephe.2. *non ſua potentia, ſed abiectione Dei, qui permittit diabolo ſuum dominiũ in impios. Iam credo intelligi, quomodo Deus omnia agit, etiam in Sathana et impijs, q̃ Deus non uelit iniquitatem, quamuis patiatur eam à filijs perditionis fieri. Ipſe peccatum, quod lege cauit, non fecit: attamen peccati autorem dicimus, dum ſubtrahit ſpiritum ſuum, nec impunitũ relinquet, id quod ex lege pulchre doceberis. Hinc ſcriptura eos grauiter arguit, qui aduerſa et proſpera fortunæ et imprudẽtiæ attribuunt, qui dicunt ſecundum rationem omnia fieri fortuitò, non geri diuinitus.* Sopho.1. *Viſitabo ſuper uiros demerſos in fæcibus ſuis, qui dicunt in corde ſuo: non faciat Dominus bene, aut male.* Thren.3. *Quis eſt iſte, qui dixit, quod fieret Domino non iubente? Ex ore altiſsimi nec bona nec mala egredientur.* Pſalm.138. *Quo ibo à ſpiritu tuo, aut quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero ad infernum, ades. Id eſt, ubiq; eſt tua omnipotentia, quæ regit, mouet & operatur omnia.*

## L.

# Honora patrem & matrem, & qui

male-

maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Exod. 20. 21.

Si quis uenit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, nō poteſt meus eſſe diſcipulus, Luc. 14.

*Quid nunc obſtrepimus ijs, qui ſcripturas pugnare dicunt? Nonne rurſus manifeſta eſt pugnātia in iſtis duobus locis? Cur igitur nō cedimus harena et palmam tribuimus? quamdiu reſiſtimus ueritati? Miſeros, qui ſpiritū Dei in ſcripturis ueritatis et ſobrietatis uerba loquentem, & ubiq; ſecum conſtantem, iudicant? Ipſi apud ſe conceperunt diſſonantiā, et eā mox ſcripturæ plenis uelis inuehere uolunt, ſiue patiatur ſcriptura ipſorum pugnantiam, ſiue non, cogitur tamē ipſorum furori cedere ſpiritus ueritatis, qui à patre procedit. Sed tu audi. Ergo et iſta pugnant (Deu. 6.) Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Deus unus eſt. Diliges Dnm Deum tuum ex toto corde etc. illi ſoli ſeruies. t illud: Honora parentes. Si enim ſolus Deus amādus, ubi remanet amor erga parentes? quia lex præcipit ſolum Deum amandum? Reſpondeant nunc prophetaſtri noſtri, quomodo iſta cōueniant? Nos dicimus iſta minimè pugnare, niſi ſenſui carnali, qui nihil ſpirituale ſapit & percipit. Ipſi diſsident et habent duplicia corda, ideoq; ſcripturam pugnantem exiſtimant, ſpiritualis omnia dijudicat. 1. Cor. 2. Prior uer-*

ſus ex lege ad ſecundam pertinet tabulam decalogi: alter ex Euangelio Lucæ, primi præcepti continet interpretationem, quod eſt prioris tabulæ. Deus maior et ſublimior eſt parentibus: ideoq; Deus ſolus amādus ex toto corde, & anima, illi ſoli fidendum: at nō ſic parentibus. Qui & ipſi metuendi ſunt, ſed non ſupra Deum: honorandi, ſed poſt Deum, et in Deo. Hoc interpretatur ipſa ueritas, quæ fallere non poteſt, dirimens hanc controuerſiam. Qui, inquit, amauerit patrem, aut matrē ultra me, non eſt me dignus. Longe igitur præferendus eſt amor Dei dilectioni parentum. Supra omnes creaturas adorandus eſt Deus, honorandus, metuendus, nemo ei par diligendus. Zelotes eſt, non patitur æqualem, et gloriam ſuam alteri non tribuit. Ieſa. 42. Altißimus eſt, non licet ultra ipſum aſcendere. Diligimus itaq; & honoramus parentes, ſed poſt Deum in Deo, nec peccemus in primam tabulam. Amamus uxores, liberos, amicos, ſed lōge poſt Deū. Et huc pertinet nunc locus Euangelij, quando Chriſtus ait: Si quis uenit ad me, et nō odit patrem ſuum & matrē ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus, hoc eſt, Qui meus uult eſſe diſcipulus, & me ſequi, abrenunciet omnibus, non habeat chariores parentes, non præferat uxorem, liberos, familiam, & ſuam ipſius animam, ſed abnegatis cunctis, in me uno hæreat, toleret crucē, alioqui nunquàm erit ſyncerus diſcipulus. Qui enim manu admota aratro reſpexerit, non eſt aptus ad regnum cœlorum. Luc. 9. Non iubet perſequendos aut extrudendos

Parentes poſt Deū amandi.

parentes

*parentes, uxores, liberos, ſed ſinendos, ſi retrahant à* Parentes
*Chriſto aut pietate. Qui enim uexat patrem, et fugat ma* non ſunt
*trem, turpis eſt, & probro dignus.* Pro. 19. *Sic aliàs de* extrudēdi.
*membris ſcandalizantibus protulit.* Matth. 5. *Aliàs non ſunt contemnendi parentes, magiſtratus, uxor, liberi, familia, niſi pietate obſtent, & à regno cœlorum auellant. Ita & anima odio habenda propter* Euangelium *et regnum* Dei. *Quid multis? Omnia ſeruire debent* Domino, *& quicquid nos à timore & cultu* Dei *auocauerit, negligendū.* Deo *enim magis oportet obedire quàm hominibus.* Act. 5. *Nō eſt Chriſtianus, qui uxorem ſuam diligit ultra Chriſtum, qui chariores habet liberos pietate, cui potiora ſunt bona temporalia diuitijs cœleſtibus, qui præfert mundum regno cœlorum. Quantum ad charitatem pertinet, debemus parentibus omnem honorem, obedientiam & obſequium. Quantum uerò ad fidem attinet, oportet nos parentes odiſſe.*

LI.

Fieri non poteſt, ut qui ſemel fuerint illuminati, guſtauerintq́ donum cœleſte, & participes facti fuerint ſpiritus ſancti, guſtauerintq́ bonum Dei uerbum ac uirtutes futuri ſeculi, ſi prolabantur, denuo renouentur per pœniten-

tiam. Hebræ. 6.

Quicunq; inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Ioelis. 2.

*Non pugnant hi duo loci, ſed utriq; ueri ſunt. Nemo uere inuocat, niſi credat in* Deum. *Impoßibile enim eſt, ut quis illi ſine fide placeat* Heb. 11. *Nam quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt?* Rom. 10. *nihil bonæ ſpei conceperunt, de quo certi ſint an iuuare poſſit, an audiat clamantes, quiſquis fide inuocauerit nomẽ* Domini, *ſaluus erit. Aliàs hypocriſis & peccatum eſt, quod fide non fit.* Ro. 14. *ſicut* David *orat impiorũ orationem fieri peccatum.* Pſal. 107. *Igitur prior locus, qui eſt* Hebræ. 6. *Loquitur de his, qui abnegarunt fidem, & blaſphemant Chriſtum, prolapſi in infidelitatem et peccatum in ſpiritum ſanctum, ij non poſſunt renouari per pœnitentiam, non poſſunt inuocare nomen* Dñi. *Quando fides ſit donum* Dei, *& non liberi arbitrij, ut liceat ponere & recipere ubi libuerit. Qui me contemnunt, ait* Dominus, *erunt ignobiles.* 1. Reg. 2. *Qui me negauerit coram hominibus, negabo et eum coram patre meo, qui in cœlis eſt.* Matth. 10. *Vbi Chriſtum ſalutare amiſiſti, non habes amplius iuſtitiam. Si ignorans peccaſti, aut per fragilitatem humanam lapſus es, poteris renouari per pœnitentiam fide in Chriſtum. Septies enim in die cadit iuſtus, & reſurgit.* Prouer. 24. Rom. 13. *Induimini Ieſum Chriſtum.* Ephe. 4. *Renouamini ſpiritu mentis ueſtræ*

*Nemo* Deũ *uere inuocat niſi fidelis.*

*Peccatũ in ſpiritũ ſanctũ non habet locum pœnitẽtiæ.*

*Lapſus humanus habet ueniã.*

ueſtræ. At ſi uolentes peccauerimus, hoc eſt, ad infidelitatem relapſi fuerimus, canes reuerſi ad uomitum. 2. Pe. 2. poſt acceptam cognitionem ueritatis, id eſt fidem, non ultra pro peccatis reliqua eſt hoſtia, ſed formidabilis quædam expectatio iudicij & ignis uehementia, qui deuoraturus eſt aduerſarios. Hebr. 10. Vnde Chriſtus dicit peccatum in ſpiritum ſanctum non remitti, neq; in hoc ſeculo neq; in futuro. Mar. 3. Quia non poteſt deprecari uenia. Vbi fides abeſt, oratio eſt inefficax. Sola enim fides inuocat & impetrat. Bene tecũ agitur ſi uere poteris orare, at ſi excæcatus, non precaris ueniam, quomodo ſeruabere? Omnis qui uere inuocat nomen Domini, ſaluus erit. Incredulus atq; impius nunquam uere inuocat, ſed ludit Deum inanibus uerbis. Vides nunc an pugnent iſtæ duæ ſententiæ? & quàm nauci & inſipientes ſint homines, qui iſtam tragœdiam nobis excitarunt. Ioel de oratoribus loquitur, qui non peccauerunt ad mortem, id eſt, in ſpiritum ſanctum: ſed in fide ſtant. At Apoſtolus de blaſphemis in ſpiritum ſanctum.

Canes reuerſi ad uomitum.

Oratio [illegible] ra Dei [illegible] num eſt.

LII.

## Ego non iudico quenquàm. Ioan. 8. Pater omne iudicium dedit filio. Ioannis 5.

Statuimus in acie pauculos ex ueteri inſtrumento locos, q uidebantur mutuo cõcurrere, id eſt diſsidere inter ſeſe, ut priores in pugnam deſcenderent. Deinde altero loco

ro loco ordinauimus ex ueteri & nouo, pro ut ſeſe offe-rebant, non habito militum delectu, quos ſimiliter paßi ſumus confligere. Reſtant nunc uelut triarij ex nouo teſtamento, quos adlibuit poſtremo conſtituere, ut & ipſi manus conſerant, & alter alterum gladio proſternat, id eſt, interpretur & exponat. Conſiſte igitur lector, & illorum pugnam quoq; conſidera. Primi duo, ſi carnem conſtituas iudicem, acerrime concurrunt, ſed aliud ſentit ſpiritus. Chriſtus (Ioa. 8.) condemnat temerarium & carnale Iudæorum iudicium, qui ſecundum ea, quæ comprehendit ratio humana, iudicabant & condemnabant citra reſpectum & integram cauſſæ cognitionem, humana perſuaſione moti, & inquit: Vos ſecundum carnem iudicatis, putatis iudicium meum itidem carnale, ac non potius diuinum & ſpirituale. Ego iſta ratione non iudico quenquam, uidelicet humano more, iuxta uiſionem oculorum. Ieſaiæ 11. Nam ſecundum cor & adfectus iudico, non iuxta externam perſonam, quæ optima ſunt condemnando, uelut ſolet cæca caro. Et ſi iudicem ego, iudicium meum uerum & rectum eſt, quia patris. Non ſolus ſum & iudico, ſed ego et qui miſit me, pater. Pater & ego unum ſumus. Pater omne iudicium dedit filio. Ideoq́; ego non iudico, patris et filij iudicium unum eſt, nihil facio humana temeritate, ideo non iniquum eſt meum iudicium. Opera mea & patris ſunt communia, nihil facit alter ſine altero. Si ego iudico, non facio ſolus, ſed ego, et qui miſit me pater. Ego ueni, ut ſaluem mundum,

Iudiciũ carnale damnatur.

Iudicium Chriſti eſt patris.

*dum, & prædicem Euangelion regni, non ut condemnem. Adueni in mundum ſeruator, non iudex. Qui credit in me, aut uerbo meo, ſaluus erit, qui non, condemnabitur. Te ipſum igitur condemnas homo, qui in infidelitate permanes. Si quis audierit uerba mea, & non crediderit, ego non iudico eum. Ioan. 12. Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in extremo die. Iudex in rebus ciuilibus non condemnat furem, ſed ipſum crimen. Si nolueris ſuſpendi, ne furtum admiſeris. Moſe aut Lex quidem accuſat, ſed delictum condemnat. Iudex pronunciat legis ſententiam, cui homicida latrocinando factus eſt obnoxius. Iudicat Chriſtus impios, non ut homo, ſed ut Deus, patris authoritate. Verum iſthuc iudicium nō ſtatim reuelat incredulorum cordibus, donec appareat in maieſtate ſua iudex uiuorum atq; mortuorum, neq; dat eis ut pro iuſto iudicio Dei habeant, ſed pro iniuſtitia cum hic iudicantur, hoc eſt, puniuntur. Huc pertinent et illa: In iudicium ego ueni in hunc mundum, ut qui non uident, uideant. Ioan. 9. et nunc iudicium eſt huius mundi. Ioan. 12. & 2. Theſ. 2. Iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati. Euangelion reuelat impietatem Ro. 1. Detegit hypocriſim, & condemnat uniuerſas iuſtitias. Quod iudicium nemo niſi ſpirituales accipiunt. Nouiſſimo die palàm fiet, ut glorificentur palàm ij, qui crediderunt ueritati, & iudicentur omnes, qui non crediderunt. 2. Theſ. 1. & 2. Hic incipit iudicium impiorum, illic reuelabitur.*

*Lex eſt author ſententiæ.*

*Iudiciū impiorum abſconditum.*

Quis

LIII.

# Quis cognouit mentem Domini? Rom. 11.

# Nos mentem Chriſti tenemus. 1. Corinth. 2.

*Videntur uerbis pugnare, ſed ſi preßius introſpexeris, quæ utrobiq; præcedunt & ſequuntur, conciliabis optime, et minime diſſentire intelliges. Rom. 11. ubi multa de prædeſtinatione diſſeruiſſet* Paulus, *hoc epiphonemate concluſit tantam diſputationem:* O *profunditatem diuitiarũ ſapientiæ et cognitionis* Dei, *quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit mentem* Domini? *Aut quis fuit illi à conſilijs? Aut quis prior dedit illi, et reddetur ei? Quoniam ex illo, & per illum, et in illũ omnia.* Ipſi *gloria in ſecula,* Amen. Hoc *totũ uoluit* Paulus, *conſilia et iudicia* Dei *de uniuerſa rerum adminiſtratione, quare illos elegat et aſſumat, alios uerò reijciat, nobis abſcondita, adoranda potius q̃ inueſtiganda.* Pſa. 35. Iudicia Dei *abyſſus multa.* Et *prohibet ſcriptura ne altiora nobis perquiramus* Eccle. 3. Qui *enim ſcrutator eſt maieſtatis, obruetur à gloria.* Prouer. 25. Quare *igitur hunc ſaluet, alium condemnet, nõ eſt nobis ſcrutandum, ipſe ſolus nouit, et ad eius omnipotentiã ac maieſtatem pertinet, patris eſt beneplacitum & conſilium, nobis abſconditũ, hic nemo nouit mentem* Domini, *quia nemo conſiliarius eius fuit.*

*Iudicia dei nobis abſcondita.*

Quæ ſcripturis ſanctis prodita non ſunt, neſcire haud pudor eſt Tantum reuelauit nobis Deus Opti. Maxi. per uerbum et filium ſuum in ſcripturis, quantum ſcire opus eſt. Nemo nouit patrem niſi filius, & cui filius uoluerit reuelare. Matt. 11. Deum enim nemo uidit unquam, neq; uidere poteſt. 1. Timoth. 6. Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Ioan. 1. Is ſenſum patris nobis expoſuit, et uocali prædicatione docuit quæ ſcire neceſſe erat, manifeſtauit Euangelion, quod patris beneuolentiã explicat. De hac cognitione, quæ fit per uerbum Dei in ſcripturis ſanctis, loquitur Paulus. 1. Cor. 2. Nos mentem Chriſti tenemus, ſcilicet quam pateſecit nobis per uerbũ ſuũ. Vnde Chriſtus Ioan. 17. Verba quæ dediſti mihi, dedi eis, et ipſi acceperunt. Et diuus Ioannes: ſcimus ꝙ filius Dei uenit, et dedit nobis mentem, ut agnoſcamus illum qui uerus eſt, et ſumus in uero, in filio eius Ieſu Chriſto. 1. Ioan. 5. Vnde quæſo hanc mentem Chriſti ſcimus nos, niſi ex canonicis ſcripturis? Similiter Paulus in epiſtola ad Epheſios multa diſſerit de reuelato myſterio, quomodo Chriſtus temporibus ſuis pateſecerit arcanũ uoluntatis ſuæ, hoc eſt Euangelion enarrauerit, et prædicandum diſcipulis cõmiſerit. Vnde factũ fuit, ut ſpirituales, Chriſtiani ſcilicet, tantum ſciant, quantum eis per enarrationem uerbi Dei manifeſtatũ ſit. Hoc nimirũ uocat Paulus 1. Cor. 2. mentem Chriſti tenere uerbo. Verbo enim mentem ſuam expoſuit Chriſtus, unde ſupra diximus. Verbum eſſe faciem et imaginem patris. In ſumma, abſcondi

*In ſcripturis mentem ſuã expreſſit Deus.*

*Mentem Chriſti tenere.*

ta ſunt

ta ſunt nobis iudicio Dei, niſi quæ ſcripturis ſanctis reue lauit. En maieſtatem ſacrarum ſcripturarum, quæ men tem Chriſti ad nos adferant, contra nouitios pſeudopro phetas. De qua infra liberius.

Scripturæ maieſtas.

## LIIII.

# Ipſe eſt Helias. Matth. 11. Non ſum ego Helias. Ioan. 1.

Ioannes eſt Helias.

Malachiæ 4. promittitur Helias his uerbis: Ecce ego mittam uobis Heliam prophetam antequàm ueniat dies Domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, &c. Is Helias eſt Ioannes Baptiſta interprete angelo. Luc. 1. Ipſe præcedet in ſpiritu & uirtute Heliæ. Et Chriſtus Matth. 11. Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparaturus eſt uiã tuam ante te. Et ſi uultis recipere, ipſe eſt Helias ille, qui uenturus erat. Et Mar. 1. Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in prophetis: Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam ante te &c. Et Matth. 17. Dico uobis Heliam iam ueniſſe, & non agnouerunt &c. Ioannes igitur Baptiſta eſt Helias ille quem Malachias prædixerat. Cæterum quòd negat ſe eſſe Heliam Ioannes, non quidem illum ſe negat eſſe, quem Chriſtus dicit, ſed Theſbitem illum de ciuibus Gilead, qui temporibus Achab regis Iſrael prophetabat, curru igneo raptus in cœlum. 4. Reg. 2. de quo ſomniarant

Malach. tertio.

Heliam cur ſe negat Ioannes.

*rant Iudæi, reuerſurum in terram, ante Meßiæ aduentum, hunc ſe eſſe pernegat ad opinionem ipſorũ reſpondens. Aut per ταπείνωσιν, non arrogans ſibi dignitatem qua ſe minorem iudicabat, ueluti etiam fecit quando Chriſtum baptiſare debuit, quaſi ipſe indigeret lauacro regenerationis. Hoc enim ſancti habent peculiare, quòd non agnoſcant in ſe iuſtitiam, aut uirtutes multas, nihil arrogent ſibi, ſed extenuent et hummilient, id quod nunc pariter in Ioanne eſt cernere.* *Humilitas ſanctorum.*

## XLV.

## Quos uocauit, eos & ſanctificauit. Rom. 8.
## Multi ſunt uocati, pauci uerò electi. Matth. 20.

*Duplex eſt uocatio, Dei & hominũ. Dei uocatio fit in ſpiritu, interna et ſancta, qua Deus ab æterno elegit, præſcit, ſanctificat, et deinde trahit ad ſe per uerbũ ſuum externa prædicatione, de qua Paulus Ephe. 1. Elegit nos antequàm iacerentur fundamẽta terræ. Et 2. Theſ. 2. Elegit uos Deus ab initio in ſalutem per ſanctificationem ſpũs, ac fidem ueritatis, ad quod uocauit uos per Euangelium noſtrum in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hæc uocatio non fallit, non eſt ocioſa. Quicunq; ad eum modũ uocati ſunt, æterna ſcilicet electione Dei, ij non poſſunt perire. Ioan. 10. Nec peribunt in æter*

*Vocatio duplex.*

*Vocatio Dei rata.*

num, neq; rapiet eos quiſquàm de manu mea. De iſthac uocatione loquitur Paulus, id quod totum caput abunde teſtatur, præſertim cum ait: Quos prædefinierat, eoſdem uocauit, id eſt, quos ab æterno elegit & prædeſtinauit, eoſdem etiam per Euangelij prædicationem accerſiuit: quos uerò uocauit, eos et iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, hos et glorificauit. Ro.8. Altera quæ ab hominibus tantum fit, ſine ſpiritu mediatore, quando per nuncios ſpargitur Euangelion, tum inuitantur quotquot audiunt Euangelion: Magna pars audit uerbũ, minor pars fide arripit. Huius uocationis meminit Chriſtus in duabus parabolis: priore, quando paterfamilias in uineam: Poſteriore, cum rex ad nuptias inuitat per ſeruos ſuos. Matt.20. et 22. Concludens parabolas hac gnome: Multi ſunt uocati, ſcilicet per prædicationem nunciorum, Prophetarum, Apoſtolorum, ád uineam patris familias, & ad nuptias regis cœleſtis: pauci uerò electi ad regnum. Omnes audiunt Euangelium, ſed non omnes ſuſpiciunt. Nemo autem uere ſuſcipit nuntium illud ſacroſanctum, niſi diuina electione inuitatus Nõ. eſt uolentis neq; currentis, ſed miſerentis Dei. Rom.9.

*Vocatio hominum fallax.*

LXVI.

## Non erat ille lux. Ioan. 1.
## Ille erat lucerna ardẽs et lucens. Io. 5.

*Chriſtus lux uera.*

Chriſtus Ieſus natura lux eſt uera, quæ illuminat oẽm hominem. Ioan.1. id quod de ſe ipſo teſtatur, dum

inquit

inquit: Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed lumen uitæ habebit. Ioan. 8. Sine quo nemo illuminatur, ſed omnes ſumus in tenebris & denſiſsima caligine, niſi ille Meſsiah, qui uera lux eſt, nos illuminauerit. Nam ſi Ioannes tantus uir, qui non ſanctior natus fuit è mulieribus. Matt. 11. non erat lux uera, conſentaneũ eſt nos meras eſſe tenebras, caliginem et nebulas, niſi ille ſuum in nobis accenderit lumen. Credentium itaq; lux Chriſtus eſt, quem ſequentes lumen uitæ habent Matthæi. 5. Vos eſtis lux mundi, id eſt, teſtes ueræ lucis. Philipp. 2. In medio nationis prauæ ac tortuoſæ lucete, tanquã luminaria in mundo, ſermonem uitæ ſuſtinentes. ſancti itaq; dicuntur lux mundi, quia uerbũ Dei habent, per quod homines illuminandi ſunt, citra uerbum Chriſti neq; lux, neq; ſal poſſunt eſſe. Ita Ioannes non eſt uera et diuina illa lux, ſed lucerna ardens et lucens, igne ſpiritus ſancti accenſa, præco & teſtis huius æternæ lucis. Ioan. 1. Erat homo miſſus à Deo cui nomen Ioannes. Hic uenit ad teſtificandũ, ut teſtaretur de luce, ut omnes crederent per ipſum. Non erat ille lux illa, ſed miſſus erat ut teſtaretur de luce. Erat, inquam, lucerna: quia uerbum Dei, quod eſt lumen uitæ, circumferebat & prædicabat, non ſua natura, ſed per Chriſtum, cuius ſpiritu et gratia erat illuſtratus, ut intus in corde arderet fide & pietate, foris uerbo, doctrina, & charitate ſplendeſceret. In ſumma, quicqd lucis eſt in Ioãne, id à Chriſto habet, q ſolus eſt lux mundi, in cuius lumine uidebimus lumen. Pſa. 35.

Ioannes nõ eſt lux uera

Lux mundi quomodo ſint credentes.

Ioannes lucerna.

*Lucet Ioannes, ſed per Chriſtum. Sic Apoſtoli & uiri ſancti lux ſunt non natura, ſed gratia propter uerbum Chriſti, quod portant ad illuminationem gentiũ, Luc.12. Sint lumbi ueſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus ueſtris.*

### LVII.

## Nemo bonus, niſi unus, nempe Deus. Marc. 10.

## Bonus homo ex bono theſauro cordis ſui profert bonum. Luc. 6.

*Deus ſolus bonus.*

*Velut nemo lucet, niſi per Chriſtum Ieſum, qui eſt uera lux, illuminans omnem hominem credentem: Ita nemo bonus, pius, ſanctus, niſi per eundẽ Chriſtum, qui eſt ſummum bonum, ueritas, iuſtitia, uita, ſapientia, & uerbum patris. 1.Cor.1. Qui factus fuit nobis ſapientia à Deo, iuſtitiaq́; & ſanctificatio, & redemptio. Ioan.15. Iam uos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum uobis. Euangelium Ieſu Chriſti emundat atq; ſanctificat nos ſi fide fuerit receptum. Eſt enim uirtus Dei ad ſalutem omni credenti. Ro.1. Cui qui crediderit, ſaluus erit. Mar.16. Sic uides omne bonum eſſe à Deo. Iacob.1. qui ſolus nos purificat, & ex filijs iræ, in Dei filios per uerbum ſuum regenerat. Nemo bonus, niſi quem Dei bonitas bonũ reddit: nemo ſanctus, niſi quem Dominus ſanctificauerit. Igitur non pugnant hi loci, ſi ſaltem ſpirituali iudicio legeris. Natura nemo bonus eſt, niſi unus*

*Boni unde ſimus.*

*ille optimus maximusq́; Deus, gratia & ſpiritu Dei im mutatur homo, & fit bona arbor, iuſtus & ſanctus.*

LVIII.

## De die illo ac tempore nemo nouit, ne angeli quidẽ, qui in cœlo ſunt, nec ipſe filius, ſed ſolus pater. Marci 13.

## Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Matth. 28.

*Chriſtus bifariam loquitur in ſcripturis, aliquando ut purus, ſimplex, & nudus homo, cui nihil cum diuinitate commune ſit, ut plane declaret ſe uerum eſſe hominem. Aliquando uerò cum authoritate & poteſtate, tanquam Deus magnifice concionatur, ut manifeſte ſe uerum eſſe Deum probet. Quando comedit, bibit, dormit, infirmas uoces edit, hominẽ ſe declarat: at quando mortuos ſuſcitat, cæcis uiſum reddit, languidos curat, Deum ſe eſſe demonſtrat. Hic tanquam homo diſsimulans diuinitatem, dicit ſe ignorare diem extremum. Non enim eſt hominum noſſe tempora & articulos temporum, quos pater cœleſtis in ſua ipſius conſtituit poteſtate. Acto. 1. ne diſcipuli (quibus expediebat ignorare definitum tempus) indolerent, quòd ipſis haud reuelat, Citius à ſe remittens, dum ſe neſcire dicit, quàm ſi confeſſus ſe ſcire*

*Chriſtus nõ nũquàm ut Deus, non nunquã ut homo loquitur.*

*Diuinitatis et humanitatis argumenta in Chriſto.*

*Chriſtus quõ ignoret diem extremum.*

*momenta & diem, obticuiſſet.* Rurſus *diuinitatem ſuam declarat his uerbis:* Data eſt *mihi omnis poteſtas in cœlo & terra.* Et alibi: Mea *omnia tua ſunt pater, & tua mea.* Ioan. 17. Ego *& pater unum ſumus.* Ioannes 10. *Quæ ſi nõ obſeruaueris lector, qui poterit tibi ſcriptura eſſe concors? Conferenda & collatis locis concilianda magiſtro ſpiritu, non è ratione confictis argumentationibus.* Chriſtus *uelut* Deus *omnia habet in poteſtate ſua, nihil neſcit, omnia nuda & reſupinata oculis eius. Si quæ ignorare ſe dicit, ſecundum humanitatem intelligit.* Mirum *autem* Chriſtum *hominem neſcire diei extremi horas & tempora, quod noſtri impoſtores nouitij, pſeudoprophetæ,* Anabaptiſtarum *et huius factionis agmina nouerunt, uelut ſe exploratos habere gloriantur, quaſi fuerint à conſilijs* Dei, *& ex ipſius digitulis ſuxerint.* Certo *enim definierunt, non abfuturum diem extremum duobus annis, qui & ipſi præterierunt.* Nos *credimus haud longe abfuturum, quia ſigna quæ prædixit* Dominus, *præ oculis cernimus: ſed articulos & momenta temporum non definimus, quia pater conſtituit in ſua poteſtate.* Vigilare *iubet, ne improuiſos nos obrepat, uelut fur in nocte.*

*Chriſtus Deus.*

*Diem extremũ gloriantur ſe ſcire noſtri prophetæ.*

## LIX.

Gloriam meam non quæro. Ioannis 8.
Ego ſum lux mundi. Ibidem.

Paulo

*Paulo ante dixerat Chriſtus eodem cap.* Ioan.8. Ego *dæmonium non habeo,ſed cohoneſto patrem meum.* Et Ioan 5. Ego *non quæro uoluntatem meam,ſed uoluntatem eius, qui miſit me patris.* Ita *quoq; hic ait:* Gloriam *meam non quæro.* Omnia *accepta refert patri: cuius gloriam ſolum quærit,ſicut* Ioan.17 *ipſe interpretatur.* Ego *glorificaui te ſuper terram,opus cōſumaui,quod dediſti mihi ut facerem.* Manifeſtaui *nomen tuum hominibus quos dediſti mihi de mundo.* Iam *credo liquet,* Chriſtum *loqui de patris gloria quæſita, non affectata propria.* Quòd *uerò ſe lucem mundi prædicat, non eſt gloriam affectare,ſed ſimpliciter ueritatem fateri.* Nam *ipſe uerus* Meßiah*, uere lux mundi eſt, ſicut uere paſtor eſt,uia, ueritas,uita,filius & ſapientia* Dei. Hoc *autem non eſt laudem ambire,ſed confiteri ueritatem, & ſe mundo declarare.* Vt *cum ſe noſter* Carolus Hyſpaniarum *rex* Cæſarem *aut* Imperatorem *pronunciat,non affectat gloriam ſuam,eſt enim uere* Cæſar *et* Imperator*,ita* Chriſtus *uere lux mundi,qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum.* Nemo *illuminatur,niſi authore* Chriſto*, nemo uidet lumen uitæ,niſi per* Chriſtum. Nemo *penetrat tenebras huius mundi, niſi* Chriſto *duce, ſolus illuſtrat,uiuificat et ſaluat.* *Chriſtus eſt lux mundi.*

## LX.

## Qui gladium accipit, gladio peribit. Matth.26.

## Qui habet tunicam, uendat eam, & emat gladium. Luc. 22.

Gladius in ſcripturis pro uerbo Dei.

Gladius in ſcripturis ſanctis aliquando ſine tropo uſurpatur, ut in priore uerſu: Qui gladium accipit. Aliquando uerò figurate, ut in poſteriori uerſu: Emat gladium. Cum figurate & metaphorice ſumitur, pro uerbo Dei uſurpatur, quò unico contra Sathanam & omnes aſſultus tenebrarum, aduerſus ſpirituales nequitias in cœleſtibus pugnandum eſt. Hoc armatos uult ſuos diſcipulos Dominus Ieſus: his armis cacodæmona pepulit Matt. 4. uolens nos iiſdem profugare diabolum. Ephe. 6. Galeam ſalutaris accipite, & gladium ſpiritus, qui eſt uerbum Dei. Apoc. 1. Ex ore filij hominis procedit gladius utraq; parte acutus. Viuus eſt enim ſermo Domini, et penetrantior quouis gladio utrinq; incidente. Heb. 4. Hunc gladiũ uerbi Dei iubet Dominus emere, qui abſq; auro & argento (Ieſa. 55.) Sola fide comparatur. Non uult gladio corporali & ferreo pugnare Chriſtianos & priuatos homines, more gentium aut latronum, alioqui non prohibuiſſet toties uindictam, ne malo reſiſtamus. Matt. 5. Sed uincamus in bono malum. Roman. 12. Et 1. Petri 3. Vnde Petrum illegittimo iure, non iubente Domino, contra miniſtros gladij gladium accipientem, grauius obiurgat, præcipiens enſem uaginæ reſtituendum. Ioannis 18. Significans iſtis armis non defendendum Euangelion, ſed oratione et patientia. Lu-

Euangeliõ non debet armis defendi.

*cæ 11. In patientia ueſtra poßidebitis animas ueſtras. Iubet itaq; uendere tunicam, peram, & quicquid nos ab ſermone ueritatis retrahit, abrenunciandum carni & præſidijs eius, & ſola fide adhærendum uerbo* Dei. *Hoc unum faciendum, quod præcipit ſermo diuinus, cætera uelut noxia relinquenda. Iſto gladio, qui eſt uerbũ* Dei, *ſceptrum iuſtitiæ, uirga æquitatis, uirga oris* Domini, *& ſpiritus labiorum ſuorum, interficitur impius. Ieſa. 11. 2. Theß. 2. Expugnatur Sathan, & pellitur omnis hoſtis.*

## LXI.

Omne quod uenit ad me, nõ eijciam foras. Ioan. 6.

Non eſt uolentis, neq; currentis, ſed miſerentis Dei. Rom. 9.

*Qui hos locos pugnare dixit, cæcus eſt in legendis literis ſacris, iudicat quod neſcit, diſcernit quod non uidet, attamen magiſter eſſe uult, & magnus haberi. Arripit locum aliquem è medijs biblijs, quo detorto ſuo ſenſui ſeruire cogit, negligens id quod uel præcedit, uel ſtatim ſequitur. Qualiter faciunt iuſticiarij in illo loco. Ionæ 3. Vidit* Deus *opera eorum &c. mox ad operum iuſtificationem rapiunt, neglecto quod paulo ante dixerat: Crediderunt uiri Niniuitæ* Domino *&c. Ex fide proueniunt bona opera, quæ reſpicit* Deus*: quod ex fide non*

I 5 fit,

*ſit, peccatum eſt.* Ro. 14. *Ita etiam hic lib. arb. aſſertores hoc tantum uiderunt.* Omne *quod uenit ad me, quaſi penes nos ſit accedendi poteſtas.* Sed *quod præcedit:* Omne *quod dat mihi pater ad me ueniet, & nemo uenit ad me, niſi pater meus traxerit eum, non cernunt uaniſsimi ſcripturarum laceratores, diuellentes quæ debent perpetuo cohærere.* Ru*rſus cõnectentes, quæ ſeparanda erant.* Chri*ſtus illic apud* Ioannem *non alia dicit, quàm quæ* Paulus Romanis *ſcribit: nihil intereſt inter utranq; ſententiam.*

*Contra lib. arbit.*

*Electio eſt penes Deũ*

Nemo *uenit ad* Chri*ſtum, niſi fuerit ei datum à patre, niſi quem traxerit, & cuius miſeretur cœleſtis pater.* Mi*ſerentis* Dei *eſt, nõ uolũtatis humanæ, ſi uenimus ad* Deũ. S*alus noſtra non in poteſtate hominis, ſed in manu* Dei *omnipotẽtis repoſita eſt.* Ille *quos uult, ſeruat, quos uult, condemnat.* Iu*ſtus eſt, et recta iudicia eius.* Recipit *filius* Dei Ie*ſus* Chri*ſtus, quos ipſe pater tradiderit, & eorum nullum reijcit.* Ioan. 17. Q*uos dediſti mihi pater, ego cuſtodiui.* Q*ui citra electionẽ atq; uocationem* Dei *uult ad eum pertingere, fur eſt & latro.* Ioan. 10. Mi*ſericordiæ* Domini *opus eſt, ſi uenimus ad* Chri*ſtũ, id eſt, credimus in filium* Dei, *non uoluntatis lib. arb.* Scriptũ *eſt enim:* Erunt *omnes docti à* Deo. Ie*ſa.* 54.

## LXII.

## Non ueni ut iudicem mundum, ſed ut ſeruem mundum. Ioan. 12.

## In iudicium ego ueni in hunc mundum. Ioan. 9.

Chri-

Chriſtus non uenit in hunc mundum ut iudex, ut condemnet mundum, ſed ut ſeruet omnes credentes: prædicat uerbum ſalutis, Euangelium remiſsionis peccatorũ, omnes uocat, omnibus offert gratiam, ad uniuerſos uenit uerbo ſalutis, cui attendentes, ſeruantur. Primus aduentus Ieſu in mundũm eſt ſalutaris, iucundus, ſuauis, expectatus: tum enim nõ iudex, uelut in ſecundo aduentu, ſed ſeruator apparuit 1. Ioa. 4. Pater miſit filium ſeruatorem mundi. Euangelion quod attulit eſt uerbum ſalutis & gratiæ: quod qui fide arripuerit, ſaluus erit, qui uerò non crediderit, condemnabitur. Mar. 16. Hoc nimirum eſt illud iudicium, in quod uenit Chriſtus, ut credentes ſaluentur. Impij qui nolunt credere, perdantur. Cæci peccatores damnati, et coram mundo deſpecti, & ignorantes Dei, agnoſcant Deum, et qui uident, iuſti et ſapientes, cæci fiant, et magis excæcentur iuſto iudicio Dei. Poſitus eſt enim in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael. Luc. 2. in lapidem offenſionis et petram ſcandali. 1. Pet. 2. Salutaris eſt credentibus, excæcatio & iudicium contemptoribus. Velut ſol lucidus ſplendet in orbe terrarum, ut mundum illuminet, non ut tenebras obducat et excæcet. Tamẽ haud pauci ad ſolis fulgorem excæcantur. Et plures lumen accenſum tolerare non poſſunt uicio oculorum. Ita Chriſtus in iudicium uenit in hunc mundum, ut qui non uident, uideant, et qui uident, cæci fiant. Non uenit mittere pacem, ſed gladiũ. Potior enim pars ueritatis impatiens, & ſua ipſorum infidelitate turbata

*Chriſtus uenit ſaluare.*

*In iudiciũ uenit Chriſtus in mũdum.*

*Sol illuminat & excæcat.*

*Gladiũ mittit Chriſtus*

bata, diſſenſiones excitat contra Euangelion & miniſtros Chriſti. Illis uenit in iudicium et condemnationem, dum cæcis & eſurientibus in ſalutem et expectationem, ac petram refugij apparuit.

LXIII.

Si ego teſtimonium perhiberem de meipſo, teſtimonium meum non eſſet uerum. Ioan. 5.

Etſi ego teſtimonium perhibeam de meipſo, uerum eſt teſtimonium meum. Ioan. 8.

*Teſtimoniũ carnale dãnatur.*

Reijcit Chriſtus (Ioan. 5.) hominum carnale teſtimonium, humano more loquentiũ, qui de ſe magnificis uerbis gloriantur quidem, ſed plerunq; uana oſtentatione fumos uenditant. Mendaces enim ſunt filij hominum, ut fraudem faciãt in ſtateris, ipſi ex uanitate ſimul. Pſal. 61. Omnis homo mendax. Pſal. 115. Suo iudicio magni ſunt & inflati, ſeipſos laudant, tument et extollunt, corã alijs quærentes gloriam ab hominibus. At Chriſtus non ita: Ego, inquit, ab homine teſtimoniũ non accipio, nõ meipſum hominũ more cõmendo. Nõ quæro uoluntatẽ meã, ſed eius qui miſit me. Ioan. 5. Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Ioan. 7. Gloriã meam non quæro, Ioan. 8. minime ambio popularis gloriæ fumum. Opera quæ facio teſtantur de me, ꝙ pater miſerit me. Et qui me

*Chriſtus patris gloriã ubiq; quærit.*

miſit

*miſit pater, ipſe teſtatus eſt de me. Ioannes quoq; fert de me teſtimoniū, quemadmodū etiā ſcriptura. Si ego ſolus uelut priuatus homo, meipſum magnificis uerbis commendarē auribus uulgi, teſtimoniū meum eſſet ementitū ac nullius pōderis: Scriptū enim eſt: Prædicet te alienus non os tuum: peregrinus, non labia tua. Pro. 27. At quia non ſimplex homo ſum, ſed unū cum patre, uerus Deus et homo, lux mūdi atq; ſal terræ, ipſa ueritas, quoties de me teſtatus fuero, uerißima ſunt quæ dico, non mentior, nō fallo, ſpiritualiter iudico & teſtor, nō carnaliter meis affectibus ſeruiens: ad eum modū loquitur. Ioa. 8. Et ego ſi teſtimoniū perhibeam de me ipſo, uerū eſt teſtimoniū meum, id eſt, quia Dei filius ſum, mentiri non poſſum.*

Laus propria ſordet.

LXIIII.

## Non poſſum ego ex me ipſo facere quicquam. Ioan. 5.
## Nemo tollit animam meam, ſed ego pono eam à me ipſo. Ioan. 10.

*Iterum loquitur uelut homo imbecillis & infirmus, ab alieno auxilio pendens, quādo inquit ſe nihil poſſe à ſeipſo facere, patri dans gloriam, & declarans quòd eadem ſit operatio, uoluntas atq; potentia patris & filij, omnia reijcit in Deum, per quem ſic omnia poſſe affirmat. Velut Paulus quoq; fecit, magiſtrum ſuum imitatus. Omnia, inquit, poſſum per Chriſtum, qui me corroborat, Phil. 4. Vide quantum ſe humiliet Chriſtus Deus*

Chriſtus à patre pendet.

noſter,

noſter, forma ſerui ſumpta, & figura repertus ut hõ, ſe ipſum exinaniuit, ut dicat ſe nihil poſſe, & in cruce clamat ſe derelictum, in tantum pendet à patre, in quem ſolum ſuſpicit. Deinde quando ſolus animam ponit, et nullus aufert citra ipſius uoluntatem, diſce diuinam uirtutẽ in Chriſto, qui poteſtatem habet ponendi animam, & poteſtatẽ rurſus ſumendi, ne furioſi Iudæi gloriari poſſint, ſe occidiſſe Ieſum Dominum gloriæ. Ipſe ſemetipſum uolens tradidit in mortem, teſte propheta: Oblatus eſt, quia ipſe uoluit. Ieſa. 53. Quod et de ſe prædixit. Ioan. 2. Deſtruite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud. Et in cruce: Pater in manus tuas cõmendo ſpiritum meum. Lu. 23. Idem Apoſtoli prædicarunt. Acto. 2. Hunc definito conſilio et præſcientia Dei traditum. Et Actor. Deus quæ pronunciauerat per os omnium prophetarum ſuorum Chriſtum paſſurum, impleuit ſic. Acto. 4. Conuenerunt ad faciendum quæcunq; manus tua & conſiliũ tuum prius decreuerat ut fierent, et uelut ſua ſponte ſeſe obtulit in ſupplicium mortis, ita quoq; propria potentia ſemetipſum excitauit à mortuis, ut filium Dei ſe declararet magnifica uictoria.

Chriſtus ſolus animã ponit.

LXV.

Voluntati illius quis reſiſtit? Romanorum. 9.

Vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis. Actor. 7.

Quòd

Quòd Paulus dicit, neminem poſſe diuinæ poteſtati reſiſtere, de omnipotenti, impermutabili ac æterna ipſius uoluntate intelligendum eſt, qua creat alios uaſa miſericordiæ, alios uaſa iræ, id eſt, aliquot eligit et ſanctificat ab æterno, aliquot reijcit et excæcat. Miſeretur cui uult, & quem uult indurat. Proue. 16. Omnia facit Dominus propter ſe, etiam impium ad diem malum. Huic uoluntati Dei nemo poterit reſiſtere. Velut lutum figulo non contradicit, ita et creatura Dei uolũtati reſiſtere nequit. Stabit enim conſilium Domini, et omnis uoluntas eius fiet. Ieſa. 46. Non ſiſtitur ulla potentia, nec flectitur tyrannide, neq; remoratur ullis obſtaculis. Impij uidentur quidẽ uoluntati ipſius reſiſtere, dum ſe opponunt ueritati & miniſtris eius, dum uerbum Domini ſupprimere, et prophetas perdere moliuntur (quemadmodum Stephanus pertinaces Iudæos obiurgat. Act. 7.) ſed nihilo plus promouent, quàm ſi dent operam ut cum ratione inſaniant. Non eſt enim ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. Pro. 21. Magnus eſt Dominus Deus noſter. Omnia quæcunq; uoluit fecit in cœlo et in terra, in mari & in omnibus abyſsis. Pſal. 134. Si plura deſideras, lege quæ ſupra locis. 47. annotauimus.

Deo nemo poteſt reſiſtere.

Impij reſiſtunt Deo.

LXVI.

## Omnis qui petit, accipit. Matth. 7. Petitis & non accipitis. Iacob. 4.

Hæc eſt fiducia quam habemus apud Deum, inquit ſa-

cer ille Chriſti ſcriba, quòd ſi quid petierimus ſecundum uoluntatem eius, audit nos 1. Ioa. 5. Et Chriſtus Ioa. 16. Quicquid petieritis patrem meũ ſub nomine meo, dabit uobis, et Mar. 11. Dico uobis: Quæcunq; orantes petitis, credite quòd accipitis, et erunt uobis. In fide orandũ eſt, et iuxta uoluntatem Dei, non contra uoluntatẽ dñi, alio qui nos ipſos mẽdaces facimus, qui orantes dicimus. Fiat uoluntas tua. Si fide petierimus, exaudit nos, aliâs non. Fides enim non orat contra Dei uoluntatem. Iacobus aũt ſcribit contra quoſdam uanos murmuratores citra fidem precantes: Petitis et nõ accipitis. Cur uerò repulſam patiantur, ipſe mox ſubnectit: Eo ꝙ male petatis, ut in uoluptatibus ueſtris inſumatis. Id eſt, Deus omnipotens nõ exaudit clamores ueſtros, quia nõ oratis ex fide, ſed contra uoluntatẽ Dei, in ueſtrã uoluptatẽ. Deus nõ acceptat preces cõtra uoluntatẽ et uerbũ ipſius effuſas, quæ fiunt in uoluptatem carnis, ſed eas tantũ audit, quæ fiũt iuxta conſilium ipſius, quando ipſi tribuitur gloria. Impiorũ uerò preces potius clamor ſunt et inutiles labiorũ ſtrepitus, quàm oratio, ideóq; nõ exaudiuntur. Et Dauid precatur. Pſalm 108. Impiorum orationem fieri peccatum. Fidelem orationem exaudit Deus, infidelem reſpuit.

*Oratio fidei exauditur.*

*Orationes carnales non exaudiuntur*

LXVII.

## Vnica oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui ſanctificantur Hebræ. 10.

Suppleo

# Suppleo quod deerat afflictionum Chriſti in carne mea, pro corpore ipſius, Col. 1.

*Chriſtus Ieſus unica corporis ſui oblatione ſanctificauit omnes credentes in perpetuum.* Nobis *natus & datus.* Ieſai. 9. *ut quotquot reciperent eum, acciperent poteſtatē filios Dei fieri.* Ioa. 1. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam.* Ioa. 3. *Semel oblatus eſt, ut multorum peccata tolleret.* Heb. 9. *Semel pro peccatis noſtris paſſus fuit.* 1. Petri 3. *Semel mortuus eſt, iam non moritur amplius.* Roman. 6. *Quid multis? Chriſtus unico mortis ſupplicio, redemit uniuerſos credentes ab æterna morte.* Et *ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* 1. Ioan. 2. *Sicut enim* Moſes *exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportuit filium hominis, ut omnis qui credit in eum, nō pereat, ſed habeat uitam æternam.* Ioa. 3. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem ac uictimā* Deo *in odorem bonæ fragrantiæ.* Ephe. 5. *Sanctificati itaq; ſumus per oblationem corporis* Ieſu *Chriſti ſemel peractam.* Hebræ. 10. *An plura requiris teſtimonia?* Lege *Ieſaiam cap.* 53. *Iam quòd* Papiſtæ *& noui quidam impoſtores, ex illo loco* Pauli, Colo. 1. *Suppleo quod deerat afflictionū Chriſti etc. rugiunt, Chriſti mortem non ſatis fuiſſe*

*Chriſtus unica morte redemit omnes.*

*Chriſtū nō ſatisfeciſſe pro pctīs oīm credentium, blaſphemia eſt.*

*Apoſtoli et Sancti non mortui ſunt pro peccatis noſtris.*

*pro abolendis peccatis omnium credentium, ſed Apoſtolos, martyres, ſanctos conſumaſſe defectum, id eſt, ipſos quoq; pro expiandis peccatis noſtris tuliſſe mortis ſupplicium. Deinde etiam nos ſupplere, quod deerat, horrenda eſt blaſphemia paßionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & conuicium in ſpiritum ueritatis. Moriendum erat Apoſtolis & martyribus, quando conſtitutum erat hominibus mori, ſed mors eorum non liberauit ipſos à morte perpetua, non placauit iram patris, non eſt redemptio piorum, ſed tantum innocentis mortis teſſera, aut Chriſtianæ doctrinæ ſigillum: potius fores aperuiſſet ad mortem, niſi prius Chriſti morte fuiſſent redempti. Sola igitur Chriſti mors eripuit nos à morte perpetua, totum debitum perſoluit pro nobis, qui nō eramus ſoluendo, non reliquit nobis partem ſoluendam, uelut infernales furiæ relatrant. Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato. 1. Ioan. 1. Ipſe ſolus eſt dilectus patri, in quo ſibi complacuit. Nulla mors grata patri, niſi filij ſui unigeniti, in quo ſolo dilecto, dilectos nos ſibi reddidit. Ephe. 1. Nihil igitur horum ait Paulus, quod oportuerit ſanctos defectum redemptionis noſtræ complere, uelut maleſani homines Apoſtolo imponunt. Sed agnouerat Paulus Chriſtianos affligendos & trucidandos pro nomine Ieſu, Deinde Chriſtianorum afflictiones eſſe Chriſti, iuxtà illud: Qui tangit uos, tangit pupillam oculi mei. Zac. 2. Et quod uni feceritis de minimis meis fratribus, mihi feciſtis. Matth. 25. Quando etiam ſibi Paulo adhuc perſecutori*

*Mors Chriſti ſola patri grata.*

*Chriſtianorū afflictiones ſunt Chriſti.*

*cutori dixerat uox* Dei: *Saul Saul quid me perſequeris?* *Cum tamen Eccleſiam perſequeretur. Reſtabant igitur adhuc paßiones aliquæ, nondum paſſæ à capite Chri-ſto, paſſurus eaſdem in membris ſuis, id eſt ſanctis. Omnes enim qui piè uiuere uolunt in Chriſto, perſecutionem patientur.* 2. Timo. 3. Et Chriſtus dicebat: *Si me perſecuti ſunt, et uos perſequentur.* Ait itaq; Paulus, *ſe nunc adimplere quod deerat paßioni Chriſti, id eſt, ſe ſuam portare crucem, conſortem fieri adflictionum Chriſti* 1. Petri 4. *conformem imaginis filij* Dei. Roman. 8. *pati quod nondum paſſum erat, & curſum ſuum conſumare, ſupplere quod deerat, quod ſibi impoſitum fuerat, ad quod ipſe ordinatus fuiſſet adfligi pro Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti* 2. Timoth. 2. *Omnia ſuffero propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ (ſalus) eſt in Chriſto Ieſu cum gloria æterna. In carne mea, inquit, ego ſuppleo quod deerat, ad quod me uocauit atq; ordinauit* Dominus, *qui crucem Eccleſiæ ſuæ reliquit, cuius & ego particeps factus, conſumo uocationem meam. Non autem dicit:* Ego *ſuppleo redemptionem generis humani, quemadmodum debuerat dixiſſe, ſi uera eſſet illorum ſententia.* Tantum *inquit ſe paßionem adimplere, et pati pro fratribus, ut confirmentur in* Euangelio. *Aliâs enim ipſe errorem eorũ ſugillat, quum inquit:* Nunquid Paulus *pro uobis crucifixus eſt? aut in nomine* Pauli *baptizati fuiſtis?* 1. Cor. 1. *In ſumma, nemo ſanctorum confregit infernum, uicit mortem, alligauit* Sathanam, *con-*

Chriſtiani adfligendi.

Paulus cõplet defectũ paßionis Chriſti.

calcauit peccatum, emeruit nobis regnum Dei, niſi ſo-
lus Ieſus Chriſtus, per quem habemus redemptionẽ per
Paulus nõ ſanguinem ipſius. Ephe.1. Coloſ.1. & non per mortem
cõpleuit re Apoſtolorum & martyrum. Chriſti adflictio & mors
demptionẽ. eſt ſalus credentium, non Apoſtolorum, Prophetarum
aut martyrum mors.

LXVIII.

## Prædicate Euangelion omni creaturæ. Marc.16.

## Ne proieceritis margaritas ante porcos, Matth.7.

Præcepit Dominus Ieſus diſcipulis ſuis prædicare Euangeliõ omni creaturæ, hoc eſt, palàm, non tantũ Iudæis, ſed & gentibus, quòd omnes ſub cœlo audiant Euangelion, ut ſi omnes creaturæ habeant aures audiendi, audiant hoc lætum et ſalutare nuncium redemptionis humanæ, et nemo ſit qui excuſare poſſit, nondum apud ſe ſparſum hoc diuinum ſemen, neq; intonuiſſe cœleſtem illam doctrinam. Hinc Paulus è Pſalmis ait: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Pſalm 18. Roma.10. & Coloſ.1. Euangelion prædicatum eſt apud uniuerſam creaturam, quæ ſub cœlo eſt, id eſt, ubiq; percrebuit, nuſquam non auditæ ſunt uoces Euangelij, & prædicatio de Ieſu Chriſto intonuit in orbe uniuerſo. Quid uerò ſibi uult, quando prohibet Sanctum dare canibus, & margaritas ſpargere ſuibus

Euãgelium prædicandum omni creaturæ.

Sanctum. Margaritæ

*bus?Nam ſanctum et margaritæ ſignificant Euangelium Ieſu Chriſti. Hoc uult ubiq; concionandum Euangelion, niſi ubi uideritis tantum canes, id eſt perſecutores uerbi, ac porcos, id eſt, contemptores, & nullas oues, omnino tunc tacendum erit. Matth. 7. ne canes inuerſi in uos lacerent uos: et porci conculcent margaritas pedibus ſuis. Prouerb. 9. Qui caſtigat ſubſannatorem, ignominia adficietur. Et corripiens impium, contaminabitur. Ne corripe ſubſannatorẽ, ne oderit te. Si corripueris ſapientem, diliget te. Da ſapienti, et ſapientior erit, & Pro. 23. Auribus ſtulti ne loquaris: contemnit enim prudentiam ſermonis tui. Verum ſi canibus atq; porcis mixtæ fuerint oues, quæ libenter audiunt uocem ueri paſtoris, minimè tacendum erit. Sic Chriſtus prædicauit præſentibus Phariſæis, ſed propter turbam. Quando uerò uidit omnino fore abſq; fructu, abijt & dereliquit eos. Acto. 18. Cum Paulus prædicaret Corinthi, & multi reſiſterent ei: dixit Dominus nocte per uiſionem Paulo: Noli timere, ſed loquere, et ne taceas, propterea quòd ego ſum tecum, & nemo adorietur te, ut affligat te: quoniã populus eſt mihi multus in hac ciuitate. Iam uides iſtos locos minimè pugnare. Prædicandum eſt Euangelion omni creaturæ, nuſquã non, publicè ac priuatim, in luce, in tenebris, ſecreto, et in propatulo atq; in tectis. Vbi uerò depræhẽderis canes et porcos in grege, præterea nihil, tace potius, & ne ſparſeris ultra margaritas ante porcos. At quando uideris ab aliquibus recipi uerbũ, propter illos prædica:*

*Canes.*

*Porci.*

*Euãgelium non communicandum contemptoribus.*

*Euangeliõ ubiq; prædicandum.*

dica: coram ſolis canibus non prædica. Audis Chriſtiane lector, uocalem prædicationem, & externum uerbum præcipi, ne igitur contempſeris: hoc enim medio plerunq; illabitur ſpiritus ſanctus. Ne audias nouitios prophetaſtros, ab ſcriptura et prædicatione externa reuocantes ad uoces cœleſtes, ad ſomnia & uiſiones. Sathanæ hoc commentum eſt, quo inuadit te, ut deijciat de ſimplicitate erga Chriſtum: transfiguratur in angelũ lucis, quærit occaſionem perdendi te, apparauit decipulam. Vigila igitur & ora. Deinceps liberius occurremus furori pſeudoprophetarum, ſcripturas irridentium.

*Vocalis prædicatio neceſſaria.*

## LXIX.

## Deus uult omnes ſaluos fieri. 1. Ti. 2. Pauci ſunt qui ſaluantur, Lu. 14.

*Saluare.*

Obſerua uerbum ſaluare non ſemper ſignificare æternam ſalutem conſequi, ſed ſæpius ſumi pro ſeruare protegere, cuſtodire, ſuccurrere & adiuuare: uelut Pſal. 35. Homines & iumenta ſaluabis Domine. Hoc eſt nutris, adiuuas & conſeruas homines & animalia, paſcis uniuerſa: nemo eſt qui ſeruet, nutriat, paſcat, niſi tu ſolus, qui ſinis ſolem oriri ſuper bonos atq; malos. Matth. 5. Qui das eſcam omni carni. Pſa. 135. ſic accipitur Mat. 24. Niſi decurtati fuiſſent dies illi, nõ fieret ſalua omnis caro. Hoc eſt, perirent uniuerſi homines, & ne ullus ſuperſtes ac ſaluus remaneret. Item Matth. 8. Salua nos: perimus, id eſt, adiuua, ne ſubmergamur. Deinde Matthei

thei 27. Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere, id eſt, adiuuit multos & ſeruauit incolumes, ſeruet nunc ſeipſum à morte. Sic Marc. 6. Quotquot tangebant eum ſalui fiebant. Ita hic Deus uult omnes ſaluos fieri, de ſalute communi & corporali intelligendum eſt. q. d. Apoſtolus: orate pro regibus et principibus, ut quietam et pacificam uitam degamus. Nam hoc bonum & acceptum eſt corã Deo, qui cunctos uult ſaluos fieri, qui reges, principes, et nos ſeruat, fouet atq; nutrit, ſalutem et pacem indulget: hunc ſenſum uidetur cogere totus cõtextus. Inde etiam ſaluari pro æternã ſalutem conſequi, benedici et iuſtificari tranſſumitur, quã ſpiritualem ſalutẽ pauci aſſequuntur. Multi enim ſunt uocati, pauci uerò electi. Arcta eſt porta quæ ducit ad uitã, et pauci ſunt qui inueniunt illam. Mat. 7. Puſillus eſt grex Chriſti. Lu. 12. Ieſa. 10. Si numerus filiorũ Iſrael fuerit ſicut harena maris, reliquiæ duntaxat ſaluæ erunt. Pſa. 11. Defecit ſanctus & diminutæ ſunt ueritates à filijs hoĩm. Alij interpretantur priorem locũ ad hunc modum: Deus uult omnes ſaluos fieri, id eſt, ad omnes uenit ſuo uerbo, omnes inuitat ad ſe, nullos excludit atq; reijcit, qua uocatione declarat ſe omnium ſalutem uelle. Quemadmodum alibi inquit: Nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. Ezech. 18. Et non ueni ut iudicem mundum, ſed ut ſeruem mundum. Ioan. 12. Atq; maior pars uerbum ſalutis contemnit, et non ſaluatur, ſecretũ eſt Dei iudicium adorandum potius quàm inueſtigandum, et cum Dauide

Pauci ſaluandi.

Deus uult omnes ſaluos fieri.

*dicendum: Iuſtus es Domine, et rectū iudicium tuū.* Eſt *et impietatis culpa, quòd minimè omnes ſalui fiunt: credant* Euangelio, *uerbo ſalutis, & ſalutem aſſequentur.*

LXX.

Qui uicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo. Apo.3.

Sedere ad dexteram non eſt meum dare, ſed ijs continget, quibus paratum eſt. Marc.10.

*Nemo uicit Sathanā niſi Christus.*

N*ihil diſsident iſtæ ſententiæ ſi preſsius introſpexeris. Quis uincit Sathanam, peccatū, mortem, infernum? nemo hominum: ergo nemo ſedebit cum* Chriſto *in throno ſuo, quia nemo uicit.* Fortiores *nanq; ſunt principes tenebrarum, quàm ut ab homine animali uincantur. Alter locus, qui eſt* Matt.20. *aut* Marc.10. *ad prædeſtinationem pertinet.* Tantum *electi ſaluantur.* Rom.8. *Quos elegit, hos etiam uocauit, & eoſdem quoq; iuſtificauit.* Elegit *ſanctos in Chriſto, ante conſtitutionem mundi.* Ephe.1. *Illis dedit uincere peccatum, mortem malignam, ſed in Chriſto.* 1.Cor.15. Deo *gratia, qui dedit nobis uictoriam per* Dominum *noſtrum Ieſum Chriſtum.* Et 1. Ioan. 5. Omne *quod natum eſt ex* Deo, *uincit mundum:* Et *hæc eſt uictoria, quæ uincit mundum, fides noſtra.* Illis *paratum eſt regnum ab exordio mundi.* Matth.25. *ij ſedebunt ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus*

*Electi tantum ſaluantur.*

*Victores tenebrarum.*

*Sedere ad dexteram quorū ſit.*

*tribus Iſrael. Matth.16. quia electi ſunt, et uincunt omnes aſſultus Sathanæ per Chriſtum, nõ ſuis uiribus, iuſticijs aut operibus: Sed ſola fide in Ieſum Chriſtum. Vides ergo tantum credentium eſſe uictoriam & conſeſſum in throno Dei. Quod uero ait: Non eſt meũ dare, intellige ſecundũ hominem: Nam ſolius patris eſt electio, idq; in filio Ieſu: ſemper tribuit patri gloriam, ſicut et Matt.25. inquit: Venite benedicti (nõ mei aut aliorum) ſed patris, poßidete regnum paratum uobis ab exordio mundi.*

LXXI.

## In Chriſto omnes uiuificabuntur. 1. Corinth. 15.

## Filius quos uult uiuificat. Ioan. 5.

*Triplicem mortem eſſe ſcripturæ nobis prodiderunt, Carnis, fidei, et ſalutis. Carnis mors eſt, cũ uita animalis abrumpitur, cum exhalamus ſpiritũ, et defungimur hac uita animali. Fidei, quãdo increduli in impietate ſubmerſi ſumus, ut Deum non curemus, et ueniam haud deprecemur. Salutis, quando æternis tenebris mãcipamur, quæ dicitur mors æterna. Deinde quoq; triplex eſt uiuificatio, aut reſurrectio. Prima eſt carnis, quoties ſermõe Dei excitantur mortui ad uitã priorem: de qua loquitur Chriſtus, qñ ait: Sicut pater ſuſcitat mortuos, et uiuificat, ſic et filius quos uult uiuificat. Ioa.5. Id eſt filius, quia eandem potentiam habet cum patre, excitat defunctos ad uitam priſtinã quos uoluerit, non minori uirtute quàm pa-*

*Mors triplex.*

*Viuificatio triplex.*

ter. Altera eſt uiuificatio, ſeu reſurrectio ab infidelitate, id eſt morte peccatorũ, quæ fit quoties impij per Euangelion excitantur ad uitam iuſtitiæ, id eſt, conuertuntur ab impietate ad fidem, ut credant in Ieſum Chriſtũ. Corde enim creditur ad iuſtitiã. Ro. 10. Et iuſtus in fide ſua uiuet. Abac. 2. Eius reſurrectionis meminit Chriſtus, cum inquit: Amen, amen dico uobis, quod ueniet hora et nunc eſt, quãdo mortui, hoc eſt, gentes, impij, infideles, audiẽt uocem filij Dei: Et qui audierint, uiuent. Eph. 2. Cũ eſſemus mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cũ Chriſto. Iſta reſurrectio eſt fidei iuſtificatio. Tertia uiuificatio eſt ad ſalutẽ æternã, quæ fiet in extremo die, tum ſuſcitabuntur omnes, qui in Domino obdormierunt ad uitã immortalẽ. De hac dicit Chriſtus eodem ca. quo de alteris duabus diſſeruit. Veniet hora, in qua oẽs qui in monumentis ſunt audient uocem eius, & prodibunt qui bona fecerunt in reſurrectionẽ uitæ: Qui uerò mala egerunt, in reſurrectionem condemnationis. Ioan. 5. De eadem diſputat Paulus per totum fermè caput. 1. Cor. 15. Maxime cum inquit: Quemadmodum per Adam omnes moriuntur, ita, & per Chriſtũ omnes uiuificabuntur: unuſquiſq; autem in proprio ordine, primitiæ Chriſtus, deinde ij, qui ſunt Chriſti in aduẽtu ipſius. Loquitur de nouiſſima uiuificatione, quemadmodum quoq; 1. Theſ. 4. Ipſe Dominus cum hortatu et uoce archangeli, ac tuba Dei deſcendet de cœlo, & mortui in Chriſto reſurgẽt primum: Deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, ſimul cum

*Reſurrectio carnis.*

*illis rapiemur in nubibus, in occurſum Domini in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus. Nihil itaq; controuerſiarum eſt. Chriſtus de uiuificatione ad uitam mortalem loquitur, quam æque habet ſua in poteſtate atq; pater, id quod in Lazaro excitando. Ioan. 11. In filia archiſynagogi. Mar. 5. In filio uiduæ. Lu. 7. ſatis commonſtrauit. Ait igitur: Filius quos uult uiuificat. Paulus uerò de uiuificatione loquitur, quæ fiet in conſummatione ſeculi, quando uniuerſi ad iudicium excitabimur. Omnes enim nos manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, ut reportet unuſquiſq; ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, ſiue bonum ſiue malum. 2. Cor. 5. Iſta uiuificatio quoq; fiet per Chriſtum, qui cum tuba deſcendet. Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorruptibiles. 1. Cor. 15. Alij ad reſurrectionẽ uitæ, ut poßideant regnum paratum ab exordio mundi. Matth. 25. Alij ad reſurrectionem cõdemnationis, ut accipiant ultionem interitum æternum, quia Euangelio non obedierunt. 1. Theſſal. 1. Ioannis 5.*

*Chriſtus ſuſcitat mortuos.*

## LXXII.

Concluſit Deus omnes ſub incredulitatem, ut omnium miſereretur. Rom. 11.

Qui non crediderit, condemnabitur. Marc. 16.

Multis

Multis argumentis probauit Paulus ad Rom. omnes homines eſſe peccatores, tam Iudæos, quàm gentes, ut non haberet uniuerſa caro excuſationem, unde glorietur de iuſtitia ſua. Nam ſi mala arbor es, quõ poteris bonos fructus proferre? In hanc charibdim et lernam malorum cõiecit nos Deus, ut ad ipſum ſuſpiraremus, ærumna noſtra conſpecta, nomẽ ipſius inuocaremus, de omnibus iuſtitijs atq; operibus noſtris deſperaremus, in nullam ſanctitatem noſtrã ſperantes, ipſi ſoli confideremus, miſericordiã eius implorantes. Sic ait Paulus: Deus oẽs (per legis ſententiam) ſub peccatũ, ſeu incredulitatem cõcluſit et tenet captiuos, ut gratia locũ inueniret: Sani enim non egent medico, ut noſtri miſereatur, beneuolẽtiamq; ſuam nobis exhibeat, qui nos ipſos non potueramus è uinculis eripere & ſalui abire, noſtri miſertus ſaluauit nos à peccatis in filio ſuo. Primũ mortificat, ut deinde uiuificet, deducit ad inferos, ut reducat, cõfundit ut ſubleuet, condemnat ut ſaluet, non concluſit ſub peccatũ, ut perpetuo retineret captiuos et condẽnaret miſeros, ſed ut miſereretur. Vides quàm breui uerbo legẽ et Euangelium expreſſerit Apoſtolus, legem cum ait: Omnes ſub peccato concluſos. Euangeliũ cum addit: Vt oĩm miſereatur, quemadmodũ et facit. Gal. 3. Concluſit ſcriptura oĩa ſub peccatũ, ut promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus: id eſt, declarauit incredulitatẽ, iniuſtitiã et impotentiam noſtram ſcriptura, ut cogat quodãmodo trementes et adflictos ad gratuitam miſericordiã Dei in Chriſto propoſitã, currere.

Deus quare nos concluſerat ſub infidelitate.

re. Lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtū, ut ex fide iuſtificaremur. Nihil oberit fuiſſe peccatorē, quando non ſit iuſtus ſuper terrā qui non peccet, modo audias eum qui dicit: Nolo mortē peccatoris, ſed magis ut conuertatur et uiuat, &c: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis etc. Non cōdemnabit incredulitas ſub qua concluſus eras olim, modo credas deinceps in filium Dei, ubi hanc gratiam prædicari audieris, ne reſpuas perpetuo, ſed patrem inuoca per Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum. Qui enim obturat aures, non obedit Euangelio, non credit in Ieſum Chriſtum, cōdemnabitur. Qui agnoſcit peccata ſua, et ueniam deprecatur, miſericordiam cōſequetur: At qui præfracte contemnunt ueritatem, neq; minis nec promiſsionibus excitantur, illis eſt Euangelion excæcatio, iudicium et mors. Sic ait Chriſtus: Qui crediderit ſaluus erit. Qui uerò non crediderit, condemnabitur. Huc refer quæ ſuprà diximus locis 62.

## LXXIII.

# Nolite iudicare, et non iudicabimini. Matth. 7.

# Iuſto iudicio iudicate. Ioan. 7.

Iudiciū temerariū et iniquū prohibetur.

Non prohibetur rectum iudicium in ſcripturis, ſed tantummodo priuatum, temerarium, impium, inuidū, fauore aut odio corruptum, iniquum, cauſa non explorata. Chriſtus non uetat iudicare, non iudicibus in iudicandi officio conſtitutis loquitur, ſed Chriſtianis et priuatis,

uult,

*uult, ne condemnemus alios peccatores, quaſi nos ſimus integriores, ſed potius nos ipſos iudicemus. 1. Cor. 11. & trabem noſtrã ex oculis noſtris eruamus prius. Lu. 6. Id eſt, ne detrahamus fratribus, et ſiniſtre loquamur de ipſis, ne condemnemus alios, dãnandi ipſi: ne leuia impingamus, ipſi grauioribus obnoxij, aut certe iiſdem. Vt ſi fur furẽ uelit carpere, aut latro blaſphemũ condemnare, iſtud iudiciũ prohibet Deus. Rectũ uerò iudicium, quod ſecundũ ueritatem et leges fit, ſepoſitis humanis affectib. non modo non prohibet, ſed etiã præcipit. Hinc.n. iudices cõſtituti ſunt ordinatione diuina, ut iudicent hoĩes ſecundũ legis præſcriptũ, et cauſam Dei agant non reſpicientes perſonã, ſed ſolam cauſam conſiderent. Deu. 1. et 2. Par. 19. quos etiã ob id Deos appellat ſcriptura. Ex. 21. et multis alijs locis. Ro. 13. Dei miniſter eſt. Pro. 16. Pondus et ſtatera iudicia Dñi ſunt. Leu. 19 Iuſte iudica proximo tuo. Zac. 7. Iudicium uerũ iudicate. Pſa. 57. Rectè iudicate filij hoĩm. Et Chriſtus Ioa 7. Nolite iudicare ſecũdum aſpectum, ſed iuſtũ iudicium iudicate. In ſumma, rectum iudiciũ mandatur, iniquũ interdicitur. Aliud eſt ſpirituale iudiciũ, ad doctrinã pertinens, quod ſimiliter exigit ſpũs ſanctus. Mat. 7. Attendite à falſis prophetis etc. 1. Ioa. 4. Probate ſpiritus, an ex Deo ſint. 1. Theſ 5. Omnia probate. Et 1. Cor. 2. Spiritualis omnia dijudicat.*

*Iudiciũ rectum præceptum.*

*Iudices miniſtri Dei.*

*Dij ſunt iudices.*

*Iudiciũ ſpirituale.*

## LXXIIII.

# Orantes ne ſitis multiloqui. Matt. 6.

*Sine*

# Sine intermiſsione orate, 1. Theſſ. 5.

*Oratio eſt uehemens in neceßitate cordis deſiderium impetrandi quippiam à* Deo. *Longißime igitur abſunt à precationibus, qui Pſalmos non intellectos, inani labiorum ſtrepitu, citra cordis deſiderium perſonāt, qualis fuit hactenus uniuerſi clericatus. i. unctorum noſtrorum mugitus, & eorum, qui ſine ordine* Roſaria & Pſalteria, *ut uocant, impræmeditato numerarunt potius q̃ orarunt.* Non *eſt oratio corā* Deo, *ſi abſit mens.* Ieſ. 29. Po*pulus hic me labijs honorat &c.* Ob *id* Paulus *recte interpretans, quid ſit aßidua precatio, inquit:* In *omni deprecatione & obſeruatione orantes in omni tempore in ſpiritu, & ad hoc ipſum uigilantes cum omni ſedulitate.* Eph. 6. *Sit precatio perpetua, ſed ea non fiat niſi in ſpiritu & ueritate, et cum ſedulitate.* Iam *Chriſtiani ſemper orant, ſemper habent adfectus in* Deum *erectos, ſemper eſuriunt et ſitiunt iuſtitiam, etiam quū nihil ore perſtrepuerint.* Velut *captiuus aliquis nunquam non libertatem ſibi deſiderat, etiam dormiens, edens aut bibens, & uelut infirmus ſemper ſanitatem precatur, ita* Chriſtianus *aßiduo orat, etiam quando minus precari uidetur.* Sunt *enim* Chriſtiani *pauperes ſpiritu, ſaturari cupientes & diſſolui, ut uiuant cum* Chriſto, *ſentiunt penes ſe nō eſſe iuſtitiam, ſalutem et cœleſte bonum, ob id continuo deſiderant, non abit momentum quo nō ad* Deum *ſuſpirent.* Hoc *uult ſcriptura, cum ſemper orare iubet, hoc eſt, adfectus*

*Oratio quid ſit.*

*Orare ſine intermißione.*

*Chriſtiani ſemper orant.*

*Semp orare quid ſit.*

Multiloquium in oratione prohibetur. ſectus in Deum tollere, diffidere de propria iuſtitia & meritis, à ſolo aũt Deo iſthæc expectare. Qui enim uere orant, rem qua carent, precantur: nobis igitur iuſtitia Dei uacuis indeſinenter orandum, quo pertingamus ad thronum gratiæ. At ꝙ Chriſtus uetat, ne ſimus uerboſi precando, uult ne gentium more loquacitatem effundamus. Quia in multiloquio non deerit peccatum. Pro 10. Exiſtimant enim Ethnici quòd ob multiloquium ſuũ exaudiantur. Deus corda intuetur, non labiorum motum. Ieſa. 1. Quo mihi multitudinem uictimarum ueſtrarum, dicit Dominus? Amos 5. Aufer à me tumultum carminũ tuorum. Matth. 15. Fruſtra me colunt. Gentes prophanæ ſatis exiſtimabant precatum, ſi multa uerba in deprecando permurmuraſſent, etiamſi nihil è pectore manaſſet. Simplicitate gaudet Deus, non ſimulato cultu. Poſſunt quidem uerba repeti, aut lõgior fieri oratio, quando ſpiritus accenſſus lumine gratiæ nõ poteſt ſatis euehere & commendare Dei maieſtatem, ſed gentium more, inquit Chriſtus, ne ſitis multiloqui, eæ enim non in Deum ſperant, ſed in βαττολογίαν, hoc eſt, loquacitatem ſuam. Sine fide accumulãt uerba. Chriſtianos adiuuat ſpiritus, et intercedit pro ipſis gemitibus inenarrabilibus. Ro. 8. orant ſpiritu & mente, non in hypocriſi & mendacio, uelut ethnici, ſed in ueritate. In ſumma, Chriſtus uetat hoc loci, ne gentium & hypocritarum more præſtemus eleemoſynas, oremus et ieiunemus, qui non recto, ſed ſiniſtro oculo ſeruiunt, nõ candido pectore, ſed præſtigijs.

Gentiũ orandi mos.

Sim-

*Simplicem oculũ exigit et candidũ pectus, non ſimulatũ cultũ. Io. 4. In ſpiritu et ueritate oportet adorare patrẽ.*

## LXXV.

## Alter alterius onera portate. Gal. 6. Vnuſquiſq; onus ſuũ portabit. Ibid.

*Multi ſunt loci, nobis à quibuſdam aßignati, quaſi pugnent inter ſe, quos nunquam attigiſſemus, niſi illi præſcripſiſſent nobis.* Eiuſmodi *fermè ſunt ij duo è* Galatis *ca. 6. ubi* Paulus *primum ad charitatem hortatur* Galatas, *ne inflati ſua tantum curent, proximorum rebus uel neglectis uel deſpectis, ſed iuuent fratres, tolerent infirmos, ſubleuent preſſos, aliorũ peccata non proclament, ut ſolet liuor edax, ſed cælent, quod charitatis argumentum eſt, quæ tegit delictorũ multitudinem (1. Pe. 4.) non traducit, et ſic inquit* Apoſtolus, *complete legem* Chriſti, *qui ſcilicet toties inculcauit charitatem, hanc unicam præcipiens & exigens à grege ſuo, ut diligant ſe mutuo. Iam qui diligit proximum, onera ipſius ſuffert, non condemnat, ſed ſuſcipit: conſiderans ſemetipſum, ne et ipſe tentetur.* Deinde *quod addit: unuſquiſq; onus ſuum portabit, idem eſt quod* Rom. 14. *ſcribit:* Vnuſquiſq; *de ſeipſo rationẽ reddet* Deo. *Igitur nõ condemnemus alios, ſed portemus onera infirmorum, et potius nos ipſos iudicemus, ne iudicemur à* Domino. 1. Cor. 11. Nemo *pro altero deſcẽdet ad ſtygia, quiſq; ſuã ſarcinam baiulabit, de ſe ipſo reſponſurus iudici* Chriſto. *Qui fecerit iniquitatem, mo-*

*Onera aliorum ſufferenda.*

*Lex Chriſti charitas.*

*Quiſq; de ſe rationem reddet.*

*rietur in ea. Filius non portabit iniquitatem patris &c.* Ezech. 18. *Lignum ubi ceciderit, ibi erit.* Eccle. 6. Prior *uerſus docet, quid in hac uita faciendum* Chriſtianis erga *infirmos & lapſos, quomodo ſcilicet tolerandi.* Alter *quid in iudicio futurum ſit, narrat.*

LXXVI.

# Ne quid tuleritis in uiam, neq; uirgam, neq; peram, neq; panẽ, neq; pecuniam. Luc. 9.

# Non portabitis in uia, niſi uirgã tantum. Mar. 6.

*Chriſtus primum emiſſurus diſcipulos ſuos ad prædicandum* Euangeliũ *regni, eximit illis omnem affectum rerum terrenarum et ſolicitudinem de craſtino, ne ſcilicet alia ſolicitudine teneantur quàm prædicandi uerbi: nam ſi pecunia, pera, uirga, aut pane eguerint, dominus prouidebit ipſis: ſi tranſilienda ripa, ipſe curabit baculum, et tuebitur aduerſus uim hoſtilem: tantũ ne anxij magis pro uirga q̃ uerbi curſu ſint ſoliciti, prohibet: quẽadmodum facit dum prohibet, ne quem per uiam ſalutauerint.* Lu. 10. *Alioqui nihil refert, ſiue uirgam geſtent ſiue nõ, ſiue pecuniã portent, ſiue non, modo curam harum rerum ponant: ſolum uetat, ne ipſi rerum ſuarum ſatagãt, ne ad iter parent iſta, quaſi non ſit prouiſurus eos, quaſi ſua ſolicitudine poßint pellere eventuram neceßitatem.*

*Nihil tuleritis in uia*

*Solicitudo tollenda.*

Alioqui

Alioqui & Chriſtus pecuniam habuit, quam Iudas Iſca-riotes portabat, et Paulus ex aulæis ſuis mercatus eſt pecuniam, uerũ animus non hæſerat in his, ſed in ſolo Deo quare etiam nihil defuit illis, quemadmodũ deinceps interrogat diſcipulos: Quando miſi uos ſine ſacculo et pera & calciamentis, nunquit defuit uobis? Certe nihil defuiſſe audiuit. Luc. 22. Ita tu fac, ne deſere uocationem tuam. Iacta in Dominum curã tuam, & ipſe te enutriet.

## LXXVII.

## Ieſus morabatur in Iudæa, ac baptizabat. Ioan. 2.
## Ieſus non baptizauit. Ioan. 4.

Non legimus in tota hiſtoria Euangeliſtarũ quenquam à Ieſu Chriſto baptizatum, id enim muneris commiſerat Apoſtolis: Et Euangeliſta ſeipſum interpretatur, cũ ſub dit: Quanquam Ieſus ipſe non baptizaret, ſed diſcipuli eius. Ioan. 4. Et tamen dicitur Chriſti baptiſmus. Nam Chriſtus ipſum inſtituit, uerbo ſuo conſecrauit, ſuo baptiſmate inſigniuit, promiſſione adiecta ſanctificauit, intus lauat pectora, hoc eſt, ipſe Dominus et magiſter huius ſacroſancti lauacri baptizat ſpirituſancto, purgat affectꝰ, remittit delicta, quæ Ioannes de ſe ipſo prædixerat. Ego inquiens, baptizo aqua ad pœnitentiam: Id eſt, tantum lauo aqua, & paro ad futuram iuſtificationem. At ille, qui poſt me uenturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum idoneus, ut calciamenta portem, ipſe uos baptizabit ſpiritu ſan-

Chriſtus neminem baptizauit.

Baptiſmus Chriſti.

*tu ſancto & igni. Matth.3. Lu.3. Intellige itaq; priorem locum, Ieſus baptizabat, ſcilicet per diſcipulos ſuos, & non per ſe, ut ſit συνεκδοχὴ.*

LXXVIII.

# Odio habebis inimicum tuum. Matthæi 5.

# Diligite inimicos ueſtros. Ibidem.

*Chananæi perdendi à Iudæis.*

*Iudæis ex Aegypto proficiſcentibus ad occupandam terram Chanaã promiſſam à Domino, ſcimus præceptũ à Deo, ut perderent Chananæos Exo 23. & Deu. 7. ſed propterea non erant omnes inimici deuouendi & percutiendi. Nam Philiſtæi, Moabitæ, Ammonitæ, & Edomitæ, non minus impij, quàm Chananæi, excipiuntur, quos noluit à Iudæis perdi. Igitur nuſquam in tota lege reperies hæc uerba: Odio habebis inimicum tuum. Apparet igitur Chriſtum phariſaicam traditionem retuliſſe, non ut probaret, ſed condemnaret, uelut annotauit noſter Phili. Melanch. in locis Theologicis. Phariſæi enim, ubi audierant proximum diligendum eſſe, ex oppoſito inferebant: Ergo inimicus eſt odio habendus. Hanc phariſaicam doctrinam refellit Chriſtus erudiens, Chriſtianis conuenire, ut omnes ament, cum amicos, tum inimicos: omnibus ex æquo beneficiendum & conſulendum, iniuriã nulli inferendam, remittendum lædenti, condolendũ peccanti: eadem abunde inculcant Apoſtoli. Paulus Ro.12. Ephe.4. Col.3. 1.Pet.3.*

*Chriſtianorum eſt patientia.*

LXXIX.

Vide ne cui dixeris, Matth. 8.

Narra quæcunq; fecerit tibi Deus. Lucæ 8.

*Quare leproſo interdixerit, ne ſanationem manifeſtaret, & alteri dæmoniaco præceperit enarrare magnifica Dei, nolumus explicare, ſic ipſi placuit, qui hæc dixit et fecit, bona fuit uoluntas Dei, nobis excutere haud licebit. Alioqui cur reuelat paruulis ſua myſteria, & cælat ſapientibus huius ſeculi, niſi quia bona ſit uoluntas apud patrem? Matt 11. Sic complacitum eſt illi. Conſulat potius Auguſtinum in cõcordia Euangeliſtarum, ſi quis curioſior erit.*

LXXX.

Percutienti te in maxillam, obuerte illi & alteram. Matt. 5.

Chriſtus percuſſus à ſeruo pontificis, reſpõdet: Si male locutus ſum, teſtare de malo: ſin bene, quid me cædis? Ioan. 18.

*Qualis hic eſt doctor, præcipit alijs, quod ipſe non facit? Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum. Nonne poteſt in ipſum torqueri illud: medice cura te ipſum? Iubet, ne malo reſiſtamus, & alteram maxillam quoq;*

obuertamus percuſſa una. Ipſe uerò cum alapam accepiſ-
ſet à ſeruo ſummi pontificis, non modo nõ retrahit alte-
ram, ſed grauius quoq; obiurgat uapulantem. Quid hoc
ſibi uult? Quis hunc præceptorem toleraret, qui exige-
ret à diſcipulis quod ipſe negligeret? Ad eum modum ob
ſtrepunt ranæ ſeriphiæ, impij papiſtæ, et alia quædã fex.
Nos uerò dicimus, Chriſtum doctrinam ſuam opere com
pleſſe, & non tam alteram maxillam obuertiſſe, ſed to-
tum corpus dediſſe percutientibus. Ieſa. 50. Nonne hoc
eſt præbere alteram maxillam, quũ minimè reſiſtitur ad-
uerſarijs? non deſideratur uindicta, non regeruntur con-
uicia, non repercutitur, non accuſatur, ſed patienter tole-
ratur iniuria? uelut Chriſtus facit, paratus grauiora ferre.
re. Vnde Petrus: Qui cum maledictis inceſſeretur, non
regeßit maledicta, cum malis efficeretur, nõ minabatur,
ſed tradidit uindictam ei, qui iudicat iuſte. 1. Pet 2. Tan-
quam ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus co-
ram tondente ſe, mutus &c. Ieſa. 53. Acto. 8.

*Chriſtus alterã maxillã præbuit percutiẽti. Præbere alterã maxillam.*

## LXXXI.

# Non ueni pacem mittere, ſed gladium. Matt. 10.

# Pacem meam do uobis, pacem relinquo uobis. Ioan. 14.

*Regnum Chriſti, regnũ pacis.*

Ieſaias propheta Chriſtum Ieſum, principem pacis uocat, cuius imperium multiplicetur, et pacis non fiat finis. Ieſa. 9. Id eſt regnum Chriſti erit pacis et tranquillitatis

regnum,

regnum,ſub quo omnia erunt læta et proſpera,perſonabunt lyræ, chori,cantica et omne gaudiorum genus,audietur uox gaudij,et uox læticiæ,de placato Deo,remiſſione peccatorũ,bonitate et miſericordia Dei,uox ſponſi et uox ſponſæ, erunt iubilationes et tripudia,nihil triſte aut turbulentũ erit in hoc regno. Et Hieremias æque magnifica et glorioſa prædicat.In diebus illis,inquit,ſaluabitur Iuda,et Iſrael habitabit cõfidenter Hie.22. Ceſſo multa cõgerere teſtimonia de pacifico Chriſti regno,q̃bus refertiſsime ſunt literæ ſacræ,contentus adhuc uno. Erit opus iuſtitiæ,pax:et cultus iuſtitiæ,ſilentium et ſecuritas in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis,et in tabernaculis fiduciæ,et in requie opulenta.Ieſ.32.Conflabunt gladios ſuos in uomeres & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium,nec exercebũtur ultro ad præliũ.Ieſ.2. Deinde cum naſceretur Ieſus Chriſtus,cecinerunt angeli: Gloria in excelſis Deo,et in terra pax,hominibus bona uoluntas.Lu.2.Iſto tempore quoq; pacis ſpecimem exhibitum eſt,uelut Eutropius lib.7. rerum Romanarum ſcribit. Apoſtoli quoq; crebrius Chriſtum uocant Deum pacis. Eph.2.inquit Paulus: Ipſe eſt pax noſtra Quomodo ergo conueniunt, quod ſcriptura regnum Chriſti appellet regnum pacis et ſecuritatis,ipſe uero dicat ſe non ueniſſe pacem mittere, ſed gladium? Decepit Iudæos ſcriptura, non recte intellecta de regno Chriſti. Falſi ſunt & hodie quidam Nouitij ſpiritus,qui adhuc ſomniant quan-

Pax ſub Chriſto.

Schwermeri.

dam ſecuritatem, et regnū Chriſti corporale, quo regnet externa pax, uoluptas carnis, tranquillitas mūdana: ſub quo regno non leuet gens gladiū contra gentē, et conflentur gladij in uomeres, fiat unus paſtor, & unum ouile, regnet pax temporalis. Hoc expectant etiam nunc Iudæi reſtitutionem regni ſui, & noſtri prophetaſtri, ſed fruſtra, nō intelligētes illud, quod Chriſtus corā Pilato apertis verbis confitebatur, inquiens: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Ioa. 18. neſcientes Chriſti regnum eſſe ſpirituale, et non corporale, aut terrenum. Nam Deus ſpiritus eſt. Ioa. 4. 2. Co. 3. Igitur & regnum eius eſt ſpirituale, & omnia ſub regno hoc ſunt ſpiritualia. Ideoq; et pax eſt ſpiritualis, hoc eſt ſecuritas cordis et conſcientiarum (non externa uoluptas, ſed potius afflictio) non erit metus mortis, peccati, Sathanæ, aut inferni, ſed bona uoluntas, gratiarū actio, quamuis affligantur electi à mundo, tamen habebunt fiduciam in Dño, non commouebuntur, erunt gaudentes: quia habent coronam repoſitam, et magnam mercedē in cœlis. Chriſtus enim confirmat eos hoc uerbo. In mundo afflictionem habetis, in me pacem, confidite, ego uici mundum. Ioa. 16. Hæc eſt piorum conſolatio et pax, quòd habēt patrem in cœlis beneuolentē. Pax mundi eſt ſecuritas carnis, impiorum & ueritatis hoſtium concordia, gaudiū temporale, fructus uoluptatis, deliciæ ſeculi: quā pacem habuit ille qui dixit: Anima habes multa bona repoſita in annos multos, requieſce, comede, bibe, gaude, Luc. 12. Aut ille purpuratus diues, qui

Regnum Chriſti eſt ſpirituale.

Pax ſpiritualis.

Pax mundi qualis ſit.

*qui quotidie epulabatur ſplendide. Lu. 16. Iſta pace gaudent filij huius ſeculi: ſed reuera non eſt pax, quæ mixtã habet amaritudinem, & tot curas: ubi plus aloes, quàm mellis adeſt, ærumnis, quibus abundat hic mundus refertiſſima. Iſtam pacem non tribuit Chriſtus, ſed mundus hanc dat, & cum libuerit rurſus rumpit: breuis eſt iſta pax & momentanea, ut quæ durat uix aliquot annos. Chriſti uero pax eſt perpetua, non deſinit, non rumpitur, eius non erit finis, unde ait Chriſtus apud Ioannem: Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis, nõ quomodo mundus dat, ego do uobis. Qui mea pace ſunt præditi, cum mundo bellum habent. Caro enim ſemper concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Gal. 5. Hiſmael ſemper perſequitur Iſaacum, et Eſau Iacobum, Cain Abelum. Nõ eſt conſortium iuſtitiæ cum iniuſtitia, aut cõmunio luci cum tenebris, aut conuentio Chriſti cum Belial. 2. Cor. 6. Vnde ait: non ueni pacem mittere, ſed gladium, id eſt, ſeparationem. Luc. 12. Nam ueni, ut diſsidere faciam hominem aduerſus patrem ſuũ, & filiam aduerſus matrem ſuam, & ſponſam aduerſus ſocrum ſuam, et inimici hominis erunt ij, qui ſunt domeſtici ipſius. Qui amauerit patrem aut matrem ultra me, non eſt me dignus &c. Hoc idem prædixerat antea Simeon: Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael. Lucæ 2. Pijs pacem adfert, Impijs turbationem. Ii enim impatientes ſunt ueritatis, nolunt ferre iudicium ſpiritus, ut ſua damnentur: unde ex-*

*Pax mundi nõ eſt pax.*

*Pax Chriſti.*

*Nõ ueni pacem mittere ſed gladiũ.*

*Chriſtus impijs uenit in iudicium.*

cæcati ſeditiones commouent ad opprimendũ Chriſtum, concitant alios aduerſus ueritatem, ne uictrice ueritate ipſi confundantur, ſed nihil promouent. Omnia quæ loquitur populus iſte coniuratio eſt. Ieſ. 8. Fremunt et conueniunt aduerſus Chriſtũ Domini. Pſa. 2. ſed nihil proficiunt. Non eſt prudentia et conſilium contra Dominum. Pro. 21. Dominus diſsipat cogitationes eorum, quoniam uanæ ſunt. Iam audis gladium ſtringi à contemptoribus ſuperbis, et excæcatis. Pij enim pacis amantes, ferunt iniuriã, non conuiciantur, non excitant ſeditiones, ad patientiam hortantur. Impij rurſus fremũt, inſaniunt, cædem ſpirant, tragœdias excitant, et perſequuntur pios, uelut paulo ante dixi: Hiſmael perſequitur Iſaacum, et is qui ſecundum carnem natus, perſequitur eum, qui ſecundum ſpiritum natus erat. Gala. 4. Vnde ait propheta: Impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, et redundant fluctus eius in conculcationẽ et luctũ. Non eſt pax impijs, dicit Dominus. Ieſa. 57. & Hier. 12. Non eſt pax uniuerſæ carni. Quid multis? extra Chriſtũ non eſt pax ſed tantũ ſpecies & fumus pacis, qui euaneſcit eueſtigio priuſquàm recte apprehenderis: ea tantũ pax eſt nomine, re nihil. Soli Chriſtiani habent ueram pacem, etiam in medijs bellorũ et afflictionũ tumultibus, habent ſecurã et bene munitam conſcientiam uerbo Dñi aduerſus peccatum, mortem, Sathanam, infernum, mundũ, ſciunt omnia ſibi coadiumento eſſe in bonũ. Ro. 8. Mundis omnia munda, omnia ſibi ſubiecta, nihil damnationis eſſe ijs, qui

*Cõcilia malignantiũ.*

*Chriſtiani pacifici.*

*Impij ſeditioſi.*

*Pax Chriſtianorum.*

*qui inſiti ſunt Chriſto, habere patrem in cœlis beneuolẽtem et propicium, cui curæ ſint, qui foueat ipſos, è cuius manu non poſſunt eripi, & quid multis? Soli credentes agnoſcunt et glorificant Deum, iſta eſt uera pax, quam mundus non poteſt dare, nec rumpere, ſolus Deus largitur hanc, hæc ſola fide apprehenditur et cõſeruatur. Ro. 5. Iuſtificati fide, pacem habemus erga Deum per Dñm noſtrum Ieſum Chriſtum. Hanc pacẽ Chriſtiani libenter alijs communicant, prædicant Chriſtum, promittunt remiſsionem peccatorum in ſanguine Chriſti, charitatem exercent, non litigant, non contendunt, non inſidiantur: ponunt iniuriam et conuicia, neminem offendunt, nullos ſpoliant, ſed potius alios iuuant, de ſuis tribuunt. Atq; hoc eſt conflare uomeres, ponere faſtum, inuidiam, & animum homicidam, ſuccurrere aliorum inopiæ, ſeruire neceſsitati fratrum, neminem lædere, omne bellandi ſtudium in pacem uertere. Si hanc pacem intellexiſſent olim Iudæi, non ſomniaſſent Chriſti regnum fore carnale. Igitur non eſt aliud regnum Chriſti expectandum, dudum enim cœptum eſt in terris, per Euangelij prædicationẽ, qua inuitatæ omnes gentes ad iſtud regnum, & nos qui primitias ſpiritus accepimus, ſumus iam in eo per fidẽ, ſpem & charitatem. In fine ſeculi conſummabitur et declarabitur, quid ſperauerimus & crediderimus. Tum ſimiles regi Chriſto erimus, et uidebimus ſicuti eſt. 1. Ioan. 3. Nunc uidemus per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. 1. Cor. 13. id eſt, ueritatem poſsidebimus*

*Fide apprehenditur pax.*

Conflare gladios in uomeres

Regnum Chriſti cœptum in terris.

*mus, non umbram, uere regnabimus & glorificabimur. Quæ igitur de pace ſub regno Chriſti prædicũtur à prophetis, ſpiritualiter, non carnaliter ſunt accipienda. Ea pax eſt in ſpiritu & mentibus piorum, ne ſomniemus cum noſtris factioſis prophetaſtris quandã licentiam & tranquillitatem carnalem et mundanam, ut fiat unus paſtor et unum ouile iuxta ipſorum furorem. Fides generat eam ſpiritualem pacẽ per Euangelion Dei. Qui audiunt Euangelium et credunt, hi habent pacem, quam prophetæ tam magnificis uerbis prædixerunt. Ea dicitur pax Dei. Phi. 4. Col. 3. quia ſolus Deus tribuit iſtã, et Chriſtus uenit hanc mundo impartiri. Alteram uero, quæ carnis eſt, non uenit mittere, ſed potius dirimere, ut cũ mundo et ijs quæ ſunt ſeculi huius, bellum habeamus et perpetuam diſcordiã, id eſt, non ſimus adfixi interituris rebus, cum ſolo aũt Deo pacem & concordiam habeamus per Dñm Ieſum Chriſtum. Satis multa bona habebimus, ſi Deum ipſum bonorũ omnium autorem poſſederimus.*

*Pax Dei.*

LXXXII.

Cum omnia feceritis, dicite: ſerui inutiles ſumus. Luc. 17.

Nos ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Matt. 19.

*Meritũ nullum apud Deum.*

*Docet Chriſtus paßim non contingere iuſtitiã ex operibus noſtris, nihil promouere bona opera, nullũ eſſe meritum apud Deum patrẽ, ſed meram et gratuitã beneuo-*

lentiam

lentiam atq; miſericordiam Dei, quòd filij Dei ſumus, purificati à peccatorum ſordibus. Eph. 2. Gratia eſtis ſeruati per fidem, idq; nõ ex uobis. Dei donũ eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Et 2. Tim. 1. Saluos fecit nos & uocauit uocatione ſancta, nõ ſecundum opera noſtra, ſed ſecundũ ſuum propoſitum et gratiam Tit. 3. Nõ ex operibus quæ faciebamus nos, ſed ſecundũ ſuam miſericordiã ſaluos nos fecit. Vult ne gloriemur in cõſpectu Dei de operibus et meritis noſtris, ſed ut humiliemur ſub potenti manu Dei, ut nos extollat cum erit oportunũ. 1. Pe. 5. Nihil agnoſcamus noſtrorũ operum, etiã quando omnia feciſſe nos putauerimus, quæ lege præcepta ſunt: nihil meritorum arrogemus nobis, ſed ſoli diuinæ miſerationi confidamus. At q Petrus de præmio interrogat, carnalis eſt quæſtio, humano affectu prorũpens, non cælat caro naturam ſuam omnino, ſemper quærit ſua, uult certificari de præmio, priusq̃ adeat laborẽ. Gal. 5 Caro ſemper concupiſcit aduerſus ſpiritum. Nondum totus erat ſpiritualis Petrus, dudũ enim ante hac audierat promiſſiones regni cœleſtis, quæ forſan animo exciderãt, aut nõ planè intellexerat, igitur rurſus interrogat. Cui reſpondens Dñs inquit: Vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & uos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et oĩs qui reliquerit domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrẽ, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meũ, centuplũ recipiet in tẽpore hoc, et in ſeculo

Humiliari nos decet.

culo futuro uitam æternam. Id eſt, uos credentes habebi- tis lætam conſcientiam, & delectabimini in multitudine pacis, non affligemini fame, uerũ bona terræ comedetis Ieſa.1. Quoniam non eſt inopia timentibus eum. Pſal.33. Non affliget Dominus fame animam iuſti. Benedictio Domini ſuper caput iuſti. Benedictio Domini diuites fa- cit citra moleſtiam. Pro.10. Tantum quærite primum re- gnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Matt.6. Suppetet uictus & amictus. Pietas enim ad omnia utilis eſt, ut quæ promiſsiones habeat uitæ præ ſentis & futuræ. Tim.4. Vnde Dauid inquit: Iunior fui, etenim ſenui, et non uidi iuſtũ derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Pſalm.36. Præter huius uitæ bona, quæ guſtus ſunt futurorum bonorum, etiam æternam recipie- tis hæreditatem, quia Dominus amat uos, & promiſit, & fallere non poteſt, non propter iuſtitias & æquita- tem cordis ueſtri poſsidebitis regnum, ſed propter Do- minum noſtrum Ieſum Chriſtum.

*Iuſtus non derelinquitur.*

## LXXXIII.

### Si quis expurgarit ſeipſum ab his, erit uas in honorem. 2. Tim. 2.

### Deus operatur omnia in omnibus. 1.Cor. 12.

Qui liberum arbitrium ſuſceperunt defendendum, et iſto Pauli loco utuntur: Si quis expurgarit ſeipſum etc. Quaſi mox emundare ſe poſsit homo cũ audierit: Si quis expur-

*Contra lib. arbit.*

*expurgarit ſeipſum, aut emundat ſe: Cum ſit oratio coniunctiua, nihil operis aut uirtutis affirmans, ſiue negans in homine, ſed præſcribens tantum, quid operis et uirtutis in homine eſſe debeat: Et adhortatur Paulus, non tribuit homini liberum arbitrium & uim faciendi:* Non *enim mox expurgat ſe homo, ubi audierit ſe expurgandum à uaſis cõtumeliæ: nec mox credit, quæ iubetur credere, ſed tantũ iſtis coniunctiuis aut imperatiuis orationibus præſcribitur quid fieri debeat.* Legis *ſunt uerba quæ uim faciendi minimè præſtant, ſed tantum exigunt, uelut abunde & diſertè* D. M. Luther. *in libello de ſeruo arbitrio ad* Eraſmum Roterodam. *explicat.* Al*tera uero ratio :* Deus *operatur omnia, eſt indicatiua, quæ omnia* Deo *attribuit & accepta refert, quòd* Deus *ſit omnipotens, qui operetur & faciat omnia in omnibus, quemadmodum etiam propheta dicit:* Omnia *opera noſtra operatus es in nobis. Ieſa. 26. &* Paulus *alio loco:* Deus *eſt, qui operatur in uobis uelle & perficere, pro bono animi propoſito. Phi. 2.* Nos *ſumus tantum inſtrumenta ſub manu artificis, qui nos regit, ducit, mouet quo uult, & ad quod uult, pro libito ſuo operatur, nos poſſumus nihil, ſumus impotentes & mortua organa, niſi ille rapiat, ducat et moueat: quorſum reſpexiſſe uidetur* Chriſtus. Ioan 5. Pater *uſq; modo operatur, et ego operor.* Id *eſt, regit, adminiſtrat, mouet, agit, in creaturis, quæ alioqui quieſcerent et morerentur, niſi pater meus moueret, conſeruaret & adminiſtraret eaſdem ſua pro-*

Deus operatur omnia.

uidentia

*uidentia. Hæc ſuprà locis 49. copioſè tractata ſunt.*

## LXXXIIII.

## Pater ipſe facit opera. Ioan. 14. Multa bona opera operatus ſum uobis. Ioan. 10.

*Chriſtꝰ omnia attribuit patri.*

*Nihil ſibi tribuit atq; arrogat Chriſtus, ſed omnia accepta ad patrem refert, à quo pendet totus, in quem ſolum ſuſpicit, cuius gloriā ſolū quærit, id quod non ſemel admonuimus, idemq; nunc facit, qū ait: Pater in me manēs ipſe facit opera. Ego in patre ſum, et pater in me eſt. Igitur quicquid ego loquor aut ago, non ex me ipſo facio, ſed patris autoritate et cōſilio, qui operatur in me et uoluntatē ſuam exequitur per me. Communia ſunt opera mea et patris, nihil facit alter ſine altero, eadē uoluntas & operatio eſt patris & filij. Nec aliud dicit. Ioan. 10. cū inquit: Multa bona opera oſtēdi uobis ex patre meo. Et ſi non facio opera patris mei, nolite credere mihi, ſin uero facio, et ſi mihi nō creditis, operibus credite, ut cognoſcatis et credatis, quòd pater in me eſt, et ego in patre. Auditis Schwermeri cacodæmonis ſatellites, quos Sathan ad internitionē Eccleſiæ piorū excitauit, Chriſti diuinitatem? Pater cœleſtis eſt in filio Ieſu Chriſto, et filius in patre. Ideoq; unum ſunt pater et filius, unius naturæ, maieſtatis, eſſentiæ et potentiæ, cōmunia poßident bona, communem gloriam, communis ſunt omnipotentiæ. Pater in filio operatur, filius in patre, neuter ſine altero.*

*In Schwermeros Chriſti diuinitatem abnegantes.*

## LXXXV.

# Erunt omnes docti à Deo. Ioan. 6. Scrutamini ſcripturas. Ioan. 5.

*Nunc etiam illorum errori peſtilentiſsimo obuiandũ eſt, qui ſacrarum ſcripturarũ lectionem ubiq; faſtidiunt et amarulenter proſcindunt. Non, inquiunt, oportet legis & ſcripturæ eſſe peritum, ſed Deo doctum. Etiam ſi millies percurreris bibliorum lectionem, tamen non niſi ſcripturæ peritus euades, et nunquàm Deo doctus, uanus eſt labor qui ſcripturæ impenditur. Scriptura enim creatura eſt. Non conuenit Chriſtiano nimium creaturæ addictum eſſe. Deũ audire oportet, huius uoces è cœlo expectandæ ut erudiat. Beatus uir, inquit Dauid, quem tu erudieris Domine. Pſal. 93. Aeque docet nos hodie atq; olim Patriarchas & Prophetas, uiſionibus, ſomnijs attendendũ, illis enim loquitur nobis Deus. Si olim ſanctis uiris loquutus eſt, cur non & hodie nobis ſimiliter loqueretur? Vox Dei rectè docet. Scriptura nõ eſt uerbum Dei, ſed mortua tantum litera, et inter alias creaturas reputanda. Ne putes ex ſcripturis te Deo doctum iri, è cœlis illud expectandũ erit, non è libris. Spiritus ſanctus è ſupernis illabitur citra omne medium, non per externum auditum et uocalem prædicatiõem, ſeu ſcripturarũ lectionem. Hæ ſunt uirulentæ illæ uoces, quæ iactantur paßim à quibuſdam nouitijs ſpiritibus et prophetaſtris. Sed tu uide mi Chriſtiane Lector, cui pietas curæ eſt, quid hic*

In ſcripturarum maſtigas.

Voces præſtigiatorũ.

moliatur perditiſſimus Sathan in ſatellitibus ſuis, iidem mox urgebunt, non edendum, non bibendum, quia aliâs citra omne medium paſcat nos Deus, & poſsit & uelit præter omnem cibum æque paſcere atq; pane adhibito. Recte, poteſt quidē omnipotentia ſua, ſed nō uult. Poſſet hominē creare citra uiri et mulieris congreſſum, ſed nōn uult. Iſti phrenetici ſpiritus omnipotētiæ Dei leges præſcribunt, imò Deū cogere uolunt, faciat quod ipſis adlibuerit. Deus uult pane paſcere, ſic illi placuit, ſic ſtatuit, nec aliter uidebitur diuinæ maieſtati. Copulauit maritum uxori, qua commiſtione liberos generat, aliter haud uoluit. Quid igitur diuinæ ordinationi reſiſtimus maleſani? quid creaturas Dei ſpernimus ipſi creaturæ? Scripturis uult erudire uelut organo. Externam rem eſſe ſcripturam quam legimus, audimus corporalibus auribus, nemo non nouit, etiam tacētibus ſpiritibus erroris, tamen ineſt uerbum ſpiritus. Ipſe intus docet ſpiritu & gratia. Panis quoq; res eſt externa, edas millies, tamen nunquā ſatiabere, niſi ipſe te nutriat uerbo ſuo. Deu. 8. Non in ſolo pane uiuit homo, ſed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Vnde multos ſanè uideas opulentos ac rerum oīum abundantes, flacceſcere, et omnibus uiribus deficere, qui Dei benedictione carent, quibus Deus cibandi panis actionem ſubtrahit. Leu. 26. Comedetis & non ſaturabimini. Coeas decem millies cum uxore, tamen nunquam generabis filios, niſi Dominus tradiderit Pſal. 127. Omnes creaturæ ſunt organa atq; laruæ Dei, ſub

Per media operatur Deus.

Panis non paſcit, ſed Deus.

Deus generat filios.

Creaturæ ſunt organa Dei.

ſub quibus tectus operatur, quæ uult omnipotentia ſua. Abijce creaturas, et creatorẽ abiecisti. Contẽne ſcripturas et ſcripturarũ authorẽ, Deum reiecisti. Nõ dico te creaturis addictũ fidere, ſpreto creatore, ſed uolo te in creaturis creatorem agnoſcere, uenerari et quærere. In ſcripturis Deum quære, non te & tua, nam illic iacet obuolutus, quemadmodũ puer Ieſus in faſcijs olim inuolutus erat. Huc te remittit Chriſtus, quando inquit: Scrutamini ſcripturas, et illæ ſunt quæ teſtantur de me. Ioan. 5. Vides ſcripturas Ieſu Chriſti teſtes eſſe, uelut omnes creaturæ Dei teſtimonia ſunt. Amplexandæ ſunt ſcripturæ, quando Deus ſic ſtatuit & uoluit, imò has relinquens tradidit legendas, ut ex illis doceare uoluntatem Dei. Quæcunq; enim præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, ut per patientiam et conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Ro. 15. Propter nos eſt ſcriptura, nobis donata, nobile et præclarum donum Dei, hac uult docere, inſtituere, monere, terrêre & conſolari. Inſtrumentum Dei ſunt, quo infundit doctrinam cœleſtem, uelut infuſorio. Potens eſt citra ſcripturam docere ſpiritu ſuo, id quod aliquoties fecit: mauult tamen iſthoc uti organo, maieſtati diuinæ ſic placuit per ſcripturas docere, Anathema ſint, qui ſcripturas tanto faſtu deridẽt. Sed audiamus Apoſtolos, quid ſuper ſcriptura et uerbo externo ſentiãt. Diuus Petrus cõmendans eos, qui ſcripturæ inuigilãt. Habemus, inquit, firmiorẽ ſermonẽ propheticũ, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparẽti in obſcuro loco,

*In ſcripturis Deus quærẽdus.*

*Scripturæ inſtrumentum Dei.*

*Scripturæ dignitas.*

*recte facitis, donec dies illuceſcat, & lucifer exoriatur in cordibus ueſtris. Si illud prius noueritis, quod omnis prophetica ſcriptura non ſit priuatæ interpretationis. Non enim uoluntate hominis allata eſt olim prophetia, ſed à ſpiritu ſancto impulſi, locuti ſunt ſancti Dei homines. 2. Pe. 1. Qui potuit magnificẽtius extuliſſe ſcripturæ maieſtatem, cum inquit, à ſpiritu ſancto fluxiſſe? Ideoq́; uanæ non ſunt: cõmendatq́; eos qui legunt literas ſacras, appellans lucernã ſplendentẽ in caliginoſo loco, exemplo Dauidis, qui dixit: Lucerna pedibus meis uerbum tuum, et lumẽ ſemitis meis. Pſa. 118. Verbũ Dei ſcripturis uelut uaſculo cõſeruatur, et ad nos defertur. Velle audire uocem è cœlis, Dei tentatio eſt, cũ poßis è ſcripturis doceri uoluntatem diuinã. Velle è cœlis paſci, cum panem habeas ad manus, irriſio Dei eſt. Producamus et Paulũ, quid ſuper ſcripturarũ dignitate dicat. Audi ſaltẽ quàm diligenter admoneat Timotheũ, ne ſcripturarũ lectionem ſeponat. 1. Tim. 4. Donec uenero, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ, et 2. Tim. 3. At tu perſiſtito in his quæ didiciſti, et quæ tibi concredita ſunt, ſciens à quo didiceris, et quod à puero ſacras literas noueris quæ te poſſunt eruditum reddere ad ſalutẽ, per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Vtinam hæc tantũ uerba caperent phanatici ſp̃us, quòd Apoſtolus inquit: Scripturas erudire ad ſalutẽ per fidem. Quid enim prodeſt legiſſe, ſi non attendas, neq; credas lectioni. Si fide legas, ad ſalutem inſtituũt, et nouum hominẽ regenerant: nam ſp̃us ſanctus corda certificans*

*Scriptura lucerna.*

*Ieſaiæ 8.*

*ficans, & arrabo noſtræ ſalutis.* 2. Cor. 1. Eph. 1. *plerunq; hoc medio illabitur, ut paulo poſt repetam.* Poſtea *ube- rius ſcripturæ fructum explicans* Apoſtolus *ſubdit:* Om*nis ſcriptura diuinitus inſpirata, eſt utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, quæ eſt in iuſtitia, ut integer ſit homo* Dei, *ad omne opus bonum appara- tus.* 2. Tim. 3. Per *ſcripturas dixi, aut uocalem prædica- tionem plerunq; ſpirituſſanctus diſtribuitur credẽtibus.* Nam *ſic* Paulus, Gal. 3. *docet eos non ex operibus legis, ſed ex prædicatione fidei accepiſſe ſpiritum ſanctum, &* Ro. 10. *inquit:* Fides *ex auditu eſt, auditus aũt per uer- bum* Dei. 1. Theſſ. 2. Gratias *agimus* Deo *indeſinenter, quòd cũ acceperitis ſermonem à nobis, quo* Deũ *diſceba tis, accepiſtis non ſermonem hoĩm, ſed (ſicut erat uere) ſermonem* Dei, *qui & agit in nobis credentibus.* Eph. 1. Cũ *audiſſetis uerbũ ueritatis* Euangelion *ſalutis ueſtræ, in quo etiam poſtquam credidiſtis, obſignati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt arrabo hæreditatis noſtræ in redemptionem acquiſitæ poſſeſsionis, in laudem gloriæ ipſius.* Legãt *iſta ſcripturarũ cõtemptores faſtuoſiſsimi, & deſinant ueritati reſiſtere, et montes montibus accu- mulare, ut* Iouem *cœlo deturbent, arcum ſuũ tetendit, et parauit illum.* Quid *ſibi uult* Paulus *qñ ait:* Nos *mentem* Chriſti *tenemus.* 1. Cor. 2. *niſi quòd ſcripturarũ autorita- tem ſubleuat? ex quibus diſcimus mentem* Chriſti, *ut ſcia mus quid à nobis requirat* Deus, *quid ſibi placeat, quia non loquitur de abſconditis conſilijs* Dei, *& imperſcru-*

Spirit9 ſanctꝰ quomodo illabitur

Mentem Chriſti ex ſcripturis diſcimus.

tabili uoluntate eius (nemo.n. fuit illi à conſilijs) ſed de uoluntate et mente Chriſti, quam uerbo ſuo et ſcripturis expreſsit Ieſa.8. Ad legem & teſtimonium, alioqui non erit eis matutina lux.q.d. Niſi è ſcriptura uoluntatē Dei requirant, non poſſe fieri, quin in maximos errores incidant. Vide quantā dignitatem ſcripturis attribuat ſpiritus ſanctus. Quoties remittat Chriſtus ad ſcripturas? Nam quoties quæſo citat ſcripturas inter loquendū, quoties ædit has uoces, ſicut ſcriptum eſt, et oportet impleri ſcripturas? Adde quòd Euangeliō, quod Deus olim promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo. Ro.1. per ſcripturas propheticas patefactum ſit. Ro. 16. Et Chriſtus arguit Saducæos ſcripturæ ignaros. Mar.12. Paulus ſecundū conſuetudinem ſuā per ſabbata tria diſſerebat Iudæis, qui erant Theſſalonicæ è ſcripturis. Qui uero ex ipſis receperant ſermonem, cum omni animi promptitudine quotidie ſcrutabantur ſcripturas, an hæc ita ſe haberēt, ceu legis. Act.17. Semper fuit ſacro ſancta ſcripturæ authoritas, niſi quòd his nouiſsimis & oīum periculoſiſsimis temporibus ſordere cupiat ſcripturam nocentiſsimus Sathā, ut iam à multis iniquiſsime cōſpurcetur, et ad ſummum proſcindatur. Vnde mei muneris eſſe putaui, ut omnes in Chriſto Ieſu fratres admoneam, ne patiantur ſe ab illis errorum magiſtris ſeduci, ne aures adhibeant tam callidis uiris ab ſcripturarum lectione aut uocali prædicatione auocantibus. Frigidus ô pueri fugite hinc latet anguis in herba. Aſtutus eſt

Nō audiendi ſpiritus uertiginis.

Cacodæmon, & mille artifex, longe alia machinatur, quàm in fronte oſtendit. In fine uidebitur cuius toni. Reputent quæſo penes ſe fratres, quod à ſpiritu ſancto commendatur, non deberi ab homine profanari. Chriſtus quando toties ſcripturas citarit, & ad eaſdem remittat, cur à mortali faſtidirentur? Infundibulum ſunt ſpiritus ſancti, quibus deſcendit in corda noſtra uelut per gradus, uelut in Actis Apoſtolorum ca. 10. legis. Adhuc loquente Petro, ſpiritus ſanctus cecidit ſuper oẽs, qui audiebant ſermonem. Et fides in plurimum prouenit ex auditu uerbi Dei, ſeu ſcripturæ ſanctæ. Ob id non ſunt audiendi noui atq; peſtiferi prophetaſtri, qui diuerſa docent, probandi ſpiritus an ex Deo ſint. 1. Ioan. 4. Hos ſpiritus ex Sathana eſſe certum eſt apud me, nam ſacra contaminant, & cacant in caſtra Iſrahelitica. Legendæ ſunt literæ ſacræ, audienda externa & uocalis prædicatio, quæ fit ab homine: ſed interim orandus Deus pater, ut interius doceat, et ſcribat legem ſuam in cordibus noſtris, ac rapiat mentẽ ad ſe, id eſt, ut ea quæ auribus audiuimus, capiamus mente, credamus & ſalui fiamus. Docet Deus ſpiritu, nihilominus utitur medio externo et miniſterio hominũ. Hinc Paulus: Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus dedit incrementum. 1. Co. 3. Et Dei ſumus coadiutores. Cur? quia uerbum Dei et ſcripturas ſacras prædicabat. Et quare uocat Chriſtus Apoſtolos lucem mundi, ſal terræ, niſi ob miniſteriũ uerbi Dei, quod de ipſo, uera luce, teſtarentur et condirent atq; ſalirent homines legis

Scripturæ infundibulum ſpiritus ſancti.

Lux mũdi, ſal terræ Apoſtoli.

*atq; Euangelij prædicatione? quòd uerbum ueritatis cir cumferrent & ſpargerent in omnes credentes. Adeo ne-ceſſarium eſt uerbi miniſterium, ut nolit hoc intermitti, imò religioſe præceperit. Vnde euidens eſt iſtos ſcriptu-rarum inimicos non loqui ueritatem, ſed mẽdacium, do-cti à ſathana patre ipſorum. Ex ore ipſorum iudico eos, et ex fructibus agnoſco arborem, alioqui manum ore im poſiturus. In ſumma, Deus docet, ſiue id ſpiritu ſuo faci-at, ſiue per miniſteriũ uerbi, ſiue lectione bibliorũ, nihil refert, quo medio docearis, modo rapiaris ad cœleſtiũ de ſideriũ. Nõ credis lectioni aut predicationi, niſi ipſe do-ceat intrinſecus. Igitur Deus eſt doctor, pater et magi-ſter. Attamen & ſcriptura legenda & audienda. Quid ad nos ſi uocent nos legiſperitos, aut ſcripturæ doctos? etiam ſi mille conuicijs inceſſerint, tamen non auocabunt à ſcripturarum lectione. Deſideramus à Deo doceri, ſi-ue id ſcripturis, ſiue miniſterio hominum faciat, penes ipſum eſt poteſtas, nos eius miſericordiam expectamus.*

*Deus do-ctor.*

## LXXXVI.

## Deus reddet unicuiq; iuxta facta ſua Rom.2.

## Arbitramur fide iuſtificari hominem abſq; operibus legis. Ro.3.

*En diſſonantiam in Paulo inquiunt Sophiſtæ et noſtri ſanctuli iuſticiarij ignauũ pecus. Opera iuſtificant, non fides*

ſides tantum, uelut noui Euangelici prædicant, et à par- te noſtra ſtat ſanctus Iacobus, qui lõga diſputatione pro- bauit operum iuſtitiã. Audi Sophe, ſpiritus qui in Pau- lo loquitur, non eſt ſibi ipſi contrarius, ſed ſpiritus tuus pugnat ſecum. Paulus ubiq; per omnes Epiſtolas cõmen dauit fidei iuſtitiam, non ſemel prophetam teſtem addu- cens, qui inquit: Iuſtus ex fide ſua uiuet. Abac. 2. Multis uerbis contendens non eſſe iuſtitiam, niſi fidei. neminem Deo conciliari et gratum eſſe, niſi per ſolam fidem Heb. 11. Et peccatum eſſe, quod ex fide non fit. Hoc ubiq; con ſtanter prædicat, nihil aliud tonat, nec quicquã conſtan- tius affirmat. Ex fide enim promonant benefacta, ex in fidelitate quicquid malorum eſt, unde ſunt fidei opera, & ſunt incredulitatis facta. Fides iuſtificat, incredulitas damnat, teſte Chriſto. Ioan. 3. Hinc ubiq; pronunciat Do minus: Fides tua te ſaluum fecit. Scriptura uero nobis ſe attemperans totam arborem cum fructibus iudicans, in- quit: Deum redditurum unicuiq; iuxta opera ipſius, ue lut Chriſtus ait: Ex fructibus cognoſcetis eos, Matth. 7. arbor mala non profert fructus bonos. Ideo excindetur, et in ignem mittetur. Malefacta declarãt incredulitatem. Quando igitur ſcriptura dicit: unicuiq; retribui iuxta opera ipſius, intellige de operibus quæ quiſq; in fide, ſim plici corde uel incredulitate, nõ recto animo, ſed ſimula- to cultu, more Hypocritarũ fecit. Et non derogatur fidei iuſtitia, nec nudis operibus attribuitur, quando præclara opera Phariſæi non potuerunt ipſum iuſtificare. Lu. 18.

Opera non iuſtificant.

Iuſtus ex fide uiuet.

Vnicuiq; retribuetur iuxta opera ſua.

neq; lampades oleo, hoc eſt, fide uacuæ, iuuarũt quinq; uirgines. Mat. 25. Nam ſi ex operibus eſt iuſtitia, fruſtra Chriſtus eſt mortuus. Gal. 2. rurſus ubi fidei donum in homine accreuerit, non poſſunt nocere præterita peccata, quæ admiſerat ſicut legis Ezechie. 18. & 33. ſicut nec peccatrici obfuerunt. Luc. 7. nec latroni, nec Apoſtolis, nec cuiquam conuerſo à peccatis ſuis. Diligentibus enim Deum omnia ſimul adiumento ſunt in bonum. Roma. 8. Oculi Domini fidem reſpiciunt. Hie. 5. Nouit Dominus corda omnium operantiũ, quo animo quiſq; faciat opera. Non ſecundum uiſionem oculorum iudicat, neq; ſecundum auditum auriũ arguet. Sed iudicabit in iuſtitia. Ieſ. 11. Vnde dicitur iuxta opera iudicare, qui cordium et renum ſcrutator eſt, explorata habens omnia. Hebr. 4. Omnia nuda et aperta ſunt oculis eius. Aliâs ſi rectè introſpicias, tantum iuxta fidem & infidelitatem iudicat. 1. Reg. 26. dicit Dauid Sauli: Dñs retribuat unicuiq; ſecundum iuſtitiam ſuam & fidem. Scriptura tamen quia nobis loquitur, noſtro intellectui ſe format, nec poteſt nobis fidẽ uel incredulitatem aliorũ oſtendere, niſi ex operibus. Quãdo igitur ait: retribuet unicuiq; ſecundũ opera ſua, aut opera eorũ ſequuntur illos, de toto opere uel fidei uel infidelitatis intellige. Nam propter fidẽ reſpicit Deus ad opera noſtra, quæ alioqui nunquã conſideraret. Rurſus propter incredulitatem damnat opera noſtra. Fides Dei donũ eſt, ita quoq; bona opera Deus regnãs in cordibus noſtris operatur in nobis. 2. Cor. 3. Oĩs

*Deus eſt cordium cognitor.*

*Scriptura accõmodat ſe noſtro intellectui.*

idonei

idoneitas noſtra ex Deo eſt Phil.2. Deus eſt is qui agit in uobis, et ut uelitis, et ut efficiatis pro animi propoſito. Eadem opera renumerat propter fidem et promiſsionem ſuam. Nihil meremur benefactis, ſed recipimus, quæ Dei bonitas pollicita eſt. Promiſit ille credētibus uitam æternam, quam perpetuo nunquam merentur, dabit præterea quod promiſit, quia diues et uerax, mentiri et ſeipſum negare non poteſt. Veritas Dei eſt, ſi recipis bona à Deo, non merces. Ro. 6. Donum Dei eſt uita æterna, non meritum, opera ſunt tantū̄ fidei proteſtationes, nihil merentur. Omnia ex bonitate et miſericordia Dei nobis obueniunt. Igitur per ſe nō iuſtificant opera, ſed ſunt fidei, et iuſtificati indicia. Sola fides ſanctificat, quæ in promiſsionem Dei dirigit oculos. Nos cum ſimus caro, tantum carnalia ſapimus et facimus. Ro.8. Affectus carnis mors eſt, & inimicitia coram Deo. Igitur opera noſtra impura ſunt propter carnē, & potius condemnant quàm ſaluant. Omnis enim plantatio, quam non plantauit pater cœleſtis, eradicabitur.

Deus operatur in nobis bona opera.

Merces nō eſt, ſed gratia.

Opera ſunt fidei ſigna.

LXXXVII.

## Caro & ſanguis regnum Dei poſsidere non poſſunt. 1. Cor. 15. Credimus carnis reſurrectionem.

Scriptura ueteris nouiq; teſtamenti paſsim prædicat carnis reſurrectionem. Ieſai. 36. Viuent mortui, interfecti mei reſurgent. Daniel. 12. Multi de his, qui dormiunt

Carnis reſurrectio.

in terræ

in terræ puluere, euigilabunt. Hio 9. Scio quòd redemptor meus uiuit, et in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum. Et rurſum circũdabor pelle mea, et in carne mea uidebo Deum. Quẽ uiſurus ſum ego ipſe, et oculi mei conſpecturi ſunt &c. Hic audis Hiobem fateri, quòd in carne ſua ſit cõſpecturus Deũ. Et eſt articulus fidei noſtræ, quo confitemur reſurrectionem carnis. Quõ igitur dicit Apoſtolus: caro & ſanguis regnũ Dei non poſſidebunt: Pugnat articulus fidei et alia ſcriptura de carnis uiuificatione cum Paulo? minimè. Apoſtolus ſui interpres eſt, cum addit: Neq; corruptio incorruptibilitatis hæreditatẽ accipit. Ecce myſterium uobis dico. Non omnes quidem dormiemus, oẽs tamen immutabimur (en carnis immutationem ad perfectionẽ) in puncto temporis, in momento oculi, per extremam tubam. Canet enim tuba, et mortui reſurgent incorruptibiles, et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc, carnale ſcilicet corpus, induere in corruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem. Audis carnem reſurrecturam ad uitam, ſed immortalem, incorruptibilem, glorioſam, et nõ animalem, mortalem, carnalibus affectibus obnoxiam, ea enim nõ poſſidebit regnũ Dei. Ro. 8. Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei etc. Et quemadmodum ſupra locis 4. De cœli & terræ immutatione dictum eſt, ita hic de carnis renouatione intelligendum. Cadit mortale, reſurget immortale. 1. Cor. 15. Aurum igne probatur ut purius fiat, ſic caro noſtra per mortem

Caro et ſanguis nõ poſſidebũt regnum Dei.

Carnis immutatio.

*mortem ſoluitur, ut integrior et incorruptior reſurgat, & ſic caro integrior & immortalitate induta reſurget ad uitam immortalem, & regnum* Dei *poßidebit.* V*nde dixit* Hiob *ſe in carne ſua ſcilicet renouata, integriore et immortalitate ueſtita, uiſurum* Dominum Deum, *ſicut etiam* Apoſtoli *docent.* 1. Ioan. 3. V*idebimus eum ſicut eſt.* Cor. 13. F*acie ad faciem.*

## LXXXVIII.

## Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tm̃, ſed etiam pro totius mundi. 1. Ioan. 2. Non pro mundo rogo. Ioan. 17.

Mundus *bifariam in ſcripturis uſurpatur: aliâs pro orbe uniuerſorum, tam* Iudæorum *hominum quàm gentium, pro omni natione quæ ſub cœlo eſt, in qua ſignificatione utitur* Ioannes, *cum ait* Chriſtũ, *propiciationem totius mundi:* Id *eſt omniũ populorũ qui in mundo ſunt.* Iuß*it enim in omnem terrã annunciare* Euangeliũ *omnibus populis, omni creaturæ, toti mundo.* Et *ubiq; terrarum* Euangeliũ *fideles aliquot auditores reperit, qui* Chriſtum *ſaluatorem mundi fide receperunt.* Aliâs *mundum pro infidelibus, reprobis,* Euãgelij *perſecutoribus accipit, in qua ſignificatione* Chriſtus *frequenter uſurpat, uelut in præſenti uerſu.* Itaq; Ieſus Chriſtus *filius* Dei *uiui, ſapientia et uerbũ patris caro factus, pro peccatis*

*Chriſtus propiciatio mundi.*

catis

catis omniũ credentiũ ſubiuit mortẽ, iuſtus pro iniuſtis, ut nos adduceret Deo.1.Pe.3. Factꝰ eſt reconciliator om nium fideliũ totius mundi, ubiubi locorũ fuerint in toto orbe terrarũ. Mortuus non tam pro gente Iudaica, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi congregaret in unũ. Ioa.11. ſpirituale ſcilicet corpus, in unam fidem et in unũ ouile. Non igitur intelligendũ Chriſtum factũ propiciationem pro mundo infideli mundana ſapienti, et Euangeliũ perpetuo perſequenti, ſed tantũ pro electis Dei, quibuſcũq; regionibus diſperſi ſint, ſiue inter Iudæos ſiue inter gentes. Omnis qui fidit illi non pudefiet, non eſt enim diſtinctio uel Iudæi uel Græci, nam idem Dominus omnium diues in omnes inuocantes ſe. Quiſquis enim inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit, Ro.10. Quid multis, tantum credentium eſt propiciator factus, non impiorum, qui nunquam uere inuocant Deum, nõ metuunt, neq; curant Deum, nõ ſperant in Deo. Vult igitur Apoſtolus dicere: Nõ tantũ pro nobis diſcipulis ſuis oppetijt mortem, et ijs qui uiderunt et audierunt eum in carne, uel pro ſolis Iudæis, ſed mortuus eſt pro omnibus electis ubicunq; illi in mundo fuerint. Aliâs enim idem Apoſtolus totũ mundum concupiſcentia carnis et concupiſcentia oculorũ & faſtu uitæ refertiſsimum ſcribit 1.Io.2.et 5. ut qui nõ cognoſcat Dei filiũ.Io.1.nec accipiat ſpũm ueritatis.Io.14. ut nõ poſsis hæc intelligere de toto mũdo, id eſt, cunctis hominibus qui uiuunt in mundo. Aliâs enim et impiorũ et gentium incredularũ eſſet propiciatio, ſed promiſcua homi-

Mundus in peccato ſopitus.

hominum uniuerſitate. Sic intelligendum & illud uerbum Ioann. Baptiſtæ: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ioa. 1. Quid hoc aliud quàm in ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ? multi autem minimè benedicuntur, igitur de ſolis electis intelligendum diſperſis per uniuerſum mundum, qui licet in mundo uiuant, tamen de mūdo non ſunt. Ioa. 15. et 17. per fidē enim retracti à mundo, et nouo homine induti, non curant ea quæ mundi ſunt, liberi ſunt ab affectibus mūdanis, et habent conuerſationem ſuā in cœlis. Phi. 3. Mundus Sathanæ regnū non recipit Chriſtum, non credit uerbo eius. Quomodo igitur ſeruaretur per eum? qui credit in filium, habet uitam æternā, qui non credit condemnatus eſt. Ioa. 3. Mundus infidelis ſeruit peccato et iniuſtitiæ, perſequitur Euangelium, mactat Chriſtum, explodit innocentes, & eſt mancipium diaboli. Ob id ait Chriſtus: Non pro mundo rogo, id eſt, ijs qui nondū facti ſunt ciues ſanctorū et domeſtici Dei: ut pergāt eſſe mūdus infidelis, in impietate ſua perſeuerent, et in ſtudijs ſuis proſperentur, hoc enim mundus ſignificat hoc loco. Sed pro ijs, quos dediſti mihi, quia tui ſunt, et mea omnia tua ſunt, et tua mea ſunt, et glorificatus ſum in eis, non pro eis aūt rogo tantum, ſed pro ijs, qui credituri ſunt per ſermonē eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me, et ego in te, ut et ipſi in nobis unum ſint. Ioa. 17. Ex hoc loco interpretare priorem, quòd Chriſtus ſit propiciatio totius mundi, id eſt omnium qui credunt in mundo. Aliâs perpetuo

Mundus non recipit Chriſtum.

non

non conciliabis. Non orat pro mundo, id eſt, mundi ſtudio, impietate ac tyrannide, ut Deus approbet & promoueat, ſicut ſuorum fidelium ſtudia ac conatus promoueri optat.

## LXXXIX.

## Facilius eſt camelū per foramen acus ingredi, quàm diuitem in regnum Dei. Marc. 10.

## Iugum meum commodū eſt, et onus meum leue. Matt. 11.

Acceſſerat ad Ieſum adoleſcens quidam interrogans, quo opere uitam æternā demereretur, quem cum iuſsiſſet Ieſus omnia uendere & diſtribuere pauperibus, abijt mœrens, quia diues erat ualde, multas habens poſſeſsiones: quo diſcedente dixit diſcipulis ſuis: Quàm difficulter hi, qui diuitias habent, in regnum Dei intrabunt. Obſtupeſcentibus diſcipulis rurſus reſpondit: filij quàm difficile eſt eos, qui fiduciam habent in pecunijs, regnum Dei ingredi. Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in regnū Dei ingredi. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, Deo et Mămonæ. Mat. 6. Aut enim hunc odio habebit, & alterum illum diliget, aut huic adhærebit, & alterum illum negliget. Qui Deo ſeruire uult, oportet ſit abdicatis affectibus humanis, ne in aliud reſpiciat atq; confidat, quàm in unum Deum

*Auari difficulter ſaluantur.*

Deum. Nulla eſt conuentio luci & tenebris, Chriſto & Belial, iuſtitiæ et iniquitati. Qui ſeruit diuitijs, Deo ſeruire non poteſt. Iubet igitur Chriſtus abrenunciare omnibus, & illum ſolum ſequi, hoc carni & diuitibus eſt præceptum non bonum. Et inquit Pſaltes: Diuitiæ ſi affluant uobis, nolite cor apponere. Pſal. 61. Suffocat enim diuitiarum ſames ſemen uerbi Dei. Mat. 13. Et radix omnium malorum eſt ſtudium pecuniæ 1. Timo. 6. Auarus non implebitur pecunia. Eccle. 5. ob id haud facile poßidebunt regnum Dei diuites. Verum iſti ſententiæ non repugnat illud uerbum Chriſti (Mat. 11.) Iugum meũ commodum eſt, & onus meum leue. Chriſtianis enim leuis eſt crux & afflictio, quia ſalutem agnoſcunt: facilis eſt perſecutio, quam ferent ob nomen Chriſti, habet enim promißionem coronæ uitæ: optata & ſuauis eſt mors, quum ſit ianua ad immortalitatem. Sciunt hoc iter eſſe ad ſalutem. Per multas enim tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei. Acto. 14. Et non pares ſunt afflictiones præſentis temporis ad gloriam quæ reuelabitur erga nos. Ro. 8. Momentanea leuitas afflictionis noſtræ ſupra modum æternum pondus gloriæ parit nobis, dum non ſpectamus ea quæ uidentur, ſed ea quæ non uidentur. Nam quæ uidentur, temporalia ſunt, at quæ non uidentur, æterna 2. Cor. 4. Commodũ eſt iugum Chriſti propter ſpiritum quem dedit nobis, deinde propter promißiones uitæ æternæ. Fideles igitur non reſpiciunt in crucem & poteſtatem afflictionum, ſed Chriſtum, in quo

*Iugũ Chriſti leue.*

*Afflictio mundi impar gaudio futuro.*

*eſt ſalus, iuſtitia, ſanctificatio, ſapientia et redemptio. 1. Cor. 1. Vident Chriſtum per crucem rediiſſe in gloriam ſuam, ſentiunt & ſe per eandem tranſituros ad patrem, quæ certitudo & fides dulcem efficit crucem & onus leue. Quod impiis & auaris eſt difficile & lethale, & præceptum non bonum, hoc piis eſt ſalutare, commodũ & mel. Vide infra centuria 2. locis. 149.*

XC.

## Abrogatur quod præceſsit præceptum, propter imbecillitatem & inutilitatem. Heb. 7.

## Legem igitur irritam facimus per fidem? imò legem ſtabilimus. Roman. 3.

*Sacerdotiũ Leuiticum abrogatũ.*

*Abrogatum eſt uetus et Leuiticum ſacerdotiũ, et ſubrogatum Chriſti nouũ, quia prius nõ potuit conſummare, hoc eſt, perfecte ſanctificare, ut conſcientiæ amplius, peccatũ ſuum nõ ſentiant. Nã hoc ſacerdotiũ umbra tantũ fuit, et figura noui ſacerdotii, quod in Chriſto manet in æternum. Oportuit umbrã cedere, ut ſubintraret ueritas. Translato autem ſacerdotio, neceſſe erat & legis translationẽ fieri. Heb. 7. nam ſub priori ſacerdotio populus legẽ acceperat. Abrogato ſacerdotio lex quoq; abrogata eſt propter imbecillitatẽ, quia nec ipſa potuit hominem perfectũ reddere. Nihil ad perfectionem adduxit*

lex, nõ aufert conſcientiã peccati, igitur perfectiore legẽ opus erat. Inutilis erat lex Moſaica ad iuſtificationem et ſanctificationem internã, non purgabat corda, nõ auferebat affectus peccandi, nõ tollebat peccata, ſed tantum reuelabat, iram operabatur, et ad deſperationẽ adigebat. Et nemo poterat aliquid boni ſperare ſub lege. Ideo in locum abrogatæ legis, ſubrogatur melior ſpes: metus et horror erãt ſub priore lege ceu uides. Ex. 19. et 20. Sed ſub noua lege, ſub Chriſto ſacerdote et Euãgelio eſt pax et gaudiũ in ſpiritu ſancto. Quatenus aũt lex abrogata ſit audi: ne ſomnies ſic ablatã ut non ſit magis implẽda, et liceat impune quiduis agere. Abrogata eſt in Chriſto et membris eius, id eſt, nõ habet ius et authoritatẽ exercendæ tyrannidis in Chriſtianos, excarnificandæ cõſcientias, non poteſt magis damnare pios, et tamen implenda eſt. Vbi lex peccatum offenderit, ibi ſuum habet ius accuſandi et condemnandi. Chriſtianis dimiſſa ſunt peccata ob fidem in ſanguinem Ieſu Chriſti, hinc non poteſt lex ſtringere ſuum gladium in pios, qui nõ ſunt ſub lege, ſed ſub gratia, ſpiritũ Dei acceperunt, qui eripuit eos à legis condemnatione. Lex tantũ peccatores reos agit. Qui ſine peccato eſt, non metuat legis tyrannidem. Soli credentes liberati ſunt à lege, mortui ei, in qua detinebantur. Roman. 7. ij ſunt ſub gratia. Roma. 6. Sub Chriſto legis impletore & Domino, hoc dixit Paulus. 2. Corinth. 3. Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Quaſi diceret: non ſunt liberi à lege, qui ſpiritum Domini non habent. De legis

Legis officium.

Lex quomodo ſit abrogata.

Libertas Chriſtiana.

abrogatione habes non pauca. Ephe.2.Col.2. Iam ſi intelligis, quatenus abrogata ſit lex, intelliges quoq; & alterum locum Pauli, fidem lege non fieri irritam, ſed ſtabiliri. Quia Chriſtus non uenit ſoluere legem, ſed adimplere. Matth.5. Et ipſe eſt finis & perfectio legis. Rom.10. Nemo legem implet, niſi per Chriſtum. Dominatur lex ſuper omnes peccatores, quos accuſat, terret, excarnificat, & damnat. Rurſus abrogata eſt omnibus, ij enim non metuunt legis maledictionem, ſed ſpiritu domini acti, rapiuntur ad legem perficiendam, quæ ſpiritu aut fide, non operibus adimpletur. Spiritus uires ſuppeditat, quas citra fidem non obtinebis. Lex igitur fide ſtabilitur, id eſt, per fidem impletur, quæ prius haud adimplebatur. In ſumma, abrogata eſt lex fidelibus, non quòd licentia nihil non mali faciundi facta ſit, ſed quia acceperunt de manu Domini duplicia. Ieſa. 40. liberationem à legis ſeruitute & peccatorum remiſſionem. Non poteſt eos lex magis accuſare, uelut prius, cū Chriſtum fide nondum recepiſſent, inuenit eos ſanctificatos ſanguine Chriſti, nihil inueniens quod damnet, retrahit manum ab exercenda tyrannide, aliò declinat ubi plus iuris habeat. interim tamen credentes in lege Domini ambulant die ac nocte, ſpiritu eos agente, non cogente lege, faciunt legem deſiderio cordis, non metu. ſunt bona arbor, ideoq; proferunt fructus in tempore ſuo. Pſal.1. Iam ſatis euidens eſt, fide non tolli legem, ſed impleri, fruſtra legem facis ſine fide. Peccatum eſt, quod ex fide

*Lex fide ſtabilitur.*

*Duplicia accepimus.*

*Iuſti faciūt legem ſine lege.*

*ex fide non fit.* Repete *ſi uolueris, quæ ſupra quadrageſimo quinto locis adnotata ſunt.*

XCI.

# Qua menſura metiemini, ea metientur uobis alij. Matt. 7.
# In poculo quo miſcuit, miſcete illi duplum. Apoc. 18.

Poſtquam Chriſtus *uetuiſſet priuatum, iniquum atq; temerarium iudicium, addit hæc uerba:* Eadem *menſura qua metimini, metientur alij uobis, id eſt, ut ut feceritis alijs hominibus, ita quoq; faciet uobis* Deus. Non *præcipitur lex talionis, quemadmodum multi non recte intellexerunt: ſi miſericordes extiteritis, miſericordiam conſequemini, ſcilicet apud* Deum, *& non apud homines, qui in plurimum pro bonis referunt mala.* Si *remiſeritis, remittet etiam pater.* Si *condemnaueritis, condemnabimini.* Non *ſuperbiendum eſt in donis* Dei, *ſed per humilitatem animi alius alteri ſeruiat.* Et *quiſq; alium ſe præſtantiorem exiſtimet, ne ſua quiſq; ſpectet, ſed unuſquiſq; quæ ſunt aliorum. Phil. 2.* Et *omnia quæ uolueritis, ut faciant uobis homines, ſic & uos facite illis.* Hoc *enim eſt lex & prophetæ, hoc dicit* Chriſtus *in* Euangelio. *Math 7. Luc. 6. In* Apocalypſi *uero nihil præcipitur huic diuerſum.* Non *enim ait:* Reddite *omnibus dupliciter, ſicut uobis reddiderunt, ſed præcipitur ultio contra*

*Lex taliõis prohibita.*

Babylonis faſtus & ruina. Babylonem, quam uoluit Dominus euertere, quia fecerat ſecum fornicari reges terræ, & eleuata ſuperbia dixit in corde ſuo: Ego ſum, et nõ eſt præter me amplius. Non ſedebo uidua, & ignorabo ſterilitatem. Ieſ. 47. Sedeo regina & uidua non ſum, et luctum non uidebo etc. Apoc. 18. Vnde iratus Dominus, præcipit populo ſuo uindictam dicens: Peruenerunt peccata eius uſq; ad cœlum, & recordatus eſt Deus iniquitatum eius. Reddite illi ſicut & ipſa reddidit uobis, & duplicate ei duplicia ſecundum opera eius. In poculo quo miſcuit miſcete illi duplum. Quantum glorificauit ſe et in delicijs fuit, tantum miſcete illi tormẽtum et luctũ. Eadem legis Hie. 50. Sed noli tu ex facto hoc tibi legem facere, ut putes tibi licere malum malo rependere, & uindicare iniuriam quoties libuerit. Illis præceptum erat, tibi non item, & in ſolos Babylonios, non in alios ſimiliter. Si habes præceptum Dei, quod ad te pertinet, et tu ne cede malis, ſed contra audentior ito. Sin præceptum Domini non habueris, patere & abſtine, uelut Chriſtus te multis uerbis Mat. 5. docuit. Iudæis olim mandatum erat de perdendis Chananæis. Exodi. 32. quemadmodum ſupra locis. 78. admonuimus, ſed nõ de alijs. Vt ſcias Dei eſſe ultionem, et non uindicandam priuatam iniuriam, niſi ubi habueris apertum præceptum Dei. Scriptum eſt enim. Mihi uindictam, & ego retribuam. Deut. 32. Dei tantum eſt uindicare. Si magiſtratus uindicat, authoritate Dei facit, is enim habet præceptum Dei, ſed tibi dictũ eſt. Pro-

Vindicta nobis prohibita.

Vltio Dei eſt.

Magiſtratui licet uindicare.

uer.

*uer. 24. Ne dicas, quemadmodum fecit mihi, ſic faciam ei. Reddam unicuiq; ſecundum opera ſua. Vltio Dei eſt, ad te pacientia ſpectat.*

## XCII.

## In uiam gentiū ne abieritis. Matt. 10. Ite in mundum uniuerſum, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Mar. 16.

*Myſterium redemptionis noſtræ uiuo Chriſto uulgari exteris nationibus nō debuit, ne quid Iudæi haberent quod cauſarentur, qui ſe populum Dei propter promiſſiones diuinas, quas habebant, & propter legis opera gloriabantur. Et Chriſtus teſtatur eos oues eſſe ad quas miſſus ſit à patre Mat. 15. quamuis ſeductæ fuerint Phariſaicis doctrinis. Et quandoquidem Iudæis miſſus erat, noluit ante glorificationē ſuam Apoſtolos ad gentes prædicatum emittere. Miniſter circumciſionis Rom. 14. Oportebat primum electionem fieri Iſraëlis, deinde intrare plenitudinem gentium. Roman. 11. Poſtquàm autem Chriſtus glorificatus eſt: id eſt, ubi regnum Chriſti completum erat, ut ſalus ſuſciperetur à gētibus, miſit quoq; gentibus prædicare Euangelion dicens: Ite in mundum uniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Paulus quoq; cum Iudæis expoſtulans. Vobis, inquit oportebat primum loqui ſermonem Dei, ſed quoniam repillitis illum, & indignos uos iudicatis æterna uita,*

*Iudæi populus Dei & oues.*

*Euangeliō poſt reſurrectionem Chriſti gentibus prædicatum.*

*ecce conuertimur ad gentes. ſic enim præcepit nobis Dominus. Acto.13. Nulla igitur ſubeſt diuerſitas ſi non ipſe confundas ordinem.*

XCIII.

# Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Matt. 10.

# Si quis ſibi uidetur ſapiens in hoc ſeculo, ſtultus fiat. 1. Cor. 3.

*Sapientia mundi non omnino repudianda.*

*Scriptura tantum in rebus ſpiritualibus damnat ſapi etiam mundi, q animalis homo non accipit ea quæ ſunt ſpiritus* Dei.1.Cor.2. *alioqui in rebus ciuilibus tanquam utilis et neceſſaria cõmendatur, uelut ſatis probat parabola prudentis œconomi commendati à* Dño. Lu.16. *Igitur* Chriſtus *ſub prima legatione* Apoſtolorũ *ad ſpargẽdum* Euangelion *regni* Dei, *non eximit prudentiam, ſed magis docet.* Nam *cũ dixiſſet:* Ecce *ego mitto uos uelut oues in medio luporum, ne putẽt ſe debere ſtupidos eſſe, addit:* Eſtote *igitur prudentes ſicut ſerpentes, et ſimplices uelut columbæ. Serpentes inſidiantis greſſus declinant, obturant aures ad uocem incantantis, et dum percutiuntur, omnia obijciunt, ut ſeruent caput: quo ſaluo uita ſupereſt, tuentur incolumitatẽ ſuam magis prudẽtia quàm uiribus, et ut habet* Tertullianus *in lib. de pallio.* *Iſte quod ſortitus eſt cõuertit corium et æuum. Siquidem ut ſenium perſenſit, in anguſtias ſtipat, pariterq; ſpecum ingrediens, et cute egrediens ab ipſo ſtatim limine eraſus*

*Serpentum prudentia.*

ſus, exuuijs ibidem relictis, nouus explicat, cum ſquamis & anni recurſantur, hæc ille. Iſta eſt prudentia ſerpentis, quantum ego ſciam. Moſe quoq; ait: Serpens erat callidior cũctis animantibus. Gen. 3. Ita intelligo debere Chriſtianos ſub initio Euangelij inſidiantiũ manus euitare, ne magis irritẽt, quia mox addit: Cauete ab illis hominibus: tradent enim uos in concilia, et in conciliabulis ſuis flagris cædent uos: deinde debere quoq; obturare aures ad impiorum contumelias, non regerere conuicia, ne uideatur occaſio tumultus & ſcandali. Poſtremo omnia potius perdere quàm caput. id eſt, fidem in Chriſtum. Per arctam cauernam, hoc eſt, per crucem & abnegationem ſui, tendere ad regnum cœlorum, expoliato uetere Adamo, et induto nouo hoĩe. Non iubet ſerpentis calliditatem et nocendi auaritiam imitari: Nam ſerpens ſemper inſidiatur calcaneo noſtro, alioqui non addidiſſet: Et ſimplices ſicut columbæ, quæ reuera nemini inſidiantur, ſed ſunt ſimplices, id eſt ſyncera, innocentes, rectæ, citra odium. In ſumma, iubet ſimplices prudẽtes eſſe id eſt, cãdidos, ſine dolo, prouidos, fürſichtig, ſapientes. Nec eſt huic ſententiæ diuerſus Paulus, cũ inquit: ſi quis ſibi uidetur ſapiẽs eſſe inter uos, ſtultus fiat. Nam in rebus fidei omnino repudianda eſt ſapientia carnalis. Sapientia.n. mundi ſtulticia eſt apud Deum. Vult dicere: Sapiens huius mundi humiliet ſemetipſum, iudicet ſe nihil ſapere in myſterijs fidei, abneget ſeipſum, ſubmittat ſe ferulæ, diſcat à Chriſto, qui eſt ſapientia Dei. Deus

Columbæ ſimplices.

Sapiẽs ſtultus fiat.

*enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiã. Stultus fiat, id eſt, extenuet ſe, fateatur ſe puerum aut ſtultum, qui nihil ſapiat in rebus* Dei. *Nam ſi quis ſibi uidetur aliquid eſſe cum nihil ſit, ſuum ipſe fallit animum.* Gal.6. *Sic fecit ille qui dixit: Stultißimus ſum hoĩm, nec eſt penes me intelligentia, nec didici ſapientiam, nec ſanctorum ſcientiam cognoui.* Pro.30. *Qui ſic ſe humiliauerit, exaltabitur, fiet ſapiens in* Domino. *Huc pertinet etiam illud.* Hiere.9. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, ſed in hoc glorietur, qui gloriatur ſcire et noſſe me.* Roma.16. *Volo uos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.* 1. Cor.1. *Quæ ſtulta erant ſecundum mundum, delegit* Deus, *ut pudefaceret ſapiẽtes. Talis ſtultus etiam ipſe* Paulus *factus erat, omnia enim referebat ad* Deum. *Non tumebat ſapientia mundi, omnia habebat pro ſtercoribus & damno, propter excellentiam cognitionis Chriſti Ieſu.* Phi.3. *Vnde ait: Nos ſtulti propter Chriſtũ.* 1.Cor.4. *Huc etiam refer, ſi uoles, & illa.* Matt.19. *Niſi efficiamini ſicut pueri, non ingrediemini in regnum cœlorum.* Et 1. Cor.14. *Fratres ne ſitis pueri ſenſibus, ſed malitia pueri ſitis.*

## XCIIII.

Nemo uſurpat ſibi honorẽ, ſed qui uocatur etiam à Deo, tanquam Aaron, Heb.5.

*Poteſtis*

# Poteſtis ſingulatim omnes prophetare. 1. Cor. 15.

*De uocatione et docendi munere magna eſt hodie inter Theologos controuerſia. Quidam omnibus liberum faciunt publicum docendi munus citra perſonarum reſpectum, quando nec Deus ſit* προσωποληπτης. *Vnde ſutores, lanij, textores, ruſtici, et multi è plebæis, maxime qui ſunt ex Anabapſtiſtarum factione, docendi prouinciam ſibi uſurparunt. Sunt qui nullis licere contendunt, niſi uocatis. Et ij mihi rectiſsime ſentire uidentur. Nam quis probet illos idiotas temere ſeſe ingerentes, agriculturæ exercendæ idoniores quàm prædicandi officio? De quibus olim dixit* Dominus: *Currebant, & ergo non mittebam, & ſeduxerunt populum meum.* Hie. 23. *Sutores ſutoriam exerceant. Agricolæ rus colant, ea enim eſt ipſorum uocatio. Coriarij parando corio inſudent, artocopi in piſtrinum abeant, quiſq; maneat in ſua uocatione.* Ne *ſutor ultra crepidas. Aut ſi uolent omnino prædicare, urgente zelo, uelut quandoq; iactitant, ad nationes pergant, quibus nondum prædicatum eſt* Euangelion, *aut domi doceant familiam ſuam: modo certi ſint ſe uerbum* Dei *docere, ne ſuas ſaliuas expuant, ne hominum traditiunculas & ſomnia ſpargant, ne adulteratam doctrinam prædicent.* 1. Pet. 4. *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia* Dei: *ſi quis miniſtrat, miniſtret tanquam ex uirtute, quam ſuppeditat* Deus: *in omnibus* glori-

*Citra uocatione nemo prædicet.*

*Suã uocatione nemo deſerat.*

*Concionator debet eſſe certus de uerbo Dei.*

glorificetur Deus per Ieſum Chriſtum. Deinde ſi uocentur ad publicum munus ſuffragijs Eccleſiæ, tum licet illis libere prædicare Chriſtum. Hæc dico, quòd uidemus Sathanam mille artificem, ſuum uirus ubiq; euomere in Eccleſia ut nos rurſus à ſynceritate erga Chriſtum in ſuas ſymplegadas retrahat. Quid non malorum ſparſerunt inſipientes ſpermologi? quas non tragœdias commouerunt non uocati blacterones? Examinandi ſaltem erant prius præficiēdi Eccleſiæ, probandi ſpiritus, num ex Deo ſint, an ſatis idonei ſufficiendi, ne citra reſpectū quiuis Sycophanta doceat, & ſimplices oues ſeducat. Licet quidem omnibus Chriſtianis docere, ſed ſuos. Verum quis nos certos reddidit illos eſſe Chriſtianos? quādo multi luporum ouinis pellibus tecti ſint. Quoties igitur ſcriptura docendi libertatem præſcribit, non intelligit niſi pijs ſpiritu Dei illuſtratis & uocatis, licere. Nam ad quos dicit Paulus: poteſtis omnes prophetare, niſi ad Chriſtianos? Quibus dicit Petrus: Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus qui in lucrum acceßit, ut uirtutes prædicetis illius, qui è tenebris uos uocauit in admirabilem ſuam lucem. 1. Petri 2. quibus inquam hæc ſcribit, niſi ſanctis & credentibus? Et longe aliud agit Paulus. 1. Corin. 14. Quàm ut cuiuis nebuloni blacterandi licentiam præbeat, uult omnia decenter & ſecundum ordinem fieri, nihil præcipitanter & tumultuarie. Nemo igitur doceat niſi uocatus. Sed heu pudor, quàm paucos habet hodie Germania uere uocatos

*Chriſtianis licet prædicare.*

*Vocati nūc ſunt pauci in Germania.*

uocatos concionatores, potior pars per poſticum ingeßit ſeſe. Dominus igitur addat nobis gratiam, ut recte doceamus Eccleſiam ſuam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

## XCV.

## Neminem per uiam ſalutaueritis. Luc. 10.

## Salutate uos oſculo ſancto. 1. Corinthiorum. 16.

Obſerua Chriſtum hoc loci non uetuiſſe Apoſtolis, ne quenquam perpetuo ſalutarent, nã id non charitatis atq; humilitatis, quæ præcipue inculcauerat, ſed faſtus & inhumanitatis uideretur argumentum: Verũ hoc uoluiſſe, ne uocationem deſererent, aut cõmiſſum munus interrũperent, ſed potius charitatis, quàm fidei officia intermitterent. Potior enim eſt fides charitate. Seruiendũ fratribus, ſed poſt Deum, ait enim: Primum quærite regnum Dei et iuſtitiã eius. Mat. 6. Salutãdi fratres executo Dei imperio. Cuius habes exemplũ apud eundem Lucam præcedenti capite. Nam cum quidã uoluiſſet ſepelire patrẽ, & poſtea ſequi Chriſtum, dixit illi Ieſus: Sine ut mortui ſepeliãt mortuos ſuos, tu uero uade et annuncia regnum Dei. Et alius ait: Sequar te Domine, ſed permitte mihi prius, ut dicam uale iis, qui ſunt domi meæ. Ait ad illum Ieſus: Nemo qui manu ſua admota aratro reſpixerit à tergo, aptus eſt regno Dei. Ita hic quando præcipit, ne Vocatio nõ deſerenda.

quem per uiam ſalutent, uult prædicatores negotium ſuum proſequi, & nullo impedimento remorari negotiū Euangelij. Quaſi dicat: Ecce ego mitto uos ad prædicandum, non ad ſalutandum, docendi prouinciam committo, non ſalutandi: pergite igitur, docete Iſraëlem: poſtea ubi negotiū Euangelij executi fueritis, ſalutandi locus erit, uocationi ueſtræ nunc inſeruite. Sic Helizeus ſeruo ſuo eundem ſalutandi affectum prohibuit, dum ad excitandum filium Sunamitidis mittit. Accinge lumbos tuos inquit, & tolle baculum meum in manu tua & uade. Si accurrerit tibi homo, non ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi, et pones baculum meum ſuper faciem pueri. 4. Re. 4. Primum potiora exequenda, deinde licebit ad alia ſe quoq; accingere. Salutate deinceps quotquot uolueritis poſt uerbi miniſterium, & ubi meum imperium executi fueritis. Sic iubet ſalutare domum, offerre pacem. Et Apoſtoli crebras ſalutationes intermiſcent Epiſtolis ſuis, ne putes Chriſtianis non licere ſalutare amicos.

*Neminem per uiam ſalutaueritis.*

*Salutare licet amicos.*

## XCVI.

### Videte & cauete à fermento Phariſæorum. Matt. 16.

### In Cathedra Moyſi ſedent ſcribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque iuſſerint uos ſeruare, ſeruate

& fa-

# & facite, Matthæi 23.

Chriſtus ubiq; abijcit doctrinas hominum et traditiones Phariſaicas, inutiles ad pacificandas conſcientias & ingratas Deo. Mat 15. Fruſtra me colunt docentes doctrinas præcepta hominum. Hic eaſdem quoq; prohibet inquiens: Videte & cauete à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis. Luc. 12. Fermentum eas appellans, nam uelut modicum fermenti totam conſperſionem fermentat. Gal. 5. ita quoq; doctrina Phariſaica corrumpit et euertit omnem ſanam doctrinam, turbat conſcientias, labefactat animas, & ſubuertit audientes: Porrò illi ſententiæ uidetur diuerſa illa, quando ait: In cathedra Moſi ſedent ſcribæ et Phariſæi. Omnia ergo quæcunq; iuſſerint uos ſeruare, ſeruate & facite: ſecundum uero opera eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Non pugnant autem. Nam Chriſtus non iubet attendere Phariſaicæ doctrinæ, quam aliàs toties damnat, ſed ei, quam ex Moſe prædicant: quæcunq; ex lege Moſaica præceperint, ea oportet audire. Sedere enim in Cathedra Moſi, eſt docere Moſis doctrinam. Nam non legimus Moſen externam Cathedram inſtituiſſe. Sicut ſedere in Cathedra peſtilentiæ, eſt doctrinas dæmoniorum & erroris ſtabilire, peſtilentem doctrinam docere. Ita ſedere in cathedra Moſi, eſt ipſum Moſen prædicare, qui ab ætatibus antiquis in ſingulis ciuitatibus in ſynagogis per omne ſabbatum legebatur, teſte Iacobo. Acto. 15. Vult dicere: Nolite in do-

Traditiões hominum damnatæ.

Fermētum eſt doctrina Phariſæorum.

Sedere in Cathedra Moſi.

Sedere in Cathedra peſtilētiæ.

in docentis perſonam defigere oculos, ſed doctrinam ipſam conſiderate. Sedent enim in Cathedra Moſi ſcribæ et Phariſæi, uerum quando in Moſis Cathedra ſedeant, et non in Cathedra peſtilentiæ, uos omnia, quæ iuſſerint ſeruare, ſeruate & facite: quicquid ex lege prædicarint, contemnendum non erit, obſeruate ea, tamen nolite ipſorum facta imitari. Sunt enim Phariſæi hypocritæ, dicunt et non faciunt. Colligunt onera grauia difficiliaq; portatu, & imponunt in humeros hominum, cæterum digito nolunt ea mouere. Vrgent legem & legis opera, ſed ipſi non attingunt. Vides illic non ſtabiliri traditiones humanas, ſed magis per totum caput damnari.

## XCVII.

## Erit unus paſtor & unum ouile. Ioannis. 10.

## Separabit oues ab hœdis. Matt. 25.

Multi hoc uerbum Chriſti: Erit unus paſtor et unum ouile, ſiniſterrime interpretantur, pro Cõmunione omnium gentiũ. Quaſi Chriſtus dicat ante ſeculi cõſummationem omnes gentes coituras in unam fidem, eccleſiam, religionem, rempublicam, ut nõ ſint diuerſi principes, tot ſectarum diſcrimina, tot cultus & ritus ſacrorum, tam diuerſi mores & uarietas rerum, unus ſit futurus rerum omniũ ſtatus, una politia, una conditio omniũ hominum qui ſub cœlo degunt. Aut ꝙ in fine ſeculi ſint omnes homines

*mines in unum æternæ uitæ locum in ualle Ioſaphat cõuenturi, et ſimul gauiſuri. Abutuntur et hoc loco præpoſtere ſanguinarij noſtri Prophetæ, qui propterea iugulandos perſuadent principes ac magiſtratus, ut fiat unũ ouile, una rerum adminiſtratio, æqualitas inter omnes. Sed hi uniuerſi toto errant cœlo, nihil enim horũ omniũ dixit Ieſus: Nunquàm fiet unus ſtatus rerum oĩm, ſemper erunt mali et boni, ſemper infœlix lolium et ſteriles dominabuntur auenæ, generatio prauorum non deſitura eſt. Veluti ab initio mundi ſemper fuerũt bonis mixti mali, ita usq; finẽ non deſituri ſunt praui et pertinaces. Adde quòd extremis temporibus, quando illi ſomniant rerũ immutationem in tranquilliorem ſtatum, fient tempora multo periculoſiora et hoĩes peßimi, teſte Paulo. 2. Ti. 3. At in conſummatione ſeculi ſeparabuntur pij ab impijs, ne ſint magis cõmixti. Et uelut oues ſegregat paſtor ab hœdis, ita electi ſegregabuntur à peruerſis. Dicet enim rex his qui à dextris ſibi erunt: Venite benedicti patris mei, poßidete regnũ paratum uobis ab exordio mundi. Tunc quoq; dicet et his qui à ſiniſtris erunt: diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo et angelis eius. Vbi nunc manet Schwermerorũ noſtrorum unũ ouile? aut ſi nõ ſatisfacit tibi unus locus, adhibe et totum caput Mat. 13. Et ſatis doceberis nunquã defuturos malos & bonos, triticum & zizania, quæ in meſſe, id eſt, in fine ſeculi colligentur ab angelis. Zizania & eos qui patrant iniquitatem mittent in cami-*

Mali et boni ſemper erunt.

Separatio electorum ab impijs.

Meßis eſt conſummatio ſeculi.

num ignis, ibi erit ploratus & ſtridor dentium. In ſumma, in fine ſeculi (quando illi unum ouile putant futurũ) uenient angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum &c. Igitur quamdiu mundus hic perdurabit, non erit tale ouile, quale multi ſomniarunt, longe aliud dicit Chriſtus, nempe: Ex Iudæis & gentibus unam Eccleſiam futuram, dicens: Ego ſum paſtor ille bonus, & cognoſco oues meas, et cognoſcor à meis. Sicut nouit me pater, ita et ego noui patrẽ, et animam meam pono pro ouibus. Et alias oues habeo, id eſt, electos ex gentibus, quæ nõ ſunt ex hoc ouili, non Iudæi, ad quos ſpecialiter miſſus ſum, non habẽt promiſsiones Dei, alieni ſunt à repu. Iſraëlis, non ſunt concluſi ſub lege, illas quoq; oportet me adducere, ſcilicet per Euangelium et promiſsiones uitæ, quæ modo diſperſæ ſunt, non habentes paſtorem. Et uocem meam audient, et fiet unũ ouile, id eſt, una Eccleſia, una fides omnium credentium ex Iudæis & gentibus, unum paſtorem Ieſum Chriſtum agnoſcentes, & hoc ideo quia uocem meam audierunt. Hoc uerbum uidetur poſtea clarius exponere Euangeliſta. Nam cum Cayphas dixiſſet: Expedit ut unus homo moriatur pro populo, addit Ioannes uelut priora interpretans: Hoc à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet pontifex anni illius, uaticinatus eſt, quòd Ieſus moriturus eſſet pro gente, & non tantũ pro gente uidelicet Iudaica, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum. Ioann. 11. quid hoc aliud quàm quòd Chriſtus ſua morte et Euangelij prædicatione om-

*Vna Eccleſia Iudæorum et gentium.*

*Erit unum ouile.*

*nes electos, quibuſcunq; tamen regionibus diſperſi eſſent, congregaret in unum ſpirituale corpus, cuius ipſe caput & paſtor eſſet, in unam fidem, in unam Eccleſiam, & in unum ouile.* Hoc idem Paulus dicit, Ephe.2. *Vos quondam gentes in carne, eratis ſine Chriſto, abalienatæ à teſtamentis promißionis, ſpem non habentes, Deoq; carentes in mundo. Nunc autem per Chriſtum Ieſum, qui quondam eratis longinqui, propinqui facti eſtis per ſanguinem Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit ex utriſq;, ſcilicet Iudæis et gentibus, unum ouile, & interſtitium maceriæ diruit etc. Hæc communio facta eſt poſt ſpiritus ſancti promißionem, quando Euangelion prædicatum eſt omni creaturæ. Gala.3. In Chriſto Ieſu non eſt Iudæus neq; Græcus, non eſt ſeruus neq; liber, non eſt maſculus ac fœmina. Omnes enim unum eſtis.* Et Ephe.4. *Vnus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnia & in omnibus nobis. Col.3. Vbi non eſt Græcus & Iudæus, circumciſio & præputium, barbarus, Scytha, ſeruus, liber, ſed omnia in omnibus Chriſtus. 1. Cor.10. Vnum corpus multi ſumus. Hæc eſt germana ſententia uerborum Chriſti. Cæteras interpretationes uelut abortiuas & uirulentas fuge.*

*Vnum ouile quando factum.*

## XCVIII.

## Requieuit Deus die ſeptimo ab omni opere quod patrarat, Gen, 2.

## Pater meus uſq; mõ operatur. Ioa. 5.

Scriptura ſe nobis accommodat.

*Scriptura ſacra propter nos ſcripta eſt, inquit* Paulus, Ro. 15. *Ideoq; ſe nobis accõmodat, et ad captum noſtrum format, et in* Deo *quandoq; humanos affectus exprimit, ut formet ingenium noſtrũ, et ad ſe adtrahat, ut* Dei *benignitatem imperſcrutabilẽ expendamus, diſcamus, atq; intelligamus, qui ſe nobis accõmodat, noſter fit, hominem induit, mores et adfectus noſtros ſibi fingit, omnia noſtra cauſa facit, ut apprehendamus eũ.* Ad iſtũ modũ ἀνθρωποπάθος *etiam hic ſe format, cum inquit* Moſes, Deum *requieuiſſe ab uniuerſo opere ſuo, id eſt, expreſſit noſtra ſtudia, qui poſt diutinũ laborem quieſcimus aliquando à labore, deſijt à condendis creaturis, ſatis fuit iſthæc condidiſſe, non addidit nouũ cœlum, nouũ mare, aliud firmamentum, aliam terrã, alia animantia: ſed iſta quæ condiderat, benedixit, et cuiq; creaturæ ſuam naturam, nomẽ, ingeniũ, et opus indidit, ipſeq; uerbo ſuo, quod eſt ſapientia* Dei, *uniuerſa moderatur et conſeruat.* Ab *iſta diuina diſpenſatione habent ſuas leges, officia, terminos, omnes creaturæ.* Et *ut* Paulus Athenienſibus *prædicat, per ipſum uiuimus, et mouemur, et ſumus.* Act. 17. Ex *illo, & per illũ, et in illum omnia.* Ro. 11. *Indidit naturæ ſuũ ordinem. Ipſe eſt naturarũ dux, rector et magiſter, ipſe agit naturas omnium creaturarum.* Non *ceſſauit à mouendis creaturis, et agendis rerum naturis, ſed deſijt à condenda fabrica quam patrauerat, non aliam terrarũ molem priori ſuæ*

Deus requieſcit.

ni ſuperaddidit, nõ aliud firmamentũ adiunxit, non alios angelos creauit, hominem quem fecit, auxit et creſcendi naturam inſeuit. Vnde ait Chriſtus: Pater meus uſq; modo operatur. i. non ceſſat creaturã ſuam regere, generare, multiplicare. Non uult creare alium mundum, homines, piſces, aquam, ſtellas, angelos: ab iſto opere quieuit, ſed ab conditis adminiſtrandis nõ quieſcit, ſed ſine ceſſatione operatur et curat res, ut etiã capillus de capite noſtro non cadat ſine patre Deo. Iã uides nõ pugnare iſtos duos locos. Requieuit enim Deus ab nouo mundo, cœlo etc. condendo, uerũ ab regendo nõ deſijt, ſed continuo adminiſtrat et gubernat uniuerſas creaturas. Alioqui neq; ego, nec tu eſſes. Pſal. 103. Dante te illis colligent &c. Pater operatur.

## XCIX.

## Non dormitat qui cuſtodit Iſrael. Pſal. 120.

## Exurge, quare obdormis Domine? Pſal. 43.

Dormire dicitur Dominus, tropo ſcripturæ, quũ tentat nos afflictionibus, et dißimulat ac ſubtrahit ad tẽpus auxiliũ, tarde ſubuenit, non curat nos, abſcondit uultũ et bonitatẽ ſuam aliquandiu. Rurſus uigilare dicitur, quando ſuam opem atq; præſentiam manifeſte demonſtrat, defendendo electos ſuos, et malos uindicando. Non dormit uere, ſicut ſolet homo, ſed nobis dormire uidetur, quando tentamur. Et talis eſt nobis Dominus qualẽ credimus. Dormire qñ dicatur Dominus.

*Occulit miſericordiam, adfligit, mortificat, deducit ad inferos, auertit faciem ſuam à nobis, & tum nobis dormire putatur, qui uigilat perpetuo, derelinquit ad tempus, ut credentes tentationum procellis exercitati, manifeſti fiant, ut fides noſtra probetur. Quando igitur ſancti Dei homines ad Deum clamant, ut euigilet, hoc rogant, ut Deus clementius eos reſpiciat, è tentationibus eripiat, ne ſuccumbant. Alioqui non dormitat, qui cuſtodit Iſraël. Pſa.32. Oculi Domini ſuper metuentes eum, ad eos qui ſperant in miſericordia eius. Et Pſal.33. Oculi Domini erga iuſtos, & aures eius ad clamorem eorum. Qui igitur ſemper reſpicit timentes, nō poteſt non ſemper uigilare, ſanctus eſt uigil. Dan.4. Non obdormit.*

C.

## Statutum eſt hominibus ſemel mori, Heb. 9.

## Omnis qui credit in me non morietur in æternum. Ioan.11.

*Aliâs hac parte Conciliationum noſtrarum diximus de triplici morte: una corporis ſeu naturæ, cui ſubiacent uniuerſi homines: altera animæ, quæ peccantibus imminet: tertia æterna, ea eſt maledictorum. Idq; ſatis ſuperq; fulcitum eſt ex quinto capite Ioannis. De prima loquitur Apoſtolus. Hebræorum 9. quatenus illud manet omnes homines, ut ſemel moriantur: poſt hoc autem iudicium.*

*Morimur omnes.*

cium. At Chriſtus Ioa. 11. De morte æterna dicit, quæ impietatis ſtipendium eſt, cum inquit: Omnis qui credit in me, non morietur in æternum, id eſt, mors non incommodabit electis, non abſorbebit omnino, ſed euomet rurſus in uitam longe meliorem atq; diuturniorem. Ioannis 5. Amen, amen dico uobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet uitam æternam, & in condemnationem non ueniet, ſed tranſibit à morte in uitam. Et Ioannis 11. Ego ſum reſurrectio & uita, qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, uiuet. Mors piorum ſomnus eſt ſuauiſsimus, & tranſitus ad diu exoptatam uitam, æternam ſcilicet hæreditatem. Moriemur igitur omnes corpore, at non anima & ſpiritu. Pij enim uiuent in æternum. Mors corporis communis eſt omnibus, mors animæ tantum impijs.

Pij non moriuntur.

Mors ſomnus.

Finis centuriæ primę locorum pugnantium.

# CONCILIATIONVM LOCORVM SCRIPTVRÆ ſpecie tenus pugnantium, Centuria ſecunda, Andrea Althamero authore.

## CI.

## Iuſtus in fide ſua uiuet. Abac. 2. Hoc fac, & uiues. Luc. 10.

*Nemo iuſtus, niſi fidelis.*

*Vt nemo iuſtus, niſi fidelis, qui uero credit in Deum patrem per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, id eſt, qui non fidit ſuæ ſanctitati, ſuis meritis, iuſtitiæ, natiuitati, ſapientiæ, operibus: ſed in Deũ ſperat, nomen Dei inuocat. Ita nemo uere uiuit, niſi iuſtus et credens. Et nemo iuſtificatur et uiuit ex ullis operibus legis, ſed ex ſola fide et cognitione Dñi noſtri Ieſu Chriſti, uelut omnis ſacra ſcriptura pleniſsimis uerbis prædicat. Præterea nemo obſeruat et implet legem, niſi ſolus iuſtus: id eſt fidelis.*

*Nemo uiuit niſi iuſtus.*

*Iuſtitia Dei et fides eſt uita. Infidelitas autem mors eſt. Et Chriſtus non remittit legiſperitum ad operum iuſtificationem. Non enim dixit: ſi nõ occideris iuſtus eris coram Deo: ſed ad fidem hoc eſt obedientiam uerbi ſui inuitat, et iubet diligere Dñm ex toto corde, anima, mente, uiribus: quod nihil aliud eſt q̃ intentum eſſe in Deũ, fidere Deo, inniti Deo, et à Deo pendere. Nemo enim diligit Deũ toto pectore, niſi uere pius et fidelis. Hoc fac, id eſt, obedi Dei imperio, dilige ex animo ſyncero, non in hypocriſi, ſpera in Dño, nõ in tua iuſtitia, et bene fac*

*Hoc fac & uiues.*

*egenti,*

*egenti, et ſaluus eris.* Et *tribuitur hic fidei iuſtificatio æque atq; Aba.2.cũ ait uir Dei: Iuſtus in fide ſua uiuet, id eſt, uita, ſalus, et ſanctificatio iuſti ex fide ſua eſt, non ex ullis meritis. At ſi uoles omnino urgere, Chriſtũ operibus tribuere iuſtificationem. Reſpondeo: Deũ non reſpicere ad laruas externorũ operum, ſed in abyſſum cordis, in fidem, Ieſa.11. Hie.5. Dñe oculi tui reſpiciunt fidẽ, et ſine fide impoßibile eſt, ut quis Deo placeat. Heb.11. Si cor fuerit mundũ, pura ſunt omnia. Ti.1. Mundis omnia munda. At ſi oculus malus fuerit, totũ corpus tenebroſum erit. Mat.6. Cor eſt radix operũ, et iuxta cor iudicat Deus. Adde quòd lex ſpiritualis eſt, et nos carnales, nec uult carnaliter impleri, ſed ſpiritualiter: ad affectus et cor ipſum exigit, non manum tantum, id eſt externum opus. Igitur nemo implet legẽ, niſi ſpiritualis, id eſt, uere fidelis, iuſtificatus fide: Ideoq; fide iuſtificatur homo, & bonus bona agit. Arbor bona gignit fructus bonos, fructus ſapidi ſunt argumenta fœcundæ et bonæ arboris, quæ arborem nihil reddũt meliorem. Si ex operibus iuſtitia, fruſtra Chriſtus mortuus eſt. Gal.2. Nihil opus haberemus gratia, ſi opera noſtra iuſtificarent nos inopes: at quia nihil poſſumus ex nobiſipſis, gratia et miſericordia Dei indigemus. Matt.5. Beati qui eſuriunt et ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*

*Deus fidẽ reſpicit.*

## CII.

## Lex miniſtra mortis, 2. Cor. 3.

Mandatum eius uita æterna eſt. Ioannis 12.

Lex quid operetur.

Per legem eſt cognitio peccati. Ro. 3. id eſt lex reuelat animi morbum, et tranſgreſſoribus maledictionem indicat. Deut. 27. Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut opere perficiat. Lex nõ iuſtificat, nec eſt data diuinitus diſpoſitione angelorum, ut ſanctificet perfecte. Heb. 7. ſed Dei uoluntatem & beneplacitum indicat, quid Dominus requirat à nobis, quid non. Deinde mortẽ minatur, ſi quis negligat aut contemnat legem. Hoc agit Paulus, cum ait: Lex eſt adminiſtratio mortis, hoc eſt, Lex uniuerſa noſtra condemnat, & reos agit nos, deinde occidit quoq; nõ uiuificat, quod eſt ſpiritus officium, non ſanat, non erigit, non conſolatur, ſed territat, trepidare facit, ad deſperationem adigit, iram operatur, & mortificat, agit nos in crucem, mortem, infernum. Chriſtus uero (Ioan. 12.) non loquitur de lege, ſed de mandato ſibi à patre ſuo cœleſti delegato, de annunciando Euangelio. Non miſit Deus pater Chriſtum filium ſuum, ut condemnet mundum, ſed ut ſeruet, gratiã patris annunciet, Euangelium, id eſt, remiſsionem peccatorum prædicet. Ieſ. 61. Lu. 4. Ad Euangelizandum pauperibus miſit me. Iſtud nuncium, qui fide arripuerit, ſeruabitur in æternum, iuxta illud: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Marc. 16. Et Euangelium eſt potentia Dei, ad ſalutem omni credenti.

Rom.

Ro.1. *Euangeliō itaq; eſt uita æterna, nō lex.* Et *Chriſtus miſſus eſt, ut ſanet non occidat, quærat quod perierat, hoc præcepit illi pater, ad hoc miſit eum pater.* Aliud *igitur eſt lex, aliud* Euangelium: *lex occidit,* Euãgelium *uiuificat, de quo aliâs abunde dictum.*

CII.

## Nemo carnem ſuam unquam odio habuit. Ephe. 5.

## Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt. Gal. 5.

Apoſtolus Ephe. 5. *indicat hiſce uerbis:* Nemo *ſuam carnem odio habuit, homini natura inſitū eſſe* φιλαυτίαν, *ſui ipſius amorē, ſiue carnis et rerum ſuarum curam.* Quiſq; *ſibi placet, ſua admiratur, ſequitur ac diligit.* Et *nemo unquā ſuam ipſius carnem odio habuit, imò enutrit ac fouet eā.* Omnes *ſibi melius eſſe malunt, quàm alteri.* Aſtipulatur *huic ſententiæ* Plato *lib. 1. de legibus.* Hoc *eſt autem quod aiunt, unumquenq; natura ſibi amicum eſſe, idq́; recte fieri.* Nemo *natura ſuam carnem & ſeipſum odit.* Quo *argumento* Paulus *utitur, ut maritos ad uxorum dilectionē pelliciat:* ἀλληγορικῶς *enim carnem pro uxore uſurpat, propter hoc uerbum :* Relinquet *homo patrem & matrem, et adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Itaq; *iam non ſunt duo, ſed una caro.* Scribit *itaq;:* Sic *debēt uiri diligere ſuas uxores,*

Amor ſui.

*Caro pro uxore.*

res, ut ſua ipſorum corpora. Qui diligit ſuam uxorem, ſeipſum diligit. Nullus enim unquam ſuam ipſius carnē odio habuit, imò enutrit ac fouet eam, ſicut et Dominus Eccleſiam. Eſt igitur allegoria in uocabulo carnis, ad

Caro.

Gal. 5. Caro in propria et genuina ſua ſignificatione iuxta ſcripturæ uſum, accipitur. Nō enim de natura carnis diſputat, ſed de renati et ſpiritualis hominis ſtudio. Qui Chriſti ſunt, inquit, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentijs. Id eſt, nouus et ſpiritualis homo, non curat ea quæ carnis ſunt, non ſeruit uentri, non ſectatur uoluptates carnis, non eſt amplius ſecularibus cupiditatibus addictus, ut ſuo genio indulgeat, abrenūciauit mundo et deſiderijs carnis, crucifixus eſt ei mundus, & ipſe uiciſſim mundo, Et ſi res poſcat, parentibus, coniugibus, fratribus, amicis, et quicquid in mundo charum habet, ſuæ quoq; carni ualedicit.

Crucifigere carnem.

Crucifigere uero carnem, eſt mortificare ueterem hominem cum concupiſcentijs ſuis, abnegare ſemetipſum, pœnitentiam agere, exuere corpus peccati, mori peccato, ut in nouitate uitæ ambulemus, & iuſtitiæ uiuamus. Qui enim in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Et debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem (quæ eſt natura, ratio et ingenium hominis) uiuamus. Nam ſi ſecundum carnem uixerimus, moriemur. Rom. 8. Quòd ſi ſpiritu facta corporis mortificauerimus, uiuemus. Qui Chriſtum induerunt, mortui ſunt carni, abrenunciauerunt carnalibus deſiderijs et mundi delitijs.

Non

## CIIII.

# Non acceperunt promiſsiones Hebræ. 11.
# Aſſecuti ſunt promiſsiones. Ibidem.

*Nolo rem per ſe non difficilem multis uerborum ambagibus reddere obſcuriorem, uelut non pauci facere ſolent, qui ut ſoli uideantur ſapere, & rem acu tetigiſſe, non perſtringunt id, quod ſcribunt paucis uerbis, ſed longis anfractibus, magno lenocinio uerborum, ſeſquipedalibus, & ad gloriam excogitatis ſermonibus exornant, & rhetoricantur mirum in modum, quos ego non probo. Veritatis oratio debet eſſe recta et ſimplex, non confuſanea et perplexa, aut eminentia ſermonum ſplendēs, ſed perſpicua, facilis, integra. O quàm multos uidi, qui ex muſca elephantem, & ex tenui cumulo magnum producunt olympum, ſed quàm commode, uideant ipſi. Si ueritas multitudine & fuco uerborum conſtat, et non potius ſimplicitate aut rectitudine, paucos reperies, rectos ueritatis profeſſores. Ego quod duobus uerbis poſſum explicare, non longa garrulitate expediam, ſint alij uerboſi, et ære dodonæo loquaciores, ego quod ſentio, breuibus dicam, niſi ubi ſumma neceßitas coegerit loquacitatem. Apoſtolus igitur, ut ad rem accedamus, hoc agere mihi uidetur, Abrahamum, Iſaacum & Iacobum*

*non*

non accepiſſe promißiones, hoc eſt, rem promiſſam aut promißionum executionem, quæ tamen temporalis fuit, ſed tantũ credidiſſe promittenti Deo. Nam Deus pollicitus eſt Abrahæ & ſemini eius terram Chanaan. Gen. 12. et 15. uerũ promißioni non fecit executionem, non præſtitit promiſſam terrã. Et ut inquit diuus Stephanus, nõ dedit illi hæriditatẽ in ea, ne ueſtigiũ quidẽ pedis, et repromiſit illi eam ſe daturum poßidendã, et ſemini eius poſt ipſum, cũ non haberet filiũ Act. 7. Expectauerunt igitur patres promißionẽ, crediderunt ſalutaruntq; et confeßi ſunt, ſe hoſpites atq; aduenas eſſe in terra. Heb. 11. ſed rem promiſſam tantũ fide poßiderunt, non re ipſa. Sicut nos nunc tantum per ſpeculum in ænigmate uidemus Deum, tunc aũt facie ad faciem. 1. Cor. 13. uidebimus eũ ſicuti eſt. 1. Ioa 3. Ita illi promißionẽ audierunt, ſed rẽ promiſſam, id eſt, hæreditatẽ terræ Chanaan nõ acceperunt niſi ænigmaticôs. Vera promißio, de qua nobis ſermo, uita eſt æterna, hæreditas cœleſtis patriæ nouæ Hieruſalẽ, quam in fine ſeculi mutuo oẽs ſancti poßidebimus et hæreditabimus, quòd Deus de nobis melius quiddã prouiderit, ne ſine nobis cõſummarentur, q fide defuncti ſunt. Itaq; illæ promißiones ſpirituales in hoc ſeculo non exequentur plenißimè, ſed in futuro. i. poſt hanc uitam in conſummatione ſeculi, tum poßidebunt uere terram fluentẽ melle et lacte, quæ eſt æterna beatitudo, et ſine fine gaudiũ & regnum oĩm ſeculorum. Vt intelligas plures eſſe Dei pollicitationes. Vna eſt promißio terræ Chanaan, quam

Patres non acceperunt promißionem.

Promißio uera eſt uita æterna.

Promißiones multiplices.

Abra-

*Abraham, Iſaac, Iacob non acceperunt in ſe, uelut paulò ante memini, de hac ipſe loquitur* Apoſtolus, *cū inquit: Iuxta fidem mortui ſunt hi omnes, cum non accepiſſent promiſsiones, ſed procul eas uidiſſent, et credidiſſent etc. Acceperunt tamen eam in filijs Iſraël ſucceſſoribus ſuis, ut abunde totus liber* Ioſua *teſtatur, et huc pertinet locus* Ezechielis 33. *Vnus erat* Abrahā, *et hæreditate poſſedit terram, id eſt, in filijs ſuis poſſedit, aut per fidem. Alia eſt ſpiritualis promiſsio, qua electis* Dei, *id eſt, credentibus uita æterna eſt promiſſa ab æterno.* Ioa. 6. *Omnis, qui uidet filium* Dei, *& credit in eum, habebit uitam æternam.* Hanc *promiſsionem ante diem iudicij nemo perfecte accipiet, tum enim erit reſurrectio iuſtorum ad uitam immortalem, et induemus incorruptibilitatem. Tertia eſt priuata et ſingularis promiſsio, qua etiam priuatim priuatis factæ ſunt aliquot pollicitationes, ueluti* Diuidi *promiſſum eſt regnum* Iudæ. 1. Reg. 13. *&.* 16. Act. 13. Ezechiæ *regi* Iudæ *ſanitas.* 4. Reg. 20. Gedeoni *quòd liberaturus eſſet* Iſraëlem *de manu* Midian. Iud. 6. Baruch, *quòd oppreſſurus eſſet* Siſſeram *ducem exercitus regis* Chanaan Iudi. 4. Samſoni, *quòd eſſet* Iſraëlem *erepturus de manu* Philiſtinorum, Iudi. 13. *& iſtas promiſsiōes aſſecuti ſunt, deq́; illis loquitur* Apoſtolus, *& probat quòd ſanctos uiros, quibus factæ ſunt tales promiſsiones, nominatim recenſuerit, ut intelligas aliquot priuatas & ſingulares promiſsiones accepiſſe, quæ fuerunt temporales & bonorum huius terræ.* Rur-

ſus

*ſus aliquot, promiſsiones non accepiſſe, & iſtæ fuerunt ſpirituales & æternorum bonorum, quæ in fine ſeculi uere poſsidebimus, ſic prouidente Deo, ne ſine nobis conſummarentur ſancti, id eſt, perfectionem acciperent, et ante nos in regnum Dei, cœleſtemq; gloriam ingrederentur, ut communi gaudio & fœlicitate perfruemur. Expende totum caput diligentiſsime, & uidebis conciliationem hanc noſtram non eſſe falſam.*

CV.

Non bibam poſt hac ex hoc fructu uitis, uſq; in diem illum, cum bibam illud uobiſcum nouum in regno patris mei, Matt. 26.

Comedimus & bibimus unà cum illo, poſteaquàm reſurrexit à mortuis. Acto. 10.

*Chriſtus relicturus hunc mundum, & iturus ad patrem, hoc eſt ſubiturus mortem pro nobis, ut pararet nobis regnum ante ſupplicium ſuum, cœnam Dominicã inſtituit, et ualedixit ſuis diſcipulis, bibitq; unà cũ illis nouiſsimum hauſtum, priuſquàm manifeſtaret reſurrectionem ſuam, & declararet ſe uerum & potentem Dei filium. Dixitq;: non bibam poſt hac uinum, donec reſurrexero, & regnum ſpirituale, quod eſt regnum omnium ſeculorum, auſpicatus fuero, tum uero bibam uobiſcum.*

*Chriſtus*

*Chriſtus ingreſſus eſt regnum patris, id eſt, declaratus eſt filius* Dei *cum potẽtia, ex eo quod reſurrexit à mortuis.* Rom. 1. *Ante reſurrectionem, id eſt, glorificationem eius nõ erat planè manifeſtum ipſum eſſe naturalem* Dei *filium.* Reſurrectio *ipſius à morte prodidit eius diuinitatem. Voluit igitur dicere:* Non *edam et bibam poſt hac uobiſcum in hoc mortali, quod circumfero, corpore, expediam prius patris uoluntatem, crucifigar, ſepeliar & reſurgam deinde poſt diem illũ regni mei et reſurrectionem, bibam rurſus uobiſcum. Vnde legimus ipſum poſtquam reſurrexit ſæpius manducaſſe cum* Apoſtolis. *Luc.* 24. *Ioan.* 21. Hinc *etiam* Petrus *ait ſe comediſſe & bibiſſe cum eo à reſurrectione mortuorum. Porrò nouum uidetur dicere, quòd poſt reſurrectionem iam nouus ſit factus & immortalis, qui prius mortalem hominem circumferebat, & caro factus erat. At ſi quis uelit ad ſpiritualem manducationem in regno* Dei, *id eſt,* Eccleſia *electorum referre, quid ad me.*

*Regnum Chriſti à reſurrectione cœpit.*

*Chriſtus edit à reſurrectione.*

CVI.

Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcẽdit è cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Ioan. 3.

Pater quos dediſti mihi, uolo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut uideant gloriam meam. Ioan. 17.

Per Chriſtum eſt nobis aditus ad patrem.

Alter locus prioris interpres eſt, ideoq́; nihil pugnat. Chriſti ſumus et cum Chriſto quotquot credimus in nomen eius. Vbi ſumus congregati in nomine eius, ibi ipſe eſt in medio noſtri. Mat. 18. Caput noſtrũ eſt, nos ipſius corpus & membra. Ipſe in cœlis habitat, eſt & noſtra conuerſatio in cœlis. Phil. 3 Sumus conciues ſanctorum, & domeſtici Dei. Ephe. 2. Idq́; per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, non ex nobis ipſis, aut noſtra iuſtitia. Ipſe deſcendit in noſtram infirmitatem et nos ſecum euexit. In ipſo aſcendimus, et ſine ipſo non eſt nobis uia aut tranſitus ad cœlum. Ioa. 4. Nemo uenit ad patrem, niſi per me. Nihil emeruit nobis patrẽ, quàm Ieſus Chriſtus filius Dei. Nihil conciliat nos patri, q̃ ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nihil cœlũ nobis aperuit, quàm ſolus Ieſus. Ipſe ſpiritu ſancto nos ſuperinduit, qui facit nos unum cum ipſo. Eundem enim ſpiritum effundit in nos, ideoq́; unus ſpiritus, una fides, unus baptiſmus, nos ipſi unit, & unum corpus efficit. Sic alibi dixit: Iterum ueniam et aſſumã uos ad me ipſum, ut ubi ſum ego, & uos ſitis Ioa 14. Licet corpore abſimus à regno cœlorũ, ſpiritu tamen ſemper cũ Deo uiuimus, Chriſti ſpiritus, qui in nobis eſt, trahit nos ad ſe: Non aſcendimus ad regnum cœlorum noſtris meritis et uirtute, ſed per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum. Ita ubicunq; terrarum egerimus, Dominus erit nobiſcum, quemadmodum ſanctiſsimus ille citharœdus cecinit: Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero ad infernum, ades. Pſal, 138.

Peccati eorum non recordabor amplius. Ierem. 31.

Non exibis illinc, donec perſolueris extremum quadrantem. Matt. 5.

*Præſens uita ac ſeculũ, ſerendi, plantandi, ſeminandiq; tempus habet: in altero autem ſeculo demetendum erit. Nam quicquid homo ſeminauerit, hoc et metet. Qui ſeminat per carnem ſuã, de carne metet corruptionem, ſed qui ſeminat per ſpiritum, de ſpiritu metet uitam æternam* Gala. 6. *Meßis enim erit conſumatio ſeculi, interprete* Chriſto Matth. 13. *Tum qui bona fecerunt & ſeminauerunt, ibunt in uitam æternam: qui uero malos fructus produxerunt, in ignem ibunt æternum.* Ioan. 5. *Viuentibus in hoc ſeculo pœnitentia congruit, emendiq; olei facultas.* In *altero ſeculo credẽtibus corona uitæ reddetur.* Hieremias *itaq; de nouo teſtamento in* Chriſto Ieſu *reuelando prophetat, in quo omnibus uiuis et in* Dominum *ſperantibus iniquitas remittetur.* Chriſtus *uero de meſſe loquitur, in qua impij, crudeles & immites detrudendi ſint in gehennam.* Nouum *teſtamentum eſt remißio peccatorum per ſanguinem* Chriſti: *pertinent ad nouum teſtamentũ, qui pœnitentia acta, uere reſipuerunt dolentq; de omnibus iniquitatibus ſuis, et inuocant nomen* Domini, *id eſt, credunt in nomen unigeniti filij* Dei, *credunt ſanguine* Chriſti *ſe purificatos & reſurrectione iuſtificatos.* Rom. 4. *Mortuus enim eſt propter peccata noſtra*

*& reſurrexit propter iuſtificationem noſtri, hoc agit* Propheta Ieremias *ca.*31. Et Apoſtolus Heb.8. *ubi lege.* At *qui non pœnitẽt, non credunt, ij non accipient remiſſionem peccatorum, ſed ibunt in ignem æternum. Qui crediderit, ſaluus erit, qui uero nõ crediderit, condẽnabitur.* Mar.16. Ioa.3. Et *Chriſtus* Mat.5. et 18. *hoc agit, ſi non remiſeris fratri tuo, non recipies remißionem, ſed æterno torqueberis, et uermis tuus nõ morietur.* Ieſ.66. *Promiſſa eſt iuſtitia & peccatorum remißio ſolum pœnitentibus.* Iere.18. Ezec.18.32. Matt.3. *Super incredulos manet ira* Dei. Ioan.3.

## CVIII.

# Non ueni uocare iuſtos ſed peccatores. Matt. 9.

# Longe à peccatoribus ſalus. Pſalmo. 118.

*Chriſtus re mittit peccata.*

*Salus longe ab impijs.*

*Chriſtus induit carnem, id eſt, factus eſt homo ut annunciaret nobis remißionem peccatorum, ut ad ſe alliceret contritos, pauperes ſpiritu, adflictos corde & peccatores, non uenit ad perdendum animas hominum, ſed ad ſeruandas.* Luc.9. *prædicat igitur pœnitentiam in remiſſionem peccatorum.* Vocat *peccatores ad ſe, id eſt, quos premit conſcientia male ſibi conſcia, & iſtos uult refocillare.* Matth.11. *Sani enim non opus habent medico.* Marc.2. Quòd *uerò* Propheta *inquit, ſalutem longe abeſſe ab impijs, non intelligit pecccatores pœnitẽtes, aut ſe*

ipſos

*ipſos agnoſcētes et miſericordiam implorantes, ſed de reprobis loquitur, qui ſunt impij, increduli, et inquieti animo et conſcientia, qui blaſphemant Deū, nec audiunt uocem eius, uelut ipſe rationē ſubijcit. Longe ab impijs ſalus, quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt. Non quia peccauerunt (nō eſt enim homo ſuper terrā, qui non peccet. 3. Re. 8.) ſed quia uerbū tuum abiecerunt, et iuſtificationes tuas, ſiue ſtatuta, quibus credētes iuſtificas, nō exquiſierunt, nō intelligunt, et nō requirunt Deū, non ſperant in Deo ſalutari ſuo, nō inuocant nomen Dñi. Ideoq; lōge abeſt ab illis ſal9, et hæreditas cœleſtis patriæ. Ipſe enim dixit: Qui me contemnunt, erunt ignobiles. 1. Re. 2.*

## CIX.

Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui. Prouer. 22.

In præceptis patrum ueſtrorum nolite incedere, nec iudicia eorum cuſtodiatis &c. Ezech. 20.

*Qui uolunt ex iſto loco Prouerbiorū Salomonis, humanas traditiones, quas alioqui damnat uniuerſa ſcriptura, confirmare, manifeſte labuntur, et idem ex Propheta Ezechiele erroris conuincuntur. In regno huius mundi audiendi ſunt homines. At in regno ſpirituali ſolus Deus magiſter et doctor eſt. Matth. 23. Nihil docen-*

*Contra humanas traditiones.*

dum in eccleſia Chriſtianorũ, quàm ſolum Dei uerbum. In ciuilibus rebus eſt aliud iudicium, in illis opus eſt legibus & ratione humana. Aliud agit Salomon, nempe ne per auariciæ ſtudium arripias, quæ tui iuris non ſunt, nec ad hæreditatem tuam pertinent, ut ſorte tua contentus, relinquas unicuiq; quod ſuum eſt, ne per tyrannidem transferas priſcos limites, & omnia uelis ad te ui aut iniuria rapere. Eſtq; hæc ſententia è Moſe tranſcripta, ubi ſic legis: non transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in poſſeßione tua, quã Dominus Deus tuus dabit tibi in terra quam acceperis poßidendam. Deu. 19. Propheta autẽ Ezechiel, quia uidit patres Iudæorum dereliquiſſe legem Dei, & in ſtudijs ſuis & gentium abominationibus ambulaſſe, dixit ad filios eorum in ſolitudine: In præceptis patrum ueſtrorum nolite incedere, nec iudicia eorum cuſtodiatis, nec in idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus ueſter, in præceptis meis ambulate, & iudicia mea cuſtodite, et facite ea. Et ſabbata mea ſanctificate, ut ſit ſignũ inter me et uos, & ſciatis, quia ego ſum Dominus Deus ueſter &c, Id eſt, impietatem patrum nolite imitari, ſed potius Dominum Deum ueſtrum audite, & beneficiet uobis.

Limites nõ transferendi.

## CX.

Chariſsimi, non præceptum nouum ſcribo uobis, ſed præceptum uetus quod habuiſtis ab initio, 1. Ioan. 2.

Rurſum

Rurſum præceptum nouum ſcribo uobis. Ibidem.

*Lex de diligendo proximum, nunc nouum, nunc uetus præceptum ab Apoſtolis appellatur. Vetus autem dicitur, quòd iam olim multis retro ſeculis et patribus & prophetis traditum ſit, deinde etiam corde inſcriptũ digito Dei. At nouum propterea dici uidetur, quòd nouis, id eſt renatis ex aqua & ſpiritu, et iuxta nouum hominem uiuentibus ſit datum. Deinde nouum eſt, quia à Chriſto datur, & in corda ſcribitur. Vel nouum dicitur, quia innouatur, & nouo populo, id eſt Chriſtianis repetitur, quod iam Phariſaicis conſtitutionibus antiquatum deciderat. Nam quis fuerit amor proximi in Iudæorum natione, ſatis perſpicuum erit, ſi quis diligentius excutiat quintum caput Matthæi: Simulata erat dilectio, & tantum externa hypocriſis, corde, odio & inuidia, cæde, dolo atq; iniuria madenti: ob id repetit ueterem legem, & nouam uocat: non quòd omnino noua ſit, ſed quòd innouatione haberet opus: ſicut Deuteronomium dicitur ſecunda lex, nõ quòd ſit altera à priore: ſed quia rurſus repetitur filijs Iudæorum, quorum patres in deſerto conciderant.*

*Vetus præceptum.*

*Nouum præceptum*

CXI.

Omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit &c. Matt. 6. Luc. 11.

Clamauerunt, & non erat qui ſalua-

ret, ad Dominum, & non exaudi-
uit eos. Pſal. 17.

*Abundat ſcriptura promiſsionibus diuinis, quibus pe-tentibus pollicentur ſua uota et petitiones exaudiri, ſed ijs tantum, qui corde recto quærunt Dominum, qui non in hypocriſi orāt, et labijs ſtrepūt tantū.* Deus enim om-nipotens diues et uerax eſt, præſtat quod promittit, non fallit, pollicetur autem pœnitentibus et ſperantibus in eū exauditionem, propterea reijcit hypocritas, qui tempore tribulationis ad ipſum confugiunt, non tanquam patrē, ſed uelut horrendū iudicem, et ſuis opellis, utcunq; ſimu-latis placere ſtudent. De quibus Dauid Pſa. 77. Cum oc-ciderit eos, tunc exquirebant eū (aliàs nunquam inuoca-turi) et reuertebantur, et diluculo ueniebant ad eū. Et di-lexerunt eum in ore ſuo, lingua ſua mentiti ſunt ei. Cor autem eorū non erat rectum cum eo, nec fideles fuerunt in teſtamentis eius &c. Non audit impios, quantumuis ſimulent pietatem, et multiplicauerint preces. Solum cor intuetur, nō battologiam. Hie. 5. Domine oculi tui fidem reſpiciunt. Igitur Moſes recte hos locos interpretatur. Deut. 4. Cum quæſieris Dominum Deum tuum, inue-nies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, et tota anima tua, cum tribulatus fueris etc. Fidei oratio penetrat cœ-los. Quicquid ex fide non fit, peccatum eſt. Rom. 14. Ita interpretare ſimiles locos. Et 1. Ioan. 5. Hæc eſt fiducia quam habemus apud Deum: quòd ſi quid petierimus ſecundum uoluntatem eius, audit nos &c.

*Oratio fi-delis exau-ditur.*

*Hypocritæ non audiun-tur.*

Domi-

CXII.

# Dominus ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum, & non eſt alius. Deut. 4.

# Sathan Deus huius ſeculi. 2. Cor. 4.

*Vnus eſt Deus uerus & omnipotens, qui creauit & moderatur uniuerſa, hic eſt Dominus cœli et terræ, omnia ſubiecta ſunt pedibus eius, nihil eſt in cœlo et in terra, cui non potentiſsime dominetur, ipſius eſt regnum, potentia & gloria, ipſe eſt primus & nouiſsimus, & omnia in omnibus. Quòd uero ſunt qui dicũtur Dij, uelut iudices et doctores, non ſunt uere Dij, ſed per denominationem, quemadmodum prima centuria Conciliationum noſtrarum retulimus. Ita Sathan non eſt uere Deus, quia ne tantillum poterit ſine Deo cœli et terræ: ſeruus eſt altiſsimi, et ad nutum ipſius regitur: Dicitur autem Deus huius ſeculi et princeps, nõ quod ſit uerè Deus huius mundi: ſed quia mundus relicto Deo uiuente, ſeruit diabolo, et cupiditatibus ſuis obſequitur, recte dicitur Deus huius ſeculi. Id enim Deus noſter eſt, quod à nobis colitur, cuius uoluntati obtemperamus, et cuius ſtudia ſectamur. Iam quando peccatis ſeruimus, uoluptati operam damus, genio indulgemus, & egregiè curamus uentrem, ipſe uenter Deus noſter eſt. Si auariciæ ſtudemus, et cumulandis opibus inhiamus, Mammon Deus noſter eſt. Vnde et Paulus auariciam uocat idololatriam*

*Deus unus*

*Dij multi.*

*Sathã quomodo Deꝰ huius ſeculi.*

*Deus noſter quid.*

*Mammon Deꝰ noſter*

id eſt, idolorum et alienorum Deorum cultum. Col. 3. Et auarum ſimulachrorũ cultorem. Eph. 5. Ita Sathan Deus et Princeps dicitur, q̃ ſeruiat ipſi mundus, et ſe mancipauerit ei, dum facit quæ carni et menti libent, conuerſatur in concupiſcentijs carnis, nõ facit legem Dei uiuentis, ſed declinat ad ſua deſideria. Fortis armatus eſt, at Deus noſter multo fortior eſt. Caro ſemper fingit Deos alios quos adorat, non uult uiuentem Deum adorare, niſi mortificetur ſpiritu ſancto, & quos ſibi fingit, non ſunt uere Dij, ſed opera manuum hominũ, aut dæmonia. Sic olim gentes plurimos ſibi cõſtituerunt Deos, Iouem, Mercurium, Saturnum, Martem, Bacchum, Venerem, Iunonem &c. De quibus uide Auguſtinum in libris de ciuitate Dei. Stulta gentilitas non curat Deũ cœli. Et nos ſub Romano Antichriſto alios atq; alios finximus Deos & patronos, ſpreto conditore cœli & terræ, unde ſunt & tot templa magnifice extructa, tot imagines, tot altaria, tot ritus ſacrorum, tam diuerſæ ceremoniæ, ut ad nos æque poßit dicere Propheta Dei, atq; olim ad Iudæos: Secundũ numerum ciuitatum tuarũ erant Dij tui Iuda, et ſecundum numerum uiarum tuarum Hieruſalem, poſuiſti aras confuſionis ad libandum Baalim, Hieremi. 11. Iſtud templum eſt Apoſtolo conſecratum, aliud martyri, hoc uirgini, & arguit ipſa templorum dedicatio & diuerſitas, Deorum multitudinem quos adoramus, & per omnia ſuperſtitioſiores facti ſumus gentibus. Faxit Deus, ut reſipiſcamus, & diligamus, ac metuamus Dominum

Dij carnis.

minum

minum Deum noſtrum ex tote corde. Ipſe enim Deus uiuens et rex ſempiternus. Ab indignatione eius commouebitur terra, et non ſuſtinebunt gentes comminationem eius. Sic ergo dicamus eis: Dij qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ ſub cœlo ſunt. Hierem. 10. Habes nunc cur Chriſtus Sathanam principem huius mundi, & Paulus Deum huius ſeculi uocet, quòd mundus ad uota ipſius uiuat, ipſum colat, adoret & ſeruiat, ſe totum illi dederit regendum. Vnde etiam ipſius regnum dicitur regnum mundi, & regnum tenebrarum, quod lux uera, quæ Chriſtus Ieſus eſt, nõ luceat illic, ſed peccata, errores, tenebræ dominentur: nec reguntur à uerbo Domini, ſed ſuis affectibus. Locum Pauli 2. Cor. 4. Alij aliter interpretantur, non de Sathana, ſed Deo uero, quorum intelligentiam ſubijcio Eccleſiæ iudicio, contentus dixiſſe, quare Sathan Deus et princeps huius ſeculi nominetur. In ſumma: Deus quamuis dominus omnium ſit, quia omnia ab ipſo creata ſunt, et in omnibus ipſe dominetur poteſtate, uirtute natura, horũ tamen præcipuè Dñs, et Deus eſſe dignatur, qui Dominũ ac Deum ſuum uere agnoſcunt, præceptaq; eius fideliter cuſtodierint. Sathã uero horum tantummodo Dominus intelligitur, quos à uero Deo ac parente ſeducens per incredulitatis peccatum, nequiſſime ſuæ ſubiugat ſeruituti, et quibus per iniquitatis ſuæ operam illicito iure dominatur: quum igitur mundo incredulo per peccatũ dominatur, recte Deus et princeps huiꝰ ſeculi appellatur.

*Deus huiꝰ mundi Sathan.*

Domi-

# Dominus in montem Sina deſcendit, & dedit legem. Exo. 19. Accepiſtis legem per diſpoſitionem angelorum. Acto. 7.

*Dominus utitur miniſterio creaturarum.*

*Non eſt obſcurum, Dominum Deum noſtrũ in monte Sina per angelos qui ſunt adminiſtratorij ſpiritus, Moſi legem tribuiſſe, & tamen ipſe dicitur tradidiſſe per* συνεκδοχὺμ, *id quod frequentiſſimum eſt in ſcripturis ſacris. Locutus eſt Dominus ad populum ſuum. Ieſa. 1. ſcilicet per angelos, aut Moſen, aut Prophetas. Eduxit Dominus filios Iſraël ex Aegypto: per Moſis uidelicet miniſterium. Euertit Dominus caſtra Aegyptiorum. Exo. 14. aut per angelos, aut per aliorum miniſterium. Ioan. 4. Baptizauit Ieſus ſcilicet per Apoſtolos ſuos, remiſit peccata per miniſterium ſuorum Apoſtolorum, conuertit ad ſe per inſtrumenta et media, et ſic de alijs. Nos enim miniſtri ſumus Dei, et diſpenſatores myſteriorum eius. 1. Cor. 4. Ipſe operatur in nobis uelle & perficere. Phil. 2. Dei ſumus cooperarij. 1. Cor. 2. Quando prædicamus Chriſtum, non noſtrum opus facimus, ſed Dei, quia ſumus Dei miniſtri, baptiſmus ſuum opus eſt, non noſtrum. Ipſe paſcit corpore & ſanguine, nos miniſtri iuſſa ipſius expedimus, et diſpenſamus myſteria eius, ut intelligas quid uſurpemus nobis in miniſterio Eccleſiæ, nihil*

*Miniſteriũ diaconorũ.*

*hil agimus propria temeritate, niſi quod præcepit Dominus, organa Dei ſunt uniuerſæ creaturæ, ipſe cõditor, artifex & magiſter & gubernator eſt uniuerſorum. Sic legem quidem dedit Dominus ipſe, & locutus eſt Moſi in monte Oreb, ſed per angelos ſuos, ut legis Acto.7. Et Gal.3. Heb.2.*

## CXIIII.

## Ecce ego mitto uos in medio luporum. Matt.10.
## Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. Ioan.14.

*Chriſtus hanc quæ in uerbis apparet, pugnantiam conciliat, dum inquit: In mũdo afflictionem habebitis, in me uero pacem. Ioan.16. Mundus uos perſequetur, & fugabit de una ciuitate in aliam, nunquam ſinet uos ſecuros agere, ſemper inſidiabitur, ſemper ignominia adficiet, et tam ſecuri & quieti eritis in mundo, quàm eſt ſimplex ouicula in medio agmine ferocium luporum, quia non de mundo eſtis, propterea odit uos mundus, & intentabit omne malum, calumniabuntur, flagellabunt & occident, & non erit uobis pax in mundo, ac intus in ſpiritu habebitis pacem, quia in me credidiſtis, & ego ero uobiſcum & conſolabor uos ſpiritu meo. Ioa 14. Alium conſolatorem dabit uobis pater, ut maneat uobiſcum in æternum; ſpiritum ueritatis, quem mundus non poteſt*

*Chriſtianis nõ eſt pax à mundo.*

accipe-

accipere: ita ab una parte ab inferis, à carne, à mundo, ſemper affligemini, ab altera parte à ſuperis, à ſpiritu conſolabimini, & tranquillam habebitis conſcientiam. Iuſtificati enim fide pacem habemus erga Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: Roman. 5. Ipſe eſt pax noſtra. Ephe. 2. Foris à regno tenebrarum mirum in modum affligemini, & feretis ingentes moleſtias, intus confortabit uos dextera Dei, foris pugna, intus gaudium. Et militia eſt uita hominis ſuper terram, inquit uir Dei Hiob. 7. Neceſſe eſt igitur Chriſtianos perpetuo armatos eſſe fide et uerbo Domini, ut fortiter ferant huius mundi turbas. Ait enim Chriſtus: Eritis inuiſi omnibus hominibus propter nomen meum, quia oues meæ eſtis, adorientur uos lupi rapaces, et eritis agni ſimplices in medio luporum. At ego pacem, quæ ſpiritualis et interna eſt uobis relinquo, nihil incommodabit mundus, ego enim uobiſcum ſum, et eruam uos, ne uincamini ab hoſtibus tam infenſiſſimis, tranquillam habebitis conſcientiã, ſcientes hac bona mea uoluntate uobis accidere, non ut pereatis, ſed ſalui fiatis. Per multas enim tribulationes oportet nos in regnum cœlorum ingredi. Act. 14. et non ſunt pares præſentis ſeculi adflictiones gloriæ quæ reuelabitur erga nos. Roma. 8. Cum uidebimus Dominum facie ad faciem. 1. Cor. 13. ſicuti eſt. 1. Ioan. 3.

CXV.

# Date eleemoſynam, & ecce omnia

munda

munda. Lucæ 11.

Et ſi erogauero oēm ſubſtantiā meā in uſum pauperū, charitatem autem non habeam nihil ſum. 1. Cor. 13.

*Chriſtus quoties de operibus loquitur, non diſputat Phariſæorum more, qui tantum in manum reſpiciebant, id eſt externā ſanctitatem et mundiciem, etiam ſi cor im purum minimeq́; ſpiritu Dei ſanctificatū eſſet, ipſe uero non iuxta uiſionem oculorum iudicat. Ieſa. 11. ſed corda et renes ſcrutatur, et in primis cordis puritatem requirit. Ait igitur: Date eleemoſynam de eo quod ſuper eſt & omnia munda ſunt uobis. Diligentibus enim Deum oīa cooperantur in bonum. Rom. 8. Et mundis omnia munda Tit. 1. Si ueram charitatē habueritis Dei ac proximi, nihil eſt immundū uobis. Habent autem ueram charitatē et ſanctimoniam, quicunq; fide iuſtificati ſunt, id eſt, qui omnia iuxta uerbū Domini agunt, et in ſolum Chriſtum intenti ſunt, nihil agunt, quod non ſciant ſumme placere Deo. 1. Tim. 1. Finis præcepti eſt charitas ex puro corde et conſcientia bona, et fide non ſimulata. Nihil gratū eſt Deo, ubi aberit charitas. Matt. 5. Si offers munus tuū ad altare etc. Oſe. 6. miſericordiam uolo et non ſacrificium. Ait igitur Apoſtolus: Si abſit uera charitas, nullius momenti erit eleemoſyna, id eſt, ſi nō ex integra dilectione proximi, diſtribuis facultates tuas, ſed ut uideare, et popularem gloriolā uenaris, nihil facies. At ſi ex fide et cha-*

*Charitas ſanctificat omnia opera.*

*ritate non ficta præſtabis eleemoſynam, non perditurus es mercedem tuam.* Matt. 10. *Quicunq; ad bibendum dederit uni ex puſillis his poculum aquæ frigidæ, tantum nomine diſcipuli,* Amen *dico uobis, non perditurus eſt mercedem ſuam.* Ro. 13. *Conſummatio legis eſt dilectio.* Gal. 5. *Tota lex in uno uerbo completur, nempe hoc: Dilige proximum tuum, ut te ipſum.* Huc *facit etiam quod* Daniel Propheta *ad regem* Babyloniorum *dicebat:* Rex *conſilium meum placeat tibi, & peccata tua iuſtitia redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum, forſitan ignoſcet* Deus *delictis tuis.* Dan. 4. Nec *iubet ſcriptura te in opus tuũ reſpicere, etiam cum feceris omnia quæ præcepta ſunt tibi.* Lu. 17. *ſed in* Dei *promißionem.* Iere. 9. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua &c.*

CXVI.

# Non occides. Exod. 20.
# Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Exod. 21.

**Non occides.** Præceptum *de non occidendo, ad omnes priuatos, qui non ſunt in eminentia cõſtituti, pertinet, nulli licet alterũ interficere aut ſumere ultionẽ, et* Chriſtus *legem de non occidendo interpretatur.* Matt. 5. *quod etiam omnis iniuria ſit ferenda propter* Dñm. Ro. 12. Nec *liceat tibi priuato etiã nocentem occidere, et ulciſci acceptam iniuriã.* Præceptum *enim habes:* Ne *occides.* Sed *inquies: quo pertinent igitur, quæ plurima in lege ſunt, de interimen*

dis

dis ſontibus & publicis latronibus, & ſi qui ſunt ſceleſti homines? ſi ergo nec alius occidere debet eiuſmodi ſicarios, quis ſecurus domi manebit? tamen mandauit Dñs tollendos malos. Sed uide tu, an tibi præceperit, an ad te pertineat iſtud? Abrahamo præceptũ erat de immolando filio, tibi non item. Primum uidendũ tibi eſt diligentiſſime ad quem pertineat præceptum domini de occidendo. Magiſtratui commiſſum eſt ius gladij, ſi magiſtratũ geris, non tuam rem agis, ſed Domini, puniendo nocentes. At ſi non es iudex ordinatus, caue ne gladium arripias. Chriſtꝰ enim te feriet iſta ſentẽtia: Qui acceperit gladiũ, peribit gladio. Matt. 26. Vnde Paulus ait: Omnis poteſtas eſt à Deo, et quiſquis reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſtiterint, ſibiipſis iudicium accipient. Nam principes non terrori ſunt bene agentibus, ſed male. Vis autem non timere poteſtatem? quod bonum eſt facito, & feres laudem ab illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum, quòd ſi feceris id quod malum eſt, time, non enim fruſtra gladium geſtit, nam Dei miniſter eſt, ultor ad iram ei, qui quod malum eſt fecerit etc. Rom. 13. Diis, id eſt iudicibus, præcepit lex ut occidant malos & ſontes, tibi priuato non: Iudex non eſt perſona priuata, ſed Dei miniſter (Gottes ſtathalter) ideoq; Dei loco pleſtit nocentes. Iudicium eſt Domini. Deut. 1. et 2. Par. 19. Hic uideant iudices, ne ſiniſtre iudicẽt, ne muneribus corrupti aut fauore ſiue affinitate moti, aut ſuis affectibus ſeruientes, iniquum pronuncient iudicium. Domini eſt iudicium,

Occidendi præceptum ad quos pertineat.

Ad iudices admonitio.

dicium, non priuatum. Proue.16. Pondus & ſtatera iu-
dicia Domini ſunt. Ciuilis adminiſtratio et magiſtratus
Dei eſt ordinatio, ideoq; punire poſſunt, quicunq; ciuili
et ordinariæ poteſtati reſiſtunt & ſubiacent. Hoc tamen
cauendum eſt poteſtatibus, ne quid ſibi arrogent, quod
ad ciuilem adminiſtrationem non pertineat, uelut eſt in
2.Cor.10. rebus fidei iudicare, iſtud iudiciū ad ſpirituales ſpectat,
Galat.6. qui uerbo Domini præſunt: & hi debent ſpiritualibus
Ephe.6. armis confodere ueritatis hoſtes et Apoſtatas. Magiſtra-
tus ciuiles non niſi in rebus ciuilibus adminiſtrationem
habent, ſunt enim regni mundani iudices et principes, nō
regni cœlorum et conſcientiarum, ſolus Deus cordis &
rerum eſt iudex, ipſe ſolus de fide et incredulitate iudi-
cabit. Ideoq; non licebit principibus in rebus fidei (ubi
non aperta tranſgreßio legum ciuilium, furtum, homici-
dium, ſeditio, latrocinium, fornicatio, peculatus, periu-
rium, proditio, aut alia publica crimina, quæ nō tam di-
uina, quàm ciuili lege prohibita ſunt) quenq̄ condemna-
re, corporum enim ſunt iudices non animorum. Chriſtus
Deus ſibi ſoli mentiū, fidei, et impietatis conſeruabit iu-
dicium. Ideo dixit: Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, &
quæ Dei ſunt, Deo. Mat.22. At dices: Quid igitur Iudæi
fecerunt priuati homines, inuaſerunt gentes Chananeos,
Amorreos &c. et occiderunt? Reſpondeo, ij iuxta uer-
bum Domini egerunt, Deus ſic præceperat ipſis, ideoq;
non poſſunt peccare, qui iuxta Dei mandatum egerunt.
Si tibi idem datum eſt præceptū, audenter fac quod iuſ-

Principes nō iudicent in rebus fidei.

ſus es

ſus es à Domino. At ſi non habes Dei mandatum, caue ne ex aliorum facto tibi mandatum ſtatuas. In ſumma priuato non licet occidere, nec malum malo rependere Rom. 12. Sed ferre iniuriam At Magiſtratibus præcepta eſt ultio, qui non ſunt priuatæ perſonæ, ſed publici miniſtri, ideoq; publicam æquitatem aſſerere æquum eſt. De contumace filio perdendo, lege Deut. 21.

## CXVII.

# Non facies furtum, Deut. 10. Spoliabis Ægyptum, Exod. 3.

Lex iſta Dei de non cõmittendo furto non tantũ tabulis lapideis inſcripta eſt, ſed & mentibus. Hoc enim habet lex naturæ: quod tibi noles fieri, alteri ne facito. Ideoq; non tam diuina, ſed et naturæ lex uetat ne ſurripiamus per furtum aut iniuriam proximo ne tantillum, nolemus enim id nobis fieri. Itaq; præceptum eſt, ne furtum faciamus. Sed quòd te Hebræorum facto excuſare uelis, qui Aegyptum ſpoliarunt, nihil faciet ad chordam. Iſraëlitis præceptum erat iſtud furtum atq; hoc ſolum, tibi non licebit factum aliorum, ſed præceptum Domini ſequi. Si es in choro Iſraëlitarum ex Agypto in terram Chanaan patribus promiſſam properantium, agendum & tibi ſecundum Dei imperium. At quando non ſis ex ipſorum chiliade, quid arripis ipſorum factum: Ipſis præceptum erat, tibi uetitum. Cur ipſos iuſſerit Dominus, nihil ad nos. Iuſtus eſt Dominus, et recta

Non furtũ facies.

Furtũ Iſraëlitarum.

iudicia eius, non debet nobis operum ſuorum rationem reddere, nobis agendum iuxta uerbũ eius, quod ad nos aut uniuerſos ſpectat. Nam ſic præcipit. Deu. 12. Hoc tantum facito, quod præcipio tibi, ne declines ſiue ad dexteram nec ad ſiniſtram. De ſpoliandis fratribus, nihil nobis præceptum eſt, imò legimus uetitum, ideoq; uitandum furtum, et beneficiendum fratribus. Eph. 4. Si quis furabatur non amplius furetur &c. Poſtremò Chriſtiani ſumus liberi à lege Moſaica, ut magis deceat in Chriſtum ſeruatorem noſtrum defigere mentis oculos, quàm in Moſen. Moſes defunctus eſt officio ſuo, ubi ad fines terræ Chanaan deduxerit. Lex quoq; ſuum peregit miniſterium, poſtquam ad Chriſtum direxit. Moſes non iuſtificat nos, ſed Chriſtus, ideoq; nos iuſtificati in Chriſto, quid ad Moſen ſpectamus? Iuſto non eſt lex poſita. 1. Timo. 1. Sed iniuſtis, raptoribus &c. Chriſtiani & qui ſpiritu Dei aguntur, ſuopte non occidunt, furantur, fornicantur, ſed reddunt unicuiq; quod ſuum eſt, & honeſtius uiuunt, quàm uulgus Ethnicorum,

*Libertas Chriſtianorum.*

CXVIII.

## Gratis accepiſtis, gratis date. Matthæi 10.

## Dignus eſt operarius mercede ſua. Lucæ 10.

*Gratis accepiſtis.*

Vult Chriſtus, ne Dei beneficia et ſacramenta, nobis gratuita et beneuolenti miſericordia præſtita, uendamus

aliis

*alijs, ſed potius diſtribuamus omnibus, quãdo ſimus uilici & diſpenſatores myſteriorum Dei: poteſtatem quidem habemus ab illis accepere uictum & amictum, neceſſaria ſcilicet, quibus adnunciamus uerbum Dei, iuxta illud Pauli 1. Cor. 9. Dominus ſic ordinauit, ut qui Euangelium annunciant, de Euangelio uiuant. Et Gal. 6. Communicet qui catechiſatur ſermone, ei qui ſe catechiſat in omnibus bonis. Et 1. Timot. 5. Presbyteri qui bene præſunt, duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in ſermone & doctrina. Dicit enim ſcriptura: Boui trituranti non obligabis os, et dignus eſt operarius mercede ſua. Debent igitur Chriſtiani auditores doctoribus ſuis adminiſtrare neceſſaria, quando illi uigilant pro animabus ſuis. Heb. 13. Et totos dies lectioni ſcripturarum impendunt. Verum caueant, qui diuinitus acceperunt dona Dei, ne pro auro aut argento uendant (uelut apud nos Papiſtici, ſiue Romani mercatores, qui indulgentias & omnia ſacra pluris uendiderunt) hoc enim prohibet hic Dominus, & nemo neſcit quàm male ceſſerit olim ijs, qui uendiderunt Dei dona. Eſau uendidit ius primogeniti pro lentis pulmento. Gene. 25. Et iudicatus eſt inter reprobos. Gehaſi ſeruus Heliſæi lepra percuſſus eſt, quia poſtulauit munera ab Naaman Syro. 4. Reg. 5. Simon Magus uoluit à diſcipulis mercari, ut et ipſe impoſitione manuum daret ſpiritum ſanctum: Sed audit à Petro: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunijs parari &c. Acto. 8. Vnde*

*Prædicatoribus debetur uictus.*

*Venditio ſacrorum male ceßit uenditoribus.*

diſcimus dona Dei, non uendenda precio, ſed gratis exhibenda, quæ gratis accepimus è liberalitate Dei patris per Chriſtum Dominum noſtrum, ipſe citra omne meritum noſtum fecit nos homines ac filios Dei, deinde ſua benignitate benedicit & auget in nobis ſpiritualia & temporalia bona. Iſthæc uniuerſa Dei ſunt bona, non merita noſtra. 1. Corinth. 4. Quid autem habes quod non accepiſti? Ideo pro illis uniuerſis gratos nos exhibeamus, laudemus eum & benedicamus in ſecula: Deinde iiſdem ſeruiamus proximo, quandoquidem ad fratris noſtri utilitatem præſtita ſint nobis tot & tanta munera.

*Donis Dei in utilitatẽ proximi utendum.*

1. Corinth. 12. Non ſunt digni uerbo Dei, qui non liberaliter ſuppeditant neceſſaria miniſtris Eccleſiæ. Et hodie bona pars Germanorum ſuo facto declarat indignos ſe Euangelio, dummodo tam ingrati aut illiberales ſunt in ſanctos Epiſcopos: mallent enim multi ab Epiſcopis, id eſt paſtoribus ſuis, etiam id quantulumcunq; eſt, quod habent, ſurripere, quàm aliud adminiſtrare. Et eò magis uidentur ſibi ευαγγελικοτέρους, dum nemini tribuunt, ſed potius exſpoliant uniuerſos. Quum tamen Dominus Ieſus teſtante Paulo dixerit: Beatius eſſe dare, quàm accipere. Actor. 20. Iſta ingratitudo pariet nobis maximum malum. Chriſtum enim ſpoliamus, dum miniſtros eius priuamus neceſſarijs. Mihi inquit feciſtis, quod uni ex minimis hiſce meis fratribus feciſtis. Matthæi 10. & 25. Chriſtum paſcimus, dum miniſtros ipſius alimus. An hoc puſillum paſcere Chriſtum? Sed uæ nobis,

*Ingrati auditores Euangelij.*

*bis, qui tam large effudimus olim in* Baalitas *& miniſtros* Sathanæ, *ut illi omnium rerum copia abundarent.* Et *quid quæſo defuit famulitio & ſacerdotibus* Baal? Vide *ſaltem magnificas baſilicas, ædes & ſumptuoſa* Monaſteria *extruxerint, quas non opes ad ſe rapuerint? quis nam non fuit liberaliſsimus in illos?* Hodie *uero cum dandum eſſet egentibus, omnia marſupia ſunt ære uacua.* Et *fingimus nos libenter audire* Euangelicos *buccinatores:* Verum *quando dandum eſt illis, omnes retrahunt manus, uniuerſi produnt hypocriſim & ingratitudinem, quam alunt intus in pectore.* Omnes *quidem obtrudimus iſtud uerbum:* Gratis *accepiſtis, gratis date, quaſi uenderentur nobis dona* Dei. *Aut dicimus miniſtris uerbi, ut laborent manibus, ne ſint alijs oneri.* Hic *rurſum prodit ſe iniquitas.* An *uerbi miniſterium otium eſt, et non potius labor perpetuus? debebant illi auari & ingrati homines etiam expendere quæ ſupra retulimus, catechumenum debere communicare in omnibus bonis catechiſtæ, quòd dignus ſit operarius mercede ſua.* An *eſt uenditio aut precium quando pro iugibus & indefeſsis ſudoribus recipimus alimenta?* Vnde *igitur uiuendum nobis?* Num *lac è digitulis noſtris ſugendum?* Certe *dignus eſt operarius mercede ſua.* Quis *uerorum* Eccleſiaſtarum *unquam uendidit* Dona Dei? *de hypocritis et lupis ſub ouilla ſpecie, nemo non uidit quantam mercaturam exercuerint, omnia habuerũt uenalia, cœlum et terram, deinde quo-*

*gno Antichriſti, ſed quis dicit illos fuiſſe ueros Apoſto-los? Radix omnium malorum auaritia.*

CXIX.

# Eos qui peccāt, coram omnibus argue. 1. Tim. 5.

# Argue eum inter te & ipſum ſolum. Matth. 18.

*Quidam ſic conciliant iſtas duas ſententias Chriſti & Pauli, ut hi qui publice deliquerint, quorum flagitia ſunt manifeſta ac ſcandaloſa, publice quoq; arguantur. At qui in occulto, eos priuatim corripiendos, quando Chriſtus dicat: Si peccauerit frater tuus in te, uade & argue eum inter te & ipſum ſolum, non excludens manifeſtam correptionem, ſi publicum fuerit crimen, quaſi diceret: Priuatus priuatim argues fratrem, ubi in te ſolum peccauerit: non manifeſtabis paßim, ſed teges. Charitas enim operit multitudinem peccatorum. At ubi publice deliquit, publice corripiendus eſt. Mihi uidetur Paulus dicere de Epiſcoporū correptione, quomodo illi ſint arguendi poſtquam peccauerint. Primum enim uult Apoſtolus Epiſcopum eſſe irrepræbenſibilem, et bonum habere teſtimonium ab extraneis. 1. Tim. 3. Deinde quando illi qui præſunt alijs, facile demerentur aliorum odium, etiam optimi quiq;, ut pote in quo omnes habeāt defixos oculos, iubet ne aduerſus presbyterum accuſationem admittat, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Conuictos uero pec-*

Arguendi peccantes.

Epiſcopi quoq; corripiendi.

ro peccati duorum aut trium teſtimonio, coram omnibus arguendos, ut cæteri timorem habeāt, ne ſumant ex aliorum delicto peccandi licentiam aut exemplar. Hoc Apoſtoli præceptum egregie à ſe excuſsit Romanus Antiſtes, et noluit impius impoſtor à quoquam argui, quantumuis flagitioſiſsime uiueret, etiam ſi ipſius uita nihil aliud eſſet, quàm ſentina et lerna omnium malorum: & ſi innumerabiles populos cateruatim ſecum ducat primo mancipio gehennæ, cum ipſo plagis multis in æternum uapulaturus, tamen à nullo mortalium redargui uoluit. Lege ipſius libros diſtin. 40. cap. Si Papa. Et coacti ſumus potius adorare ipſius deplorandā conuerſationem, & uitam flagitioſiſsimam, quàm emendare. Lege ipſius libros, & uidebis quid dixerim. Chriſtus itaq; loquitur de peccato fratrum quos corripi iubet, ſi non fuerit in propatulo peccatum, inter te & ipſum ſolum. Paulus uero dicit de Epiſcoporum flagitijs, qui ubi conuicti ſunt duorum aut trium teſtimonio, publice coram omnibus arguendos præcipit, ut cæteri Symmiſtæ timorem habeant, & uiuant inculpati. Papa non uult à quoquā argui.

## CXX.

## Quodcunq; uoueris redde. Eccle. 5. Diſplicet ei infidelis & ſtulta promiſsio. Eccle. 5.

De uotis multa ſcripſit ſolidiſsime S. ille Dei Confeſſor Mar. Luth. nec eſt opus nos multa ſuper hac re re-

petere, conſulat eius libros, qui plura cupit, præſertim eos quos ſcripſit de uotis Eccleſiaſticis. Hæc paucis dico, uota ad legis populum pertinere. Chriſtiani enim, qui ſpiritum Domini habent, liberi ſunt ab illis uotis legalibus. Galat, 5. & 2. Corinth. 3. Vbi ſpiritus Domini ibi libertas. Adde quòd ſcriptura loquitur de uotis Dei, id eſt, de illis quæ requirit Deus, quæ uerbo ſuo exigit, non de illis quæ ſtulta caro & ratio humana ſibi fingit & elegit. Diſplicet enim Deo infidelis & ſtulta promiſsio. Sunt autem infideles promiſsiones & ſtulta uota, quæ non fiunt ex fide iuxta uerbum & conſilium Domini Dei noſtri. Iſta noſtra delyra uota, quibus impoſsibilia uouimus, caſtitatem ſcilicet, & reliqua id genus inutilia, non ſunt Domini præcepta, ſed infidelia, ſtulta, uana, temeraria. Ideoq; licebit nobis per Dominum ea irritare: Iam enim quia ſpiritum Domini accepimus, liberi ſumus à lege & uotis iſtis futilibus, et per inſomnium excogitatis, et infregit eadem Romanus pontifex, multisq; productis exemplis docuit negligenda. Lege in Decre. 22. quæſtio. 4. poſt multas patrum ſententias, & iſtum epilogum: In malis promiſsis reſcinde fidem. In turpi uoto muta decretum: quod incaute uouiſti ne facias. Impia eſt promiſsio, quæ ſcelere adimpletur. Quid inſuper in nouo teſtamento uouemus multa, quum hoc unicum uotum in bapiiſmo factum nunquam præſtiterimus? Redde hoc uotum altiſsimo, et ſatis uotorum præſtitiſti: ſi hoc non reddideris, ſtultæ ſunt aliæ extraneæ

Vota ad legis populũ pertinent.

Stulta uota quæ ſint.

Vota temeraria licet irritare.

Votũ baptiſmi negligimus, et alia ſtulta uouemus.

*tráneæ promißiones, quas* Deus *non reſpicit.* V*ouiſti au*
*tem* Deo *obedientiam, hanc redde.* V*ouiſti et renunciaſti*
*Sathanæ, hoc præſta, et fac fructus qui deceant pœniten-*
*tiam, his ſuperq́; uouiſti: quid uotũ uoto ſuper addis, et*
*maiorem tibi accerſis damnationem? adde, quòd uota fue-*
*runt temporaria, non perpetua, uelut nos ſtulti ſtulte ho-*
*die uouemus perpetuum cœlibatum, deinde fuerunt de-*
*n[illegible] et ſacri cultus, nõ obligationes perpetuæ.* V*ouẽt*
*noſtri pontifices, monachi et nonnæ caſtitatem, ſed quãdo*
*eam præſtant?* N*emo eſt libidinoſior hoc genere morta-*
*lium, nemo procatior.* C*ur quæſo non ſeruant quod uo-*
*uerunt impuriſsimi ſcortatores?* E*t quare damnant nos,*
*qui honeſta coniugia contrahimus?* V*ouerunt paupertate*
*tem, ſed quis ditior et auarior noſtris rapaciſsimis mona-*
*chis?* V*ouerunt obedientiam, ſed non eſt ſub cœlo popu-*
*lus magis rebellis, præfractus et ſeditioſior.* R*eddendum*
*eſt* Deo, *quod uotum eſt ipſi.* N*ihil autem uouetur* Deo,
*niſi quod ille præcepit nobis: nam nihil ipſi placet, quàm*
Ieſus Chriſtus *filius ſuus dilectus, qui eſt ſapiẽtia et uer*
*bum* Dei. S*i igitur ſecundũ uerbum ipſius egeris, facies*
Domino *beneplacitum:* A*t ſi iuxta conſilium tuum citra*
*uerbum* Domini *uoueris, ſtultus es et ſtulta promißio*
*tua, quæ diſplicebit altißimo.* H*abes rationem uotorum.*

*Vota fuerunt temporaria.*

CXXI.

Non dico quòd ego rogaturus ſum
patrem pro uobis. Ioan. 16.

Ipſe

# Ipſe intercedit pro nobis. Rom. 8.

*Chriſtus ſemper intercedit pro nobis.*

*Ieſus Chriſtus Dei filius et homo factus, ſacerdos & pontifex in æternum ſecundum ordinem* Melchiſedech, *ſicut iurauit illi* Dominus. *Pſal.* 109. *Ideoq́; ſemper intercedit pro nobis apud patrem, aduocatus noſter eſt.* 1. *Ioan.* 2. Et *mediator.* 1. Tim. 2. *Propiciatorium.* Ro. 3. *Thronus gratiæ* Heb. 4. *Semper agit cauſas noſtras, ſemper conciliat nos patri:* Nam *propterea factus eſt pontifex noſter.* Heb. 5. Pater *ſolum filium diligit, nemo eſt dilectus patri, quàm* Ieſus Chriſtus. Nemo *aſcẽdit in cœlum, niſi ſolus* Chriſtus. Ideoq́; *nemo uenit ad patrem, niſi per ſolum* Ieſum Chriſtum, *qui eſt uia & oſtium, & ueritas & uita, lux & reſurrectio.* Et *ſi ille* Ieſus Chriſtus *deſierit intercedere pro nobis, actum eſt de ſalute noſtra: uerum quia eſt æternus pontifex, ideoq́; perpetuo interpellat pro nobis patrem,* Ieſus Chriſtus *heri & hodie, & in ſecula* Hebr. 13. *Ipſe eſt* A & Ω, *nunquam deſinit pro nobis orare.* Quod *uero* Chriſtus *inquit* Apoſtolis: Ego *non rogaturus ſum patrem pro uobis, cauſam huius ſermonis ipſe mox ſubnectit:* Ipſe *pater amat uos, quia uos me amaſtis, et crediditis quòd à* Deo *exiuerim, id eſt accepto ſpiritu ſancto fratres mei, et unum corpus facti eſtis mecum:* Propterea *pater reſpiciet in uos propter me, id eſt, quia mihi per fidẽ uniti eſtis: quia unum mecum facti eſtis, quia me ſolide amatis et credidiſtis, ꝙ ſim* Dei *filius, chari eſtis* Deo *propter me, nec in*

digetis

*digetis uos Apoſtoli ac reliqui filij Dei interceſſore, pater enim uos amplexus eſt, & adoptauit in filios. Reliqui uero, qui adhuc infirmi aut peccatis obnoxij ſunt, me interceſſore opus habebunt, donec perfecte crediderint & ſpiritu ſancto induti fuerint, ut et ipſi fiant ciues ſanctorum & domeſtici Dei, corpus & membra Christi In ſumma: Pater ſuapte amat uos propter fidem ueſtrã. Ideoq; non deſeret uos, ſed fouebit. Et tamen Christus perpetuo intercedit pro nobis, & eſt mediator noſter, qui reconciliat nos Deo patri. Tolle Chriſtum, & abſtuliſti ſalutem, remiſsionem peccatorum et uitam æternam, & non eſt aditus ad regnum cœlorum.*

*Interceſſore opus habemus.*

## CXXII.

## Pater quid me dereliquiſti? Matthæi 27.

## Non ſum ſolus, quia pater mecum eſt. Ioan. 16.

*Chriſtus aſſumpta carne factus eſt pro nobis peccatum, 2. Cor. 5. & execratio. Gal. 3. aut nouiſsimus uirorum. Ieſa. 53. clamauit ad patrem in ligno: pater quid me dereliquiſti? Diſsimulauit Deum, non exuit Deum, ſed abſcondit, id eſt, finxit ſe quaſi Deus non eſſet, ſiue ut Apoſtolus habet. Phi. 2. ſemetipſum inaniuit forma ſerui ſumpta, habuit ſe uelut nuda caro, miſer hõ. infirmus, fragilis et deſpectus, de quo Deo nihil curæ eſſet, qui non tam à Deo, ſed et uniuerſis creaturis eſſet deſtitutus, et hanc ma*

*Chriſtus diſsimulauit Deitatem.*

nos eriperet à præſenti ſeculo nequam, & faceret filios Dei. Nemo mortalium hunc Chriſtum pendentẽ in ligno putauit uere eſſe Deũ, dixerunt enim: Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce, ut uideamus et credamus. Alios ſeruauit, ſeipſum non poteſt ſeruare. Vah, qui deſtruis templum Dei, et in triduo reædificas illud, mouerunt capita et illuſerunt ei, nec erat è tanto numero qui uere crederet hunc eſſe Deum, quòd in tantum ſe inaniuerit, ut inquit Paulus, ſed tamen non aberat Deus pater ab hoc Chriſto: In omnium oculis erat deploratiſsimus, et quãuis diſsimularet diuinitatem ſuam Chriſtus, ut uinceret mortem, Sathanam, & infernum, tamen paulò poſt rurſus exerit, multoq; potentiſsime aperit ſuam diuinam potentiam, dum à mortuis reſurgit rediuiuus, et ad cœlos aſcendit. Itaq; clamans ad patrem cur derelinqueretur, expreſsit noſtram fragilitatem & naturam, quam in ſe receperat, tentatus per omnia iuxta ſimilitudinem abſq; peccato. Heb. 4. forma ſerui ſumpta, in ſimilitudine hominum conſtitutus, & figura repertus ut homo, humilem ſe præbuit, factus obediens uſq; ad mortẽ, mortem autem crucis. Philip. 2. Et tamen habuit patrem ſibi præſentiſsimum, quanquam oculis carnis non uideretur. Vnde ſupplicio uicinus ait Apoſtolis: ecce inſtat tempus & iam uenit, ut diſpergamini unuſquisq; in ſua, meq; ſolum relinquatis, & tamen non ſum ſolus, quia pater mecum eſt Ioa. 16. Videbor quidem deſtitutus omni humano auxilio, ſed pater omnipotens mecũ eſt in infirmitate

Deus non dereliquit Chriſtum.

*mitate mea. Sicut filij Iſraël uidebantur derelicti ab omnibis creaturis, quando per quadraginta annos, per deſertum uagarentur, & tamen habuerunt Deum indiuiduum comitem. Nota quoq; eſt hiſtoria de Heliſæo. 4. Reg. 6. Quum ab exercitu Syrorum eſſet circundatus, & uideretur de ipſo actum, eo quòd nemo eſſet, qui auxiliaretur ei, dixit ad ſeruum ſuum: Plures nobiſcum ſunt quàm cum illis. Simile legimus de Ezechia rege Iuda. 2. Paral. 32. Immittet enim angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. Pſal. 23. Et angelis ſuis mandauit de te, ut cuſtodiant te in omnibus uijs tuis. Pſa. 90. Videntur ſancti derelicti, uerum non derelinquet Dominus omnes qui ſperant in eo, ſed eſt cum ipſis in omnibus tribulationibus ſuis. Ieſai. 43. Cum tranſieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, et flamma non inflammabit te, quia ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſraël, ſaluator tuus etc. Vnde etiam Dauid cecinit: Non uidi iuſtum derelictum etc. Pſal. 36, derelictus eſt quidem iudicio carnis, at non iudicio ſpiritus. Nouit enim pium cor, Deum ubiq; eſſe præſentiſſimum, et nunquàm magis eſſe præſentem, quàm quũ minus putatur adeſſe. Ideoq; poſterior locus priorem interpretatur.*

*Sancti non deſtituũtur à Deo patre.*

## CXXIII.

# Non poteſt mundus odiſſe uos, Ioannis 7.

Quia

Quia de mundo non eſtis, ſed ego ſelegi uos de mundo, propterea odit uos mundus, Ioan, 15.

*Si uoles hos geminos locos recte intelligere, et pugnantiam quæ uidetur ſubeſſe, tollere, conſiderabis in primis quibus loquatur* Dominus Ieſus, *id quod non tam hoc loco, ſed in uniuerſa ſcriptura obſeruandum moneo, excußis diligentißime quæ præcedunt et ſequũtur, exactiſſime collatis locis, ac circumſtantijs, fefellit enim multos ſcriptura obiter tantum, citra iudicium et locorum collationem lecta, ubi omnes circumſtantiæ non fuerunt probe examinatæ, quando è media locutione unum tantummodo locum arripueris, et pro tuo captu huc atq; illuc torqueas, neglecto toto cõtextu, qui longe aliud loquitur quàm tu intellexeris.* Non *tantũ expendendum eſt, quod dictum aut ſcriptum ſit, ſed quis, quando, quibus, et ubi loquatur, ſi iſtud tanquam leuiculum contempſeris, perdes totum ſenſum, & nunquam cum fructu quidquam leges.* Itaq; *Chriſtus* Ioannis 7. Non *loquitur* Apoſtolis *ſuis uelut* Ioan. 15. *ſed fratribus, id eſt cognatis carnalibus, qui nõ credebant in eum, ut inquit* Euangeliſta, *ſed aliud quærebant in* Chriſto *quàm iuſtitiam & ſanctificationem.* Cum *enim tabernaculorum feſtum, quod* Iudæi *celebriter ſummaq; religione obſeruabant, fuiſſet in propinquo, &* Ieſus *uerſaretur in* Galilæa, *dixerunt* Chriſto *fratres, agnati, aut* Galilæi: Tranſi *hinc.*

*Collatio ſcripturarũ neceſſaria.*

*& ua-*

*& uade in Iudæam, ut diſcipuli tui, qui mordicus tuæ doctrinæ adhærent, uideant opera tua quæ facis nõ ſine miraculo. Nemo quippe in occulto facit aliquid, & quærit ipſe palàm eſſe. Si hoc facis, declara teipſum mundo. Reſpondit illis Ieſus: Tempus meũ nondum adeſt, tempus autem ueſtrũ ſemper eſt paratum. Non poteſt mundus odiſſe uos, me autem odit, quia ego fero teſtimoniũ de illo, quòd opera eius mala ſint, id eſt, uos quia carnales eſtis, et nondum renati ex aqua et ſpiritu, nihil curatis regnum Dei ſpirituale, nec reprehendetis mundi iuſtitiam, ſed uiuitis carnaliter et ſecundum mundum, propterea rurſus amplectitur uos mundus, et diligit nõ uulgariter. Simile autem gaudet ſimili, uelut dixit Eccleſiaſticus cap. 31. Omne animal diligit ſimile ſibi: ſic & omnis homo proximũ ſibi: Omnis caro ad ſimilem ſibi coniungetur: et omnis homo ſimili ſibi ſociabitur. Idem aliquando Cicero dicere ſolebat: Pares cum paribus facillime coniunguntur. Vos igitur cum mundani & reprobi ſitis, et mundum ſapiatis, à mundo rurſus amamini: applauditis mundo, terrena ſapitis et loquimini adulatores, philauti & glorioſi thraſones, humani nihil à uobis alienum, redamamini à ſapientibus, potentibus et filijs huius ſeculi. Ego uero, qui non ſum de hoc mundo, & qui arguo opera mundi mala, & contemno ipſius iuſtitiam & ſapientiam, aliam nimirum prædicans ſanctificationem: male audio apud mundi huius alumnos, ſapientes & iuſticiarios, qui confidunt in ſemetipſos,*

*Mundus quod ſuum eſt amat.*

R propte-

propterea etiam me perſequitur mundus ad mortem uſq; nouercali odio, & non tam me ſolum, ſed et omnes coniuratos meos, nomen meum publicè profitentes. At Ioan.15. Cum ſuis diſcipulis loquitur, non de falſis fratribus. In cœna autem nouiſsima totum hunc ſermonem fecit à decimo tertio capite uſq; ad decimum octauum. Ait igitur: Si mundus uos odit, id eſt, ſapientes & iuſti huius ſeculi, terrena ſapientes, et nondũ aſcripti in regnum cœlorum, ſcitis quòd me prius quàm uos odio habuerit: Si de mundo fuiſſetis, mũdus quod ſuum eſt diligeret. Quia uero de mundo non eſtis, ſed ego ſelegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Mementote ſermonis mei, quoniam ego dixi uobis: Non eſt ſeruus maior Domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, et uos perſequentur. Quæ uerba omnia ad electos & ueros ſuos Apoſtolos præfatus prædixit illis euentura mala, ne improuiſis periculis obruti, deficerent à Domino Deo ſuo. Quaſi diceret, uos diſcipuli mei, qui nomen meum et profeſsionem meam coram mundo infideli prædicabitis, repulſam patiemini, & omnigenas adflictiones tolerabitis, aliud enim per me facti eſtis quàm olim eratis, caro & ſanguis, filij tenebrarum et iræ, nũc autem lux in Domino, condemnabitis omnes iuſtitias carnis, propterea odio habebit uos mundus, nõ poteſt enim pati ſuas iuſtitias condemnari, ideo ſæuiet hoſtiliter, et graſſabitur in uos uelut nocentiſsimas peſtes, ſed uos erecti in me confiditec Ego enim uici mundum.

Cogitas

## CXXIIII.

Cogitationes meæ cogitationes pacis. Hier. 29. (Ibid.
Ego mittam in eos famem & peſtẽ.

*Ieſaias propheta ca 28. duo aſcribit* Deo *opera, proprium et alienum.* Proprium Dei *opus eſt miſereri, indulgere, remittere, ſaluare, conſolari. Vnde ubiq; prædicatur miſericors, longanimis, patiens, uerax, iuſtus, clemens et benignus.* Alienum *uero opus uocat, iraſci, adfligere, punire, quoties peccatis impiorum irritatur ad uindictam. Suum opus eſt, ut patrem agat: alienum, ut iudicet. Ipſe per ſe ſemper pronus eſt ad miſericordiam & benefaciendum.* Et *cogitationes ipſius cogitationes pacis: noſtra mala prouocãt ipſius iram. Quoties igitur iuſto iudicio animaduertit in tranſgreſſores, dicitur in ſcripturis iraſci, cogitare mala, pœnitere & dolere, qui affectus* Dei Græcis ἀνθρωπόπαθος *appellatur. Ipſe per ſe ſemper idem eſt, & non mutatur. Scriptura tamen quia nobis loquitur, nobis quoq; ſe accommodat, &* Deo *noſtro adfectus tribuit: quum tamen* Deus *non ſit uelut homo, qui mutetur aut pœnitentiam agat. 1. Regum 15. ſed hoc propterea fit, ut doceamur, redarguamur, corrigamur & inſtituamur:* Ad *hoc enim utilis eſt ſacra ſcriptura, teſte* A*poſtolo. 2. Tim. 3. Vnde etiam propheta ipſe ſubijcit rationem, cur* Dñs *adfligat populum: Quia, inquit, peſſimi ſunt, & uerba mea non audierunt,*

Opera Dei ſunt duo.

Deus non mutatur.

Deus quare bene faciat aut puniat.

Hie.16.et 29. Lege benedictiones et maledictiones in Moſe, Deu.28. Benefacit Dñs propter miſericordiam ſuam, punit, quia iuſtus, iraſcitur, ut rurſus opus ſuũ operetur, et in ira recordatur miſericordiæ ſuæ Aba 3. ideoq; ſemper eſt patiens, miſerator, clemẽs, et multæ miſerationis, ac uerax, cuſtodiens miſericordiam in milia etc. Exo.34. Affligit ut ad pœnitentiã prouocet 1. Co.11. dum iudicamur, à Dño corripimur, ut nõ cũ hoc mũdo damnemur.

## CXXV.

## Per nomẽ illius (Dei) iurabis. Deu.6. Ego dico uobis, ne iuretis omnino. Matt. 5.

De iuramentis ita accipe. Non licere homini pio iurare in cauſa priuata, propria libidine aut leuitate, & ſine iuſta cauſa: at ſi ipſa neceſsitas exegerit iuſiurandum, ut uolens confirmare ueritatem, nec poßis alia ratione, niſi iureiurando interponis iuramentum, te non falſa pronunciare, non peccas. Licebit etiam ſi magiſtratus extorſerit ueritatem iureiurando teſtari. Velut gladium arripere nulli priuato licet: at iudicibus commiſſum eſt ius gladij, & ij iniußi aut propria temeritate non accipiunt gladium, ſed Dei præcepto, deniq; non ſuam agunt cauſam, ſed Dei. Ita in iuramentis, ſi tua res non agitur, ſed ſtabiliendæ ueritatis gratia: aut in cauſa proximi urgeris à magiſtratibus, licebit tibi iurare ſine peccato, quando non maligno pectore iuras. Ita Chriſtum, Paulum, et

Iuramentorum ratio.

Heb.6.

Apo-

*Apoſtolos aliquoties iuraſſe legimus. Iubet igitur Moſes iurare per nomen Domini, ne ulli rei tribuamus honorem ueritatis, niſi nomini Domini: non iubet leuiter & uane iurare quacunq; ex cauſa, ſed per nomen Domini, id eſt, ſi omnino iurandũ tibi eſt urgente magiſtratu aut neceſſitate, confirmandæ ueritatis gratia, per nomẽ Dei iurabis. Deus enim ueritas eſt. Iurant per nomen Dñi, qui ueritatem ſimpliciter & citra dolum teſtantur, qui non ſua quærunt, non fallere ſtudent, ſed ueritatem pronunciant: & iſta iuramenta non prohibet Chriſtus, nec illa quæ magiſtratus à nobis exigit: Pondus enim et ſtatera iudicia Domini ſunt. Prou.17. Et poteſtates Dei miniſtri ſunt. Ro.13. Hoc tantum prohibet, ne nomen Domini in uanum uſurpemus, ne noſtram gloriam quæramus, ne mendacium pronunciemus, & fraudem inferamus, nec circumueniendi ſtudio deieremus.* *Iurandum per nomen Dei.*

CXXVI.

## Precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. 1. Cor. 7.

## Serui obedite ijs, qui Domini ſunt iuxta carnem &c. Ephe. 6.

*Duplex ſeruitus eſt, ſpiritualis et carnalis. De ſpirituali ſeruitute loquitur Apoſtolus. 1. Corint. 7. quum inquit: Nolite fieri ſerui hominũ, id eſt precioſo ſanguine Chriſti Ieſu redempti eſtis, à uana ueſtra conuerſatione, à captiuitate Sathanica, à regno tenebrarum, & ſer-* *Seruitus duplex.*

uitute peccatorum, et ſerui Dei facti eſtis. Illi conſcientia ueſtra obſtricta eſt: Ideoq́; nō patiamini ullam creaturam cum periculo conſcientiæ ueſtræ uobis dominari. Vos enim Chriſtiani per ſpiritum Chriſti, qui in uobis eſt, Domini eſtis omnium creaturarum: libera eſt ueſtra conſcientia ab uniuerſis creaturis, ſoli Deo ſubdita, cui ſoli ſeruitute eſt obnoxia. Nemo regnet in conſcientijs ueſtris, niſi ſolus Deus. Nullius doctrinam receperitis, niſi eius, qui uos à captiuitate Diaboli redemit: hunc audite. Nemo uobis faciat peccata, nemo captiuam ducat ueſtram conſcientiam, quæ libera eſt à Moſaica lege & uniuerſa ſeruitute. In libertate igitur, qua Chriſtus uos liberauit, ſtate, et ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini, Gal. 5. Nemo dominetur fidei ueſtræ, niſi ſolus Deus. Nolite fieri hominum ſerui, qui prius conſecrati eſtis Dño, et magno precio per ipſum redempti. Nō poteritis duobus Dominis ſeruire. Mat. 6. Dominum Deum tuum timebis, et illi ſoli ſeruies. Deut. 6. et Col. 3. Domino Chriſto ſeruite. Quin potius ſi tyranni huius ſeculi conſcientiæ ueſtræ laqueum iniecerint, et ſpiritui ueſtro imperare præſumpſerint, excutite iugum, ne obedieritis. Deo enim magis oportet obedire quàm hominibus. Vnde Dauid: Dirumpamus uincula eorum, et proijciamus à nobis iugum eorum. Habitans in cœlis ridebit, & Dominus ſubſannabit eos. Pſalm. 2. Alia eſt ſeruitus carnalis, qua ſerui obediunt per omnia his, qui Domini ſunt ſecundum carnem: cuius mentionē crebro facit Apoſtolus Paulus.

Chriſtiani ſunt ſpiritualiter liberi.

Cōſcientia ſit nemini obnoxia q̄ Deo.

Seruitꝰ carnalis nō obeſt pietati.

Ephe-

Ephe.6.Co.2.et 1.Tim.63. quæ pietati non obſtat: quando Dominus haud raro iſtam obedientiam præceperit. Sed cauendum tibi, ne ex ſpirituali carnalem, aut ex carnali ſpiritualem facias, et teipſum totum confundas. Non enim iubet Paulus, ne ulli ſeruiamus homini externe & iuxta carnem, ſed tantum cauet, ne cõſcientia ulli rei obſtricta ſit, quàm ſoli Deo uiuo et uero. Vult dicere: Nemo in conſcientijs ueſtris, niſi ſolum Dei uerbum regnet: Illi obſequimini, illud gubernet uos. Quantum uero ad corpus attinet, in ſeruitutem redigendum eſt, ne laxis habenis laſciuiat pro ſua libidine. Ro.13. Omnis anima poteſtatibus præcellentibus ſit ſubdita.

CXXVII.

## Ego teſtimonium ab homine non accipio. Ioan.5.

## Vos teſtimonium perhibetis de me, Ioan.15.

Chriſtus Ieſus quum ſit ſumma bonitas & ueritas, per quem creata ſunt omnia, quæ in cœlis ſunt & quæ in terra, uiſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue Dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates. Col.1. Moderaturq; omnia uerbo potentiæ ſuæ. Heb.1. Non opus habet pro ſe ullo humano teſtimonio. Nam quid poteſt homo mortalis immortali et æterno Deo authoritatis adijcere? Vol[uit] igitur dicere, Ego planè non egeo ullius hominis teſtimonio, nihil maieſtatis aut diuinitatis accidit

Chriſtus nõ indiget teſtimonio hominum.

mihi ex hominis teſtimonio. Teſtibus tamen opus eſt, quia uix poteſt conſcientijs perſuaderi iuſtitia fidei, quæ noua et contra legem prædicatio erat. Et quia caro alias formas Chriſti concipit. Patiar quidem homines teſtari de me, ſed non propter me, imò magis propter uos, ut aliorum teſtimonio moti, credatis in me, & ſalui fiatis. Nuncij mei teſtantur quidem de me, ſed ueſtri cauſa, ut pœnitentiam agatis & ſaluemini. Teſtimonium itaq; hominum de me nihil confert aut prodeſt mihi: ueſtræ autem fidei conducet mirum in modum. Omnia quæ ago, uel per meos miniſtros, uel per me ipſum, in ueſtrum commodum cedent: ſi receperitis teſtimonium de me, ſalui eritis: Ioannes teſtatur de me, ut omnes crederent per ipſum Ioan. 1. & 5. Et uos, inquit Chriſtus Apoſtolis ſuis, eritis mihi teſtes, non ſolum Hieroſolymis, uerum etiam in uniuerſa Iudæa, Samariaq́; : Deniq; uſq; ad extrema terræ. Acto. 1. Et quid ſunt ſancti in uniuerſum, quàm teſtes Ieſu Chriſti? uelut ſatis ex iſto ſermone Petri, quē Cæſareæ in domo Cornelij fecerat, patet. Nos teſtes, inquit, ſumus omnium quæ fecit Ieſus in regione Iudæorum et Hieroſolymis, quem occiderunt ſuſpenſum in ligno. Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, et exhibuit eum ut manifeſtus fieret, nō toti populo, ſed teſtibus prius ad hoc delectis à Deo, nimirum nobis, qui comedimus et bibimus, unà cum illo, poſteaquàm reſurrexit à mortuis et præcepit nobis, ut prædicaremus populo ac teſtificaremur, quod ipſe ſit ille qui conſtitutus erat à Deo, iudex

Ioānes teſtatur de Chriſto propter nos.

Sancti teſtes Dei.

uiuorum

*uiuorum ac mortuorum. Huic omnes prophetæ teſtimonium ferunt, quòd remiſsionem peccatorum accepturus ſit per nomen eius, quiſquis crediderit in eum. Acto 10. Vbi audis teſtimonium propterea adduci, ut per illud credamus et ſeruemur. Hinc dicti* μάρτυρες, *id eſt teſtes, qui propter nomē eius cæſi ſunt à mundo, et teſtimonium perhibuerūt ueritati. In ſumma: Chriſtus ſui cauſa non opus habuit teſtimonio, ſed homines eguerunt, ut crederēt Chriſto, uicti teſtium multitudine. Potuit Chriſtus ſe prodere mundo miraculis, & efficaci doctrina, prout fecit. Itaq; Ioannis teſtimonium et Apoſtolorum, ſanctorumq; martyrum nobis ſumme eſt neceſſarium, ut tandem credamus & ſalui fiamus. Et Chriſtus præcepit diſcipulis, ut de ipſo teſtarentur, ut mundo perſuaderent, ipſum uere eſſe Dominum cœli & terræ.*

*Teſtimoniū de Chriſto cur producatur.*

*Apoſtolorū de Chriſto teſtimonium nobis ſumme neceſſarium.*

CXXVIII.

## Seruus uocatus es, ne ſit tibi curæ. 1. Corinth. 7.

## Quin etiam ſi potes liber fieri, potius utere. Ibidem.

*Non pauci arbitrati ſunt Apoſtolum hic libertatem carnis perſuadere, quaſi dicat Paulus: Si potes ad libertatem adſpirare, aude, excute ſeruitutē, arripe libertatē, non negligas opportunitatē, quæ ultro oblata eſt. Quòd ſi ita interpreteris, uidebitur Paulus ſibijpſi nō conſtare. Qui iuſſit unumquemq; credentium in ſua uocatione*

permanere: ſeruum in ſeruitute, gentilem in præputio, circumciſum in circumciſione. Etenim qui in Dño uocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini. Similiter et qui liber uocatus fuit, ſeruus eſt Chriſti. Nec uult Ethnicum hominem circumcidi, propter Chriſtianam profeßionem et iuſtitiam Dei: nec rurſus Iudæum accerſere præputium. Quando neutrum faciat ad fidei iuſtificationem. Nam in Chriſto Ieſu neq; circumciſio quicquam ualet, neq; præputium, ſed fides per dilectionem operans. Galatas 5. Et Paulus nuſquam non ſeruos monet, ut Dominis ſuis carnalibus obtemperent, & omni honore dignos ducant, ne nomen Dei & doctrina male audiat. Qui uero fideles habent Dominos, ne contemnant, quòd fratres ſint, ſed magis inſeruiãt, quòd fideles ſunt & dilecti, qui beneficentiæ participes ſunt. 1. Timoth. 6. Non iubet excutere iugum ſeruitutis, imò magis adhortatur ad ſeruitutem, etiam ſi per optimam occaſionem liceat abrumpere ſeruitutis uincula. Et ait: Si potes liber fieri, potius utere ſeruitute, & ſubiuga te magis, ut in uocatione tua, qua uocatus es ſeruus ſcilicet, permaneas. Nihil agit hoc loco de amplectenda libertate, id quod ex toto contextu patebit, ſi omnes circumſtantiæ diligentius expendantur. Sed age audiamus Theophilacti Vulgarienſis Epiſcopi interpretationem, ne primi ſenſum hunc uſurpaſſe uideamur. Is ſic in hunc locum ad notauit. In uocatione qua uocatus, hoc eſt, quocunq; in uitæ genere, uel ordine, uel conditione, Chriſti fidem ſuſce-

*In ſua uocatione manendum.*

ſuſceperit quiſpiam, in hoc perſeueret. Vocationem autem uocat inductionem ad fidem. Seruus cum eſſes, uocatus es, nihil ſis uelim ob ſeruitutē hāc anxius, neq; ob id obturberis. Non enim quæ à Deo eſt, obſutura eſt ſeruitus. Quin potius, ſi potes liber fieri, utere magis, hoc eſt, acrius ſeruitutem exerce, in uſum aliquem et utilitatem conferto. Hactenus Theophilactus, ſeu Athanaſius, quicunq; tandem autor fuit iſtarū enarrationū. Subſcribit Theophilacto Nicolaus Lyranus, non ubiq; contemnendus ſacrarum literarum interpres. Seruus uocatus es ſcilicet ad fidem, non ſit tibi curæ, id eſt non feras hanc conditionem moleſte: nam in illa potes Chriſti ſeruire. Sed & ſi potes liber fieri ex gratia Domini tui, uel alia uia de facili, magis utere, ſcilicet ſeruitute, quàm ante ſeruiendo Chriſto in membris ſuis, exemplo Chriſti, qui ſicut miniſter erat cū diſcipulis. Hæc ille. Chriſtus reuera non uenit, ut ſibi miniſtraretur, ſed ut ipſe miniſtraret, Mat. 20. Vnde etiam Paulus ait Philippenſibus: Per humilitatem animi alium quiſq; ſe præſtantiorem exiſtimet (ecce ad ſeruitutem adhortatio) ne ſua quiſq; ſpectetis, ſed unuſquiſq; quæ ſunt aliorum. Is enim affectus ſit in uobis, qui fuit et in Chriſto Ieſu: qui cum eſſet in forma Dei, nō rapinā arbitratus eſt, ut eſſet æqualis Deo, ſed ſemetipſum inaniuit, forma ſerui ſumpta, et in ſimilitudine hominum conſtitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, mortem aūt crucis. Paulus ubiq; ſibi ſimilis

Vocatio quid.

*Seruitꝰ cor poralis nõ obeſt pie tati.*

*eſt, nuſquàm non ad humilitatem hortatur. Nihil enim obeſt pietati ſeruitus iſta carnalis, modo ſpiritu liber ſis, & ſcias unum te* Dominum *et patrem ſeruatorem habere in cœlis.* Par *eſt ratio coram* Deo *patre, liber ſis, an ſeruus, non enim reſpicit perſonam, ſed cor atq; fidem.* Ad *hanc libertatem potius aſpira, ut ſpiritu ſis liber, redacta carne in ſeruitutẽ, ut conſciẽtiam habeas liberam, pacatam uerbo* Domini, *& nulli creaturæ obſtrictam.* In *uocatione qua uocatus es maneas. Seruus uocatus es, ſeruus maneas.* Et *ſi tibi cõtigerit occaſio non importuna excutiendæ ſeruitutis et obtinendæ libertatis, tamẽ potius ſeruitute utere, et humilia te in omnibus, ſerui magis.* Etenim *qui in* Dño *uocatus es ſeruus, libertus* Domini *es.* Similiter *et qui liber uocatus fuit, ſeruus eſt* Chriſti. Precio *empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum unuſquiſq; in eo, in quo uocatus fuit fratres, maneat apud Deum.* Hæc *uidetur mihi* Paulus *hoc loci agere: nulli tamẽ præſcribo meam ſententiam, quiſq; ſuum habeto iudicium, modo ſyncerum, & ſecundum ſcientiam.*

## CXXIX.

Nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur impius à uia ſua, et uiuat. Ezech. 33.

Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roges. 1. Ioan. 5.

Mors

*Mors pœna et ſtipendium peccati eſt.* Rom. 6. *Omnes morimur, quia omnes legem Dei præuaricati ſumus.* Ro. 5. *et Chriſtus propter peccatum (non ſuum ſed noſtrum, quod in ſe tranſtulit) mortuus eſt.* At Deus *non adficitur, aut delectatur noſtra morte, mallet enim ut pœnitentia acta reſipiſceremus.* Ait *enim: nolo mortem peccatoris, id eſt, non gaudeo ſuper morte impij, ſed hoc uolo, hoc me delectat, hoc mihi gaudium & beneplacitum, ut impius conuertatur ab iniquitate ſua, ad* Dominum Deum *ſuum redeat, et ſaluus fiat.* Sapie. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione uiuorum.* Non *igitur eſt meæ uoluntatis, ſtudij, aut deſiderij, mors peccatoris, magis enim optem uitam ipſius, quàm mortem.* Viuet *autem ſi dereliquerit iniuſtitiam, & fecerit iudicium & iuſtitiam.* Ezech. 18. *Iſtud requiro, hoc uolo hoc opto ab impio, non requiro peccatum, iniquitatem et iniuſtitiam, ſed reſipiſcentiam.* Si *uero omnino uocem meam non audierit, nec reſipuerit, ipſa iniuſtitia ſua cõdemnabit eum, & mortis reum faciet.* Ego *ad reſipiſcentiam inuito, non ad iniquitates.* Libenter *indulgeo & parco peccatis, modo poſthac non peccet,* Ego *enim miſerator et miſericors, patiens & multæ miſerationis.* Ego *deleo iniquitates, et peccatorũ non recordabor amplius.* Iſa. 43. *Porrò peccatum ad mortem eſt illud, quod* Chriſtus *uocat conuitium in ſpiritum ſanctum* Mat 12. Mar. 3. Lu 11. *Manifeſta ſcilicet blaſphemia nominis* Dei, & *contemptus ueritatis: de quo aliâs nõ ſemel, de hoc lege* Heb. 6. & 10.

*Mors pœna peccati.*

*Morte noſtra non delectatur Deus.*

*Peccatũ ad mortem.*

& 10. Illud dicitur peccatum ad mortem, quod non habeat ueniam: nam eſt ipſa impietas ſiue incredulitas. Vbi Chriſtum per infidelitatem amiſiſti, non reliqua eſt pro peccatis hoſtia. Ideo non remittitur in æternum. Sola fides remiſſionem impetrat: abiecta fide, id eſt contempto uerbo Domini, non eſt reditus ad ſalutem, unde excidiſti. Peccatum præterea eſt quod ex fide non fit. Rom. 14. At nihil pugnant iſti duo loci. Nam Deus mallet te non peccare, nulli præcipit impie agere. Eccle. 15. Sed ubiq; ſancta docet. Verum ſi tu patrem ſuauiter allicientem non audieris, te ipſum condemnas, & peccas tuo ingenio. Si ad mortem peccaueris, id eſt ſi aperte cognitam ueritatem Dei blaſphemaueris, et mendacium eſſe, aut doctrinam impiam, ſiue dæmoniacam calumniatus fueris, nolo pro te orare. Ipſe enim reſpuis & explodis ſanam doctrinam, & Deum mendacij arguis, et abominaris ſpiritum ſanctum.

*Remiſſio peccatorū eſt ex fide.*

## CXXX.

## Gentes natura quæ legis ſunt faciunt. Rom. 2.

## Caro legi Dei non eſt ſubdita. Ro. 8.

*Duplex lex, naturalis & ſcripta.*

*Cōſcientia quid ſit.*

Nemo eſt qui neſciat duplicem eſſe legem, naturalem & ſcriptam. Et quam Iudæi habent in libris, gentes habent in cordibus ſcriptam, quæ aliud eſt nihil quàm ipſa conſcientia. Sciunt enim non licere furari, mœchari, occidere, & quod tibi noles fieri, alteri ne facias. Noue-

runt

ſunt Deũ ex creaturis, quæ omnia Iudæi ex libris didicerunt. Paulus aũt non dicit: Gentes natura, hoc eſt, ſuo ingenio aut libero arbitrio, ductu rationis et naturæ facere legem diuinam, quam habent in cordibus ſcriptam: Nemo enim eſt qui faciat bonum, nemo implet legem Non enim dicitur impleri aut fieri lex, niſi cum ſpiritu & mente impletur (ſo es mit gantzem hertzen vnd mit luſt geſchicht) quod non faciunt gentes, etiam ſi ſimulant opera quædam externa. Sed hoc dicit Paulus: nam cum gentes quæ legem non habent, natura quæ legis ſunt, fecerint (ſed quando faciunt) eæ legem non habentes (ſcilicet ſcriptam) ſibiipſis ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, ſimul atteſtante illorum conſcientia, & cogitationibus inter ſe accuſantibus, aut etiã excuſantibus, in eo die cum iudicabit Dominus occulta hominum, iuxta Euangelium meum per Ieſum Chriſtum. Roman. 2 Id eſt, utriq; habent legem, alij naturalem, alij ſcriptam, ſed nihilo ſunt meliores, niſi legem impleuerint, quæ citra ſpiritum ſanctum impletur minime. Hoc agit in uniuerſum Paulus primis tribus capitibus Epiſtolæ ad Romanos, omnes eſſe peccatores & tranſgreſſores, cum Iudæos tum gentes: neutri faciunt legem. Eſt enim lex ſpiritualis, id eſt ſpiritualia requirit, non carnalia aut externa, ut corde & ſpiritu facias bona, non manu tantum: ut puro & integro ſis affectu in omnes, non ſimules amicitiam: & hoc eſt quod præcepit lex: Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde,

Lex nõ manu, ſed ſpiritu impletur

Lex eſt ſpiritualis.

de, tota anima, totis uiribus, id eſt, non hypocriticè, aut ore tantum, ſed omnibus ſtudijs, tota mente. Et proximum ſicut teipſum, id eſt, non minus quàm te diligas, ſyncere & fideliter. Sed num hoc gentes unquam praeſtiterunt? Ergo non faciunt naturaliter, id eſt, ſuo ingenio, uiribus & libero arbitrio, quae legis ſunt: deberent quidem facere id quod lex naturalis dictat, (nam fruſtra non inſcripſit cordibus) at minime faciunt expertes ſpiritu. Nec Iudaei ſcriptam legem obſeruant. Caro enim legi Dei non eſt ſubiecta, ſiquidem ne poteſt quidem, imbecillis eſt. Rom. 8. Animalis homo non accipit ea quae ſunt ſpiritus Dei. 1. Corint. 2. Et dixit Dominus: Non requieſcet ſpiritus meus ſuper hominem, quia caro eſt. Gene. 6. Non curat ratio Dominum Deum. Excidit homo ab imagine Dei à ueritate in mendacium, ideoq; non requirit Deum. Gentes quamuis legem naturae habeant ſcriptam in cordibus ſuis, tamen non reuerentur Deum, non faciunt bona, & quae ſuggerit lex naturalis. Deum cognouerunt quidem ex operibus, ſed nõ ut Deum glorificauerunt, neq; grati fuerunt, id quod Paulus Ro. 1. & deinde fuſiſſime diſputat. Deinde ſi qui ſunt ex gentibus, qui faciunt aut fecerunt unquam legem, uelut olim Melchiſedech, Hiob, Naaman, Syrus, Cornelius, Centurio, et alij non pauci, citra ſpiritum Dei non fecerunt, id quod ſatis ex hiſtorijs ipſorum licet colligere: fuerunt ſpiritu Dei accenſi, non ſuis uiribus, natura, libero arbitrio, ratione aut ſapientia. Nemo enim poteſt dicere

Lex ſine ſpiritu non impletur.

Domi-

*Dominum Ieſum, niſi per ſpiritũ ſanctum. 1. Co. 12. Nulla mala arbor gignit bonos fructus. Fuerunt itaq; intus illuſtrati ſpiritu, quicunq; bona fecerunt ex gentibus. Eramus omnes natura filij iræ, quemadmodũ et cæteri. Eph. 2. Et quando fuerint mali, quî potuerunt benefacere? Citra Dei ſpiritum nemo recte facit, ſunt uniuerſa ſtudia noſtra mala: omnes ſunt hypocritæ et malignantes Ieſa. 9. Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia. Gene. 8. Et niſi quis renatus fuerit ex aqua et ſpiritu, non intrabit in regnũ Dei. Certum igitur eſt omnes illos, Hioben, Melchiſedechum regenitos è cœlo, aliam mentem habuiſſe, quàm reliquum uulgus gentium. Et aliud eſt ſimulare legem et implere legem. Quid profuit gẽtibus naturalis, et Iudæis ſcripta lex? nihil omnino, niſi impleta. Nullus hominũ unquàm ſeruauit legem ex ſuis uiribus & ingenio, id eſt, natura & libero arbit. Et Petrus dixit ſanctis fratribus, neq; ſe neq; patres ſuos portaſſe & ſatisfeciſſe legi. Acto. 15.*

CXXXI.

## Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem ſeruaueris. Rom. 2.

## Si circumcidamini, Chriſtus nihil uobis proderit. Gal 5.

*Circumciſio Iudæis olim diuinitus præcepta, externum ſignum erat fœderis Dei, quo per ſe citra uerbum promiſsionis non iuſtificabat, ſola enim fides iuſtificat:*

ſed erat ſignaculum iuſtitiæ fidei. Rom. 4. per quod omnes credentes agnoſcebant ſe in fœdere diuino, Id eſt, ꝙ Deus factus eſſet pater et adiutor eorum, qui circumciſi erãt, et ipſi eſſent in populo Dei: fides ipſa, quæ fœderis uerbum aut promiſsionem acceperat, confirmabat hoc fœdus Dei cũ hominibus. Externa circumciſio nihil prodeſt, ſi abſit interna, quæ eſt iuſtitia Dei et circumciſio cordis et ſpũs. Ait igitur Paulus: Circumciſio nihil eſt, præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorũ Dei, quæ eſt uiuida fides ſoli Chriſto adhærens & obediens. Hoc eſt enim opus Dei, ut credamus in eum quem miſit pater. Ioa. 6. nihil externum ſanctificat perfecte, ſola fides iuſtificat: omnino nihil profuiſſet circumciſio Iudæis citra uerbũ Dei, ſed quia non reſpiciebant in externam reſectionem præpucij, ſed in ſolum Deum, qui iſta iuſſerãt, hæc fides ſanctificabat illos. Velut Sacramenta noſtra tantillum nobis proderunt, ſi neglexerimus Chriſti uerbum, in quod eſt fides directa. Chriſtus eſt iuſtitia et ſanctificatio noſtra. 1. Cor. 1. ideo in Chriſtum reſpiciendum, propter hunc enim ſalubria ſunt ſacramenta, quia habent adnexam Chriſti promiſsionem. Fides in Chriſti uerbum purificat corda. Aqua omnino non mundaret mentem, ſed pactum bonæ conſcientiæ cum Deo. 1. Pe. 3. Id eſt, fides ſeu conſcientia uerbo & ſigno de beneuolentia Dei certificata, q. d. Apoſtolus: aqua per ſe lauat corpus tantum, animã non item: ſed quia credis promittenti Chriſto, accipis ſigillum iuſtitiæ fidei baptiſmum:

Circũciſio externa nihil prodeſt

Sacramenta quõ proſint.

Baptiſmus quî ſeruet.

Corpus

Corpus aquam ſuſcipit, fides uerbum, externe mundaris aqua, intus fide. Vnde Paulus alibi de circumciſione inquit: Ecce ego Paulus dico uobis, quod ſi circumcidamini, Chriſtus nihil uobis proderit, id eſt, circumciſio externa non eſt iuſtitia, non enim ſanctificat, liberum eſt uobis circuncidi uel nõ. Si eo animo circumcidamini quatenus per illam iuſtificemini, à ſcopo & ueritate excidiſti. Chriſtus uos redemit à maledictione legis: ſi tantum in externam circumciſionem defixeritis oculos, omnino non ambulatis in ueritate, non iuſtificabimini: non ponenda eſt iuſtificatio in externa circumciſione, à qua liberi eſtis, ſed in Chriſto ipſo, qui eſt finis legis. Ro. 10. ſi ad hunc ſcopum, in Chriſtum ſcilicet, non intenderitis oculos mentis, nihil proderit uobis nec Chriſtus nec circumciſio, nemo ex operibus iuſtificatur. Si enim per legem eſt iuſtitia, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Gala. 2. & Chriſtus factus eſt uobis ocioſus quicunq; per legem iuſtificamini, à gratia excidiſtis. Gala. 5. Circumciſio ſalubris eſt propter Chriſtum, imò in Chriſto, quia adfectus prauos reſecueris, q̃ interne non externe ſolum circumciſus ſis. Longiſſime aberras, ſi tribuis ſoli externæ circumciſioni iuſtitiã, intus circumcidaris neceſſe eſt. Circumciſio autem interna ſiue ſpiritualis, fides eſt et regeneratio. In corde ſeruatur lex, non externis ſignis tantum Circumcideris aũt corde, dum poſitis concupiſcentijs carnalibus, ſis nouus homo, noua creatura, renatus ex aqua & ſpiritu, baptizaris igne & ſpiritu ſancto, dum

Circũciſio ſpiritualis.

Baptiſmus ignis, et ſpiritus ſancti.

*dum accipis remiſsionem peccatorum, quæ citra fidem non continget. Obſeruas itaq; legem, dum diligis Dñm Deum tuum ex toto corde, mente, anima et uiribus. Obſeruatio legis planè aliud eſt nihil, quã charitas Dei aut fides, ſi Deo ſoli ſeruieris, et totum illi te ipſum quantus es tradideris regendum: ut ab ipſo uno pendeas, unum ames, unũ metuas: hoc ſi feceris, ſaluus eris. Loqtur igitur Apoſtolus Ro.2. de ſpirituali circũciſione quæ prodeſt. At carnalis, quæ non fit ex ſpiritu, nihil prodeſt. Quod enim ex fide non fit, peccatum eſt. Rom.14.*

Obſeruatio legis.

CXXXII.

## Perijt iuſtus de terra, et rectus in hominibus non eſt. Mich.7.

## Noe uir iuſtus atq; perfectus. Gen.6.

Canit Dauid Pſa.13. et 52. *Dñs de cœlo reſpexit ſuper filios hominum, ut uideat an ſit intelligens aut requirens eum. Vnuſquiſq; declinauit, ſimul abominabiles facti ſunt: Non eſt faciens bonum, non eſt etiam unus. Et repetitur hic uerſus à Paulo, ſed uolo per Synechdochen intelligas tropo ſcripturæ familiari, non enim erant uniuerſi mali & iniuſti, ſed potior pars. Omnes debebant eſſe pij, ueri rectiq; amantes, ſed maior pars eſt inutilis, blaſphema, nullius momenti, impia, ut inter mille uix unum reperias ſanctum, innocentem: imò ne innocens quidem eſt innocens Exod.34. Ita tempore Noah omnis caro corruperat uiam ſuam ſuper terrã, Solus Noah inuenit*

Nemo iuſtus.

Noah iuſtus.

uenit gratiam coram Deo. Hic ſolus cum Deo ambulauit et fuit uir iuſtus atq; rectus. Quemadmodum idem de Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, Hiobo, Dauide, Helia, prophetis atq; alijs patribus ſanctis legimus, quos Deus conſeruauit ab populari immūdicia. Vt accipias iſtos locos, qui omnes homines damnant per συνεκδοχήν, id eſt intellectionem, ut longe aliud intelligas, quàm tradit litera, et maiorem partem populi euerſam intelligas, atq; paucos è tanto numero uere pios. Helias propheta omnes ſanctos ſublatos crediderat, & tñ Deus reſeruauerat ſibi ſeptem milia uirorū, qui non inflexerunt genua imagini Baal. 3. Re. 19. quando tam pauci ſint, qui Deum uerū metuant et adorent, dicit ſcriptura ne unum quidem ſupereſſe. Et ſi euoluerimus diligentius ſacras hiſtorias, colliges perplures pietatis ſtudioſos, ſanctitate et innocentia conſpicuos. Si iſtos ad reliquam multitudinem con tuleris, nulli ſunt aut pauci. Puſillus eſt grex Chriſti. Lu. 12. Diminuti ſunt ſancti. Pſa. 11. Et reliquiæ tantū con uertentur. Numerus impiorum tam grandis & populoſus eſt, ut præ illis pij uix uideantur: & apparet nullos omnino ſupereſſe iuſtos præ illorum multitudine.

Sanctorum paucitas.

CXXXIII.

## Non ueni deſtruere legem, ſed complere. Matt. 5.

## Chriſtus nos redemit ab execratione legis. Gal. 3.

Lex,inquit Apoſtolus Paulus,pædagogus noſter fuit ad Chriſtum,ut ex fide iuſtificaremur. Gala.3. quaſi diceret: non iuſtificabat lex,neminem ad perfectionem ducit. Heb.7. Sed tantum ad Chriſtum iuſtificatorem remittebat,qui eſt perfectio legis,ad iuſtificationem omni credenti. Rom.10. Solus Chriſtus implet legem, & ſatisfaciebat legi, ac de peccato condemnauit peccatum per carnem,ut iuſtificatio legis impleretur in nobis Ro.8. Non enim uenit ſoluere aut abolere legem, ne omnino non ſit implenda. Sed propterea uenit,ut pro nobis impotentibus, infirmis, præſtaret legem, & de ſuo ſpiritu nobis impartiret, hoc eſt gratiam, ſpiritum & copiam faciendæ legis ſuppeditaret. Nam nemo ſeruat legem, niſi ſpiritualis. Nemo autem eſt ſpiritualis, niſi qui ſpiritum Chriſti habet. Roman. 8. Spiritum Chriſti habent omnes uere credentes. Ioan.1. De plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. Primum igitur explicat Chriſtus uſum, & abſtruſiorem atq; reconditum ſenſum legis,et docet legem eſſe ſpiritualem,id eſt, ſpiritualia requirere, non manum & externa facta tantum,ſed cor, renes, adfectus, mentem atq; ſpiritum,ut uides apud Matthæum. 5. 6. & 7. capitibus. Deinde ſuppeditat ſpiritum, reddit alacrem, propenſum, & ſpiritualem,ut rapiaris totis affectibus ad præſtandam legem. Non iubet negligere et præuaricare legem,ſed addit animum implendæ legis. Et Apoſtolus non dicit nos liberatos per Chriſtum à lege, ut porrò nihil ad nos ſpectet

Lex neminem uere iuſtificat.

Chriſtus fit legi obnoxius.

Spiritualis quis ſit.

*ctet, non ſit complenda: ſed hoc dicit, nos Chriſtianos redemptos à maledictione atq; tyrannide legis, id eſt, lex non aget reos, non condemnabit, non execrabit nos Chriſtianos, qui ſpiritum Domini accepimus, ſumus ſub gratia, iuſtificati fide, & ultro præſtamus legem, ſumus bona arbor, plantata ſecus riuulos aquarum, & in tempore ſuo reddimus fructum, non tranſgredimur legem, non uiolamus præceptum, ideoq; nihil iuris condemnandi nos habet lex, erepta eſt illi uis & tyrannis in nos. Maledicit tranſgreſſoribus, & qui non ſeruant legem, tradit orco, execrationi & Sathanæ. Ne uero & nos pietatis cultores & Chriſtianum nomen profeſſos ſimili tyrannide excarnificet, Chriſtus uenit, et pro nobis factus eſt execratio, peccatum, ut nos ab iſthac maledictione legis eriperemur, & benediceremur cum fideli Abraham Chriſtus peccatum noſtrum in ſe tranſtulit, factus eſt legi obnoxius, ut nos qui legi eramus obnoxij redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Galat. 4. Nunc itaq;, ut paucis dicam, liberati ſumus à lege, mortui ei in qua detinebamur, ut ſeruiamus per nouitatem ſpiritus, & non per uetuſtatem literæ. Rom. 7. à litera legis ſoluti ſumus, ſed non à ſpiritu. Implenda eſt lex, at ſpiritualiter, quæ omnia Dominus apertiſſime explicat apud Matthæum. Non occidit, nõ excarnificat, non agit reos, non maledicit, non condemnat nos lex: Non enim inuenit in nobis (Chriſtianis dico) quod accuſet, qui libero ſpiritu charitatem exercemus, & fa-*

*Chriſtus redemit nos à maledictione legis.*

cimus quod Deus à nobis requirit. Hac de re nō paucula priore centuria diſſeruimus, illuc te remittimus lector.

CXXXIIII.

Facies altare ad adolendum thimiama. Exod, 30.

Quo mihi multitudo uictimarum ueſtrarum? Ieſa. 1.

Iudæos olim ſibi delegit Deus de cunctis populis ſuper terram. Deu. 7. et. 14. quibus etiam iudicia, teſtamenta, et legem ſuam uſq; ad tempus correctionis tradidit, ut faceret ſibi populum peculiarem, ſanctum & legitimū. Non fecit taliter omni nationi Pſal. 147. Voluit enim hiſce cæremonijs mundo innoteſcere: Vnde addidit externa ſacrificia, oblationes, holocauſta, & ritus ſacrorū, uelut ſymbola quibus à gentibus idolatris ſegregarentur, ut haberent ſigna beneuolentiæ Dei: & iſtis corporalibus aut externis cæremonijs atq; elemētis ad ſui unius cultum & ad mutuam dilectionem prouocarentur, qui habebant eundem cultum, unum Deum, eaſdem cæremonias, eadem ſacrificia, agnoſcerent ſe unius Dei populum, & charitate mutua conſtringerentur. Quibus uoluit Deus præludere aduenturū Chriſtum. Ideoq; iſthæc omnia figuræ et umbræ fuerunt reuelandæ ueritatis ac iuſtitiæ, Chriſti uidelicet. Lex enim, inquit Apoſtolus, umbra futurorum bonorum. Hebræo. 10. & Pædagogus ad Chriſtum. Galat. 3. Voluit hiſce legibus ſibi parare

*Sacrificia Iudæorum ad tempus tantū inſtituta ſunt.*

rare

*rare populum, & ad tempus demandauit ſacrificia & reliquos cultus. Hinc eſt quòd toties inſtituta ſunt ſacrificia atq; alia ſacra. Voluit hiſce figuris et regno externo, aliud ſpirituale ſcilicet regnum præfigurare, & populum ſpiritualem ſibi adparare in regnum ſpirituale: qui ſe Deum non in monte, aut Hiereſolymis in templo coleret, ſed in ſpiritu & ueritate. Ioan. 4. Id eſt, qui non in hypocriſi et ficta religione, ſed mente et corde ſeruiret Deo uiuenti. In ſumma, ſacrificia externa umbra fuerunt tantummodo reuelandæ paulò poſt ueritatis Euangelicæ. Et Dominus præcipue fidem requirebat et charitatem in externis illis ſacrificijs, uelut Apoſtolus Paulus inquit: Lex ſpiritualis eſt. Rom. 7. id eſt, ſpiritualia opera exigit. Non curabat Deus corporalia. Bonorum noſtrorum non indiget. Pſa. 15. Ideoq; reijcit holocauſta ſine fide oblata. Oculi eius fidem reſpiciunt. Hieremi. 5. Quando autem non confidebant Iudæi in Deo ſalutari ſuo, ſed magis in ſuas oblationes, holocauſta & ſacrificia, opera manuum ſuarum, reiecit Deus iſta omnia, & dicit: Quis hæc quæſiuit de manibus ueſtris? Ieſaiæ 1. Quaſi diceret: Ego fidem & charitatem docui, uos neglecta fide & dilectione, tantum in ueſtra opera confiditis. Nolo igitur, ut poſt hac ſacrificetis mihi ad eum modum. Animum ego & pectus requiro, uos manum oſtenditis ſanguinolentam & charitate uacuam. Aurum exſpectaui, ſed plumbum obtruditur mihi. Vuas quærebam, ſed ecce labruſcas. Ideoq; apagete cum iſtis nu-*

Sacrificia Iudæorum quare reiecta.

gis. Non accipiam de domo tua taurum, de catulis tuis hircos: quoniam meæ ſunt omnes beſtiæ agri, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia uolatilia cœli, & pulchritudo agri mecum eſt. Si eſuriero, non dicam tibi, meus eſt enim orbis et pulchritudo eius. An manducabo carnes taurorum et ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſsimo uota tua. Et inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, et glorificabis me. Pſal. 49. Vnde etiam poſtea Dauid dolens de ſtupro admiſſo clamat: Si uoluiſſes ſacrificium dediſſem utiq; holocauſta non amabis. Pſalm. 50. Sacrificium Deo ſpiritus cõtritus, cor contritũ et humiliatum Deus non deſpicies. Vides ubiq; aliud requirere Deum, quàm nuda ſacrificia, fidem ſcilicet et miſericordiam: quæ ubi abſuerint à tuis operibus, nihil egiſti, nec tantillum præſtitiſti. Vbi uero fides & charitas adfulſerint, egregia, aurea, ſacroſancta, & uerè diuina ſunt uniuerſa opera tua. Hoſe. 6. Beneficentiam uolo et non ſacrificium. Repete nunc quæ prophetæ in uniuerſum ſcribunt, uidebis non aliam ob cauſam damnaſſe ſacrificia, quàm quòd ex incredulitate cordis proruperint. Lege integrum caput Ieſaiæ 1. Et in promptu eſt cauſa reiectarum oblationum. Manus, inquit, ueſtræ ſanguinibus plenæ ſunt immundi eſtis, malis ſtudijs, putris arbor. Et Chriſtus dicebat Phariſæis: Progenies uiperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? Matth. 12. Non placent Deo munera aut quæcunq; opera, niſi ante placeat perſona

Opera quæ ſint bona et ſacro ſancta.

ſona. Opus Deo gratum eſt, ſi perſona fuerit grata. Hy pocritarum & iniquorũ opera maledicta ſunt, quia ſunt & ipſi maledicti. Iuſti uero facta ſacra & bona ſunt, nam et ipſe ſacer et benedictus eſt. Sacrificia impiorum abominatio ſunt Deo: atq; hæc ratio eſt, cur explodat il la Deus. Mundis, inquit Apoſtolus Paulus, ſunt omnia munda. Tit. 1. Porrò pollutis & infidelibus nihil eſt mundum, ſed polluta eſt illorum et mens et conſcientia. Et his qui diligunt Deum, omnia ſimul adiumento ſunt in bonum, nimirum his qui iuxta propoſitũ uocati ſunt. Rom. 8, Atq; hoc eſt quod Chriſtus ſæpe repetit: Bona arbor, bonos fructus facit. Matth. 7. 12. Lucæ 6. Adde quòd ſacrificia Iudæis tantum ſint præcepta, Chriſtianis non, quibus iſtud tantum mandat Dominus Ieſus, ut abnegent ſemetipſos, tollant crucem ſuam, et ſequantur ipſum, offerant corpora ſua, hoſtiam uiuentem (non mortuam) ſanctam (non prophanam) acceptam Deo. Matthæi 16. Luc. 9. Rom. 12. Spirituales ſcilicet hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. 1. Pe. 2. Prophetæ igitur tantum impias oblationes impiorum hominum condemnant, quòd uiderent præcipua legis, miſericordiam & iudicium (Mat. 23. ab illis hypocritis negligi, & tamen ſine fine congeminare ſacrificia. Quòd iuſtitia & iudicium facta magis placeant Domino, quàm uictimæ, Pro. 21. Et multo melior ſit obedientia, quàm ſtultorum uictimæ. Eccle. 4. Dominus enim abominatur ſacrificia impiorum. Pro. 15.

Deus opera reſpuit propter perſonam.

Hoſtia acceptabilis Deo.

Pſeudo-

## CXXXV.

## Pſeudopropheta interficiatur. Deuterono.13.

## Hæreticum poſt unam atq; alteram monitionem deuita. Tit.3.

*Arma in ſcripturis aliud ſignificant.*

*Permittamus quòd Iudæis licitum fuerit ſeductores ac pſeudoprophetas gladio ferire, ſed num propterea & nobis Chriſtianis licebit Sectarum authores eodem gladio perdere? minimè.* Nouerunt *omnes pij, arma in ſcripturis aliud ſignificare, nempe uerbum* Dei, *quo ferien-di ſunt uniuerſi pietatis hoſtes.* Regnum *Iudæorum externum fuit regnum, fuit quoq; ſacerdotium externum, ideoq; habebat externa ſacra et arma.* Regnum *Chriſtianorum ſpirituale eſt, igitur et ſacrificia atq; arma ſunt ſpiritualia.* Cæremoniæ *Iudæorum, typus fuere Chriſtianæ religionis.* Pugnatum *eſt ab Iſraëlitis aduerſus Amorræos, Chananæos, Iebuſæos, & reliquos gentes idolatras corporalibus armis. At nobis contra inſultus diaboli, portas inferorum, hæreticos ſpiritualibus armis dimicandum eſt. Arma inquit* Paulus, *militiæ noſtræ nõ carnalia ſunt, ſed potentia* Deo *ad demolitionem munitionum, quibus conſilia demolimur, et omnem celſitudinem, quæ extollitur aduerſus cognitionem* Dei, *et captiuam ducimus omnem cogitationẽ ad obediendũ Chriſto, et in promptu habemus uindictam, aduerſus omnem inobedientiam.* 2.Cor.1. *Sathan ſpiritus eſt, & ſunt ipſius*

*Cæremoniæ Iudæorũ typus religiõis Chriſtianorum.*

*aſtutiæ*

aſtutiæ ſpirituales. Ephe.6. Ideoq́; ſpiritualibus armis oppugnandus, carnalibus nihil efficies, ſed reddis uiolentiorem. Hiob. 41. Ab attactu gladij non ſurgit, lanceæ, haſtæ, & thoracis. Reputat pro palea ferrum, pro ligno putrido æs. Non fugabit eum ſagittarius, ad ſtipulam uertuntur ei lapides fundæ. Quaſi ſtipulæ reputantur ab eo iacula, & ridet ad trementem clypeum etc. Fruſtra igitur laborant principes & Epiſcopi, dum ferro & igni nituntur extinguere pſeudoprophetiam, errores, hæreſes, Catabaptiſtas, Sacramentarios, & reliquos uertiginis ſpiritus. Ideoq́; ait Paulus: Sectarum autorem poſt unam & alteram admonitionem fuge (non interfice, combure, ſuſpende, ſuffoca aquis, aut perde mala morte) ſciens q̃ euerſus ſit qui eiuſmodi eſt, et peccet per ſe damnatus. Tit. 3. Et diuus Ioan: Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipiatis eum in domum, nec aue ei dixeritis. Non iubet ſtringere gladium, ſed deuitare. Videns nimirum hæreſes, non ui aut ferro extirpari poſſe, alioqui dixiſſet: ne permittatis uiuere. Chriſtus quoq; Matt. 13. Non iubet euellere zizania, ſed ſinere uſq; ad meſſem, hoc eſt, non uiolentia diſſipandas pſeudoprophetias, ſed uerbo Dñi extinguendas. Et propheta olim dixit, impium ſpiritu labiorum Dei occidendum. Ieſaiæ. 11. Et Paulus ait: Antichriſtum (à quo omnes peſtes, errores & pſeudoprophetiæ in Eccleſiam Chriſtianorum ſparguntur) conuictum iri ſpiritu oris Domini. 2. Theſſaloni. 2. Ex quibus

Sathan ſpiritus eſt, et nõ timet arma carnalia.

Antichriſtus nõ gladio corporali, ſed ſpiritu oris Domini interficitur.

bus potenter intelligamus, non carnali gladio, ſed ſpiritu‑ali conficiendos Hæreticos et falſos prophetas. Errant igitur magiſtratus, qui tantum flamma et ferro occurrunt malo, Nihil iuris habent in eos iudices huius mundi (non enim ſunt mentiũ et animorũ atq; conſcientiarũ iudices, ſed corporũ) niſi in ius ciuile peccarint, id eſt, erroribus ſuis publica crimina addiderint, ut ſi fuerint ſeditioſi, fures, adulteri, raptores, pacis publicæ perturbatores, ciuilium legũ tranſgreſſores, latrones, proditores, tũ licebit magiſtratui in eos animaduertere: at cum tantũ in fidem peccarint, Deus iudex eſto, et Epiſcopus eos excõmunicato. Quicunq; in adminiſtrationem legum ciuilium, & regnũ mundi deliquerit, ab eodẽ regno et præfectis eius puniatur: uerũ qui in regnũ ſpirituale peccat, ab eodem arguendus eſt, et ſpiritualibus armis confodiendus. Lege 6. ca epiſt. ad Eph. Breuiter mundus habet gladiũ ciuilem et adminiſtrationem legũ ciuilium: corporũ et bonorum mundi ſunt iudices: quicunq; in leges ciuiles peccant, ab eiſdẽ quoq; punientur: nihil puniant magiſtratus ciuiles, niſi quod ad ſuam adminiſtrationem atq; ius pertineat. Hæreſes uero non ſunt ciuilia, aut corporalia mala, ſed ſpiritualia, propterea ſolis ſpiritualibus armis uerbo Dñi e mentibus euellenda. Nemo regnet in conſcientijs, niſi ſolus Deus: nemo dominetur fidei, niſi ſolus Deus, nemo iudicet infidelitatẽ, niſi ſolus Deus. Tyrãni igitur ſunt quicunq; arripiunt ſibi ius perdendi impios aut hæreticos. Duplicia enim ſunt peccata, alia ſpiritualia,

*Gladius ciuilis nõ habet ius in hæreticos.*

*Deꝰ iudex conſcientiarum.*

*Peccata ſpiritualia & carnalia.*

lia,alia corporalia:horum quoq; ſint duplices iudices, Spirituales et ciuiles. Spiritualia peccata ſunt,infidelitas, deſperatio de diuina miſericordia, puſillanimitas, hæreſis, ſcripturarum non ſana intelligentia, occultum odium,concupiſcentia,et quicquid coram Deo peccatum eſt,in iſta nemini mortalium licet animaduertere,niſi ſpiritualibus & ſpiritualibus armis, uelut dixi. Alia ſunt corporalia peccata ſiue ciuilia,quæcunq; admittuntur in leges ciuiles,eiuſmodi ſunt,proditio,furtũ etc. quæ paulò ante recenſui,iſta ſunt ciuili gladio obnoxia et plectenda.Igitur ſpiritualis ſpiritualia iudicat: magiſtratus ciuilis ciuilia adminiſtret,et uiolatores legum ciuilium puniat gladio ciuili. Quoties itaq; uoles extinguere hæreſes et falſas doctrinas,caue ne gladio ciuili id tentes,hoc enim modo magis prouocabis Sathanam,& ignem igni addes,non terretur armis corporalibus,ſed uerbum Dei omni fiducia doce,inſta tempeſtiue & intempeſtiue,detege hypocriſim,errorem et falſam doctrinam,ſuggere ſanum uerborum Dei intellectum,explica myſteria,produc Sathanã è tenebris in lucem,quam ferre nõ poterit, et euinces: quicquid aliâs conatus fueris,laterem lauabis ,non reſtingues incendium, uerum magis excitabis. Ipſe mendax eſt:et pater eius rei. Ioa.8. Si tu nudam & ſimplicem ueritatem protuleris, pelles et uinces omnes aſſultus diaboli. Sic Petrus iubet reſiſtendum fide. 1. Petri 5. quod uero Iudæi ſuos pſeudoprophetas occiderunt, ſcito apud illos omnia fuiſſe carnalia aut corporalia,re-

Iudæorum ſacra omnia corporalia.

gnum

*gnum fuit carnale, ſacerdotium carnale, populus carna-lis, ſacrificia carnalia, omnia corporalia et externa: um-bra, figura et typus ſpiritualium bonorum, regni, popu-li, uelut paulo ante dixi, propterea licuit carnali gladio occidere pſeudoprophetas.* Populus *uero Chriſtianorum ſpiritualis, ſpiritualibus armis dimicat aduerſus pſeudo-prophetas, hæreticos, et falſos fratres.* Nec *ignoro alios aliter ſentire, ſed pro temporis noſtri ratione hæc dicta ſint, pius magiſtratus iudicabit iuſte.*

CXXXVI.

## Non delinquent omnes, qui ſperant in eum. Pſal. 33.

## Septies in die cadit iuſtus. Pro. 24.

*Sancti pec-cant, ſed non ad mortem.*

*Quod hic dicit* Pſalmographus, *idem etiam diuus* Io-*annes ait.* 1. Ioa 3. Omnis *qui habet hanc ſpem in eo, pu-rificat ſe, ſicut et ille purus eſt.* Et *iterum:* Omnis *qui in eo manet, nõ peccat.* Et *paulò poſt:* Omnis *qui natus eſt ex* Deo, *peccatum non committit, quoniam ſemẽ ipſius in eo manet, et non poteſt peccare, ꝗ ex* Deo *natus eſt.* Peccant *nonnunquàm credentes ex infirmitate carnis, re manentibus in carne reliquijs peccati: uerum iſtud pecca-tum ignoſcit* Deus, *fidem et cor inſpiciens, non imputat, non exprobrat, qui habet exploratam fidem et mentem omnium fidelium.* Nemo *eſt qui non peccet, at* Deus *re-mittit, et nihil eſt damnationis ijs, qui inſiti ſunt* Chriſto Ieſu. Ro. 8. Repete *ea, quæ in principio conciliationum*

*ſcripſi-*

*ſcripſimus, et habebis eadem quæ nunc agimus, ob id nihil opus eſt uerbis multis, & actum agere.*

## CXXXVII.

## Sathanas expetiuit uos. Luc. 22. Malus ille non tangit eum. 1. Ioan. 5.

*Sathan ſtat in perpetuis excubijs, ſemper inſidiatur calcaneo noſtro, circuit quaſi leo rugiens, quærens quem deuoret: non ceſſat à tentandis mortalibus, ut præcipitet ad mala, eſt enim aduerſarius noſter, hoc eſt, Sathan et mille artifex. Ideoq; et Chriſti diſcipulos adgreſſus eſt. Velut ipſe Chriſtus Petro inſinuat, dum inquit: Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit uos, ut cribraret ſicut triticũ, ſed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua etc. Vnde igitur fit ꝙ Apoſtolus Ioã. dicat: malignus non tanget eum qui ex Deo genitus eſt, quãdo uideamus ipſum oĩm maximè imponere ſanctis: impios quos totos ad ſuũ nutum poſſidet non tentat plurimũ, aguntur enim prius pythonico ſpiritu, capti ab eo ad ipſius uolũtatẽ. 2. Ti. 2. Videtur igitur idem mihi Apoſtolus dicere, quod Chriſtus: Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Mat. 16. quaſi diceret: Tentabunt et adorientur quidem miniſtri Sathanæ, ſed non præualebunt. Malignus hoſtis omnibus modis inuadet uos rectos atq; credentes, ſed nihil promouebit, non nocebit uobis, non tanget uos, non lædet et euertet, uidebitur uos multis moleſtijs diuexari, at nihil incommodabit. Ipſe enim Chriſtus dux &*

*Sathã mille artifex, millib techinis adoriatur pios.*

*Sathan nõ uincit electos.*

ſeruator noſter uicit mundū, uicit etiam principem huius mundi. Si capiti non nocuit, minime etiam membris oberit. Confidamus igitur, uiriliter agamus, ſimus fortes, ſtemus in fide & cuſtodia, & non præualebit aduerſus nos Sathā. Nō ſinet nos Deus ultra tētari, ſupra id quod poſſumus, imò faciet unà cum tentatione euentum, quod poßimus ſufferre. 1. Cor. 10. Liberabit nos à malo, Amen. Nemo rapiet oues Chriſti de manu eius. Ioan. 10. Deo enim gratia, qui dedit nobis uictoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. 1. Cor. 15.

## CXXXVIII.

## Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſeruies, Deut. 6.

## Surgens Abraham adorauit populum terræ. Gen. 23.

*Adorare quid ſit.*

Adorare primum eſt Deū colere, pietatem ſuam teſtari, corde et ſpiritu uenerari, et Dei auxilium implorare. Et iſto modo dicit Moſes: Dominum Deum tuum adorabis, id eſt, coles, inuocabis, honorem cordis præſtabis, et uelut uitæ atq; ſalutis authorem honorabis, in eum ſolum ſpem fixam collocabis, & ſic adorare eſt quod nos Germani dicimus: Anbeten, ein Gottesdienſt thun. Ita etiam Chriſtus, Ioan. 4. utitur: Veniet tempus cum ueri adoratores, id eſt, Dei cultores, patrem in ſpiritu et ueritate adorabunt, hoc eſt, colent, ſeruient et inuocabunt. Aliâs adorare creberrimè pro uenerari, genua flectere,

adoſculari, proſternere accipitur, quod Græci προσκυ-νᾶν dicunt et προσκύνησιν adorationem, ſeu honorem qui corpore exhibetur. Velut Abraham adorauit populum terræ, id eſt, geſtu aut geniculatione egit gratias, ſiue honorauit populũ terræ. Gen. 33. Iacob fratrem ſuum Eſau ſepties adorabat in terram. i. incuruauit ſe aut proſternebat ſe coram illo in terram. Matt. 8. Magi proſtrati adorauerunt puerum, hoc eſt, uenerati ſunt, exhibuerunt honorem. Matt. 8. Leproſus adorauit Chriſtum, id eſt, inclinauit ſe, & geſtu corporis ueneratus eſt eum. Aliud igitur eſt adorare Deũ, aliud adorare hominem. Adorare Deum eſt timere, colere et inuocare Dñm. Adorare hominem, eſt honorem exhibere & gratias agere. Scriptura refertiſsima eſt exemplis eiuſmodi. Aliâs peccatum et idololatria eſt, ſi creaturã adoraueris, et ſpem in illam collocaueris, quod eſt oſculari manum.

*Abraã adorauit populum terræ.*

*Adorare Deum.*

*Adorare hominem.*

*Oſculari manum.*

CXXXIX.

# Poſſedi hominem per Deum (dicit Eua de Cain). Gen. 4.

# Non ſicut Cain ex illo malo erat, & occidit fratrem ſuum. 1. Ioan. 3.

Aliud eſt Dei, aliud hominis iudicium. Deus uniuerſorum conditor, omnia nouit, omnia ſcrutatur, renes & corda, nihil eſt illi abſconditũ, omnia patent oculis eius. Homo uero iuxta oculorum uiſionem et ſecundum perſonam, id eſt, externam ſpeciem iudicat, quale iudicium

*Iudicium duplex.*

eſt in Eua, quæ ubi primum filium Cain genuerat, iudicauit ipſum eſſe de quo prius audierat Dei uocē et promiſsionem: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Gene. 3. Quam promiſsionem Deus pater de Ieſu Chriſto filio ſuo ediderat, qui ſerpentis caput, id eſt regnum & potentiam Sathanæ eſſet confracturus. Ipſa uero cogitauit Cain fore iſtud ſemen, non ſane intelligens myſterium de Chriſto. Et dixit: poſſedi hominem per Deum, hoc eſt poſsideo, nacta ſum, & habeo nunc quem Deus mihi pollicitus eſt. Per Deum, inquit, id eſt præſtante & exhibente Deo quod promiſerat: Dei homo eſt hic filius meus, à Deo mihi diuinitus exhibitus, errauit igitur mater. Euentus enim aliud indicauit. Cain nempe occidit fratrem, quod argumentum eſt ipſum non ex Deo, ſed ex malo, id eſt, Sathana genitum. Ioannes Euangeliſta longe habens oculos clariores atq; perſpicatiores (eſt enim ſpiritualis, qui omnia diiudicat 1. Cor. 2.) aliam ſententiam fert de impio Caino quàm carnalis mater Eua, uidens nimirum fructus impietatis, qui ſunt proteſtationes et ſigna maligni pectoris. Ex fructibus iudicat arborem, & dicit: Hæc eſt adnunciatio, quam audiſtis ab initio ut diligatis uos inuicem. Non ſicut Cain ex illo malo erat, & occidit fratrem ſuum. Et propter quid occidit eum? quia opera eius mala erant, fratris autē eius iuſta. 1. Ioa. 3. Diuina eſt ſententia, quam Ioan. de Caino, pronunciat, nam Deus ipſe clamat Cain maledictum eſſe, Gen. 4. Ideoq; decepta eſt Eua uerbo Dei male intellecto,

Cain malo, et ex malo.

Cain male amauit fratrem.

*ſto, dum ſibi perſuadet, Cainum eſſe illud cœleſte ſemen, quod ſerpentis caput conculcaturum eſſet, rationis fuit iudicium & carnale. Suſpicata enim mox præſtiturum Deum, quod ſibi pollicitus fuerat, indidit nomen puero Cain, quod ſignificat nanciſci et acquirere, uolens nimirum ſignificare, ſe adeptam promiſsionem Dei genuiſſe filium ſeu uirum Dei, quem Deus pollicitus erat etc.* *Cain unde nomen habeat.*

CXL.

# Num uere cognouerũt principes noſtri, hunc eſſe uere Chriſtũ, ſed hunc nouimus unde ſit. Ioan. 7.

# Si cognouiſſent, haud quaquam Dominũ glorię crucifixiſſent. 1. Cor. 2.

*Cognitio Dei ſiue Chriſti duplex eſt: Carnalis et ſpiritualis. Carnalis eſt, qua opinionem quandam & fidem mortuam ex rumore, creaturis, operibus conceptam de Deo habemus, qualem gentes habuerunt. Ro. 1. & qualem etiam Sathan habet, qui ſentit diuinam potentiam agnoſcit Ieſum Chriſtum eſſe Dei filium, unde toties clamauit: Ah, quid rei nobis tecum eſt Ieſu Nazarene? Marc. 1. Scio quis ſis, ſanctus ille Dei. Lu. 4. Matt. 8. Iſta uero cognitio omnino nõ prodeſt, niſi accedat ſpiritualis cognitio, quæ eſt fides non ſimulata. Viderunt Iudæi Chriſtum, et agnouerunt eum ſecundũ carnem, nihil ſpirituale in eo agnoſcentes. Ideoq; dixerunt: nonne hic eſt* *Cognitio Dei duplex.* *Carnalis Dei cognitio nihil facit ad iuſtificationẽ citra ſpiritualem.*

Ieſus filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrẽ et matrem? Quomodo ergo dicit hic, de cœlo deſcendit? Io. 6. Vnde huic hæc? & quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi? & uirtutes tales per manus eius efficiuntur, Marc. 6. Verum iſta cognitio non iuſtificat, nec prodeſt quicquam, uelut illa ſpiritualis, de qua propheta Ieſai. cap. 53. In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruos meos multos. Spiritualis igitur cognitio eſt fides ipſa, quæ agnoſcit Deũ patrem in Chriſto Ieſu. Ioa. 14. Philippe qui uidet me, uidet & patrem meum. Non credis ꝙ ego in patre ſim, & pater in me? Spiritualiter agnoſcunt Deum, qui Deum patrem ſuum, uiam, ueritatem, uitam, reſurrectionem, iuſtitiam, ſanctificationem, ſaluatorem uere credunt, quam cognitionem non habuit unquam mundus. Ioan. 1. In mundo erat & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In ſua uenit, & ſui eum non receperunt. 1. Cor. 2. Carnalis homo non accipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Stultitia ſiquidem illi ſunt. Matt. 11. nemo nouit patrem niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Si enim Dominum gloriæ cognouiſſent, & credidiſſent in eum, nõ ſuſpendiſſent in ligno. Vnde excuſat eos Petrus: Scio quòd per ignorantiam feciſtis. Acto. 3. Nihil igitur diuinæ potentiæ crediderunt in Chriſto Ieſu. Itaq; tanquam ſeditioſum, execrabilem, dæmoniacum, blaſphemum, & mala morte dignum, ſupplicio tradunt, et interficiunt innocentem. Opinio tãtum fuit, et carnalis cognitio, id eſt fides ficta & inanis iactantia, quando dicunt: Nouimus

*Cognitio ſpiritualis iuſtificat credentes.*

*Mundus nunquam cognouit Deum.*

cum

*rum, & uenite occidamus, quia hæres eſt. Matt. 21. quod arguit ipſa defectio, qui tam leui cauſa orta afflictione, abnegant rurſus. Intellige igitur locum. Ioan 7. de carnali fide et cognitione, quæ bulla et uentus eſt: Paulum uero loqui de ſpirituali, hoc eſt uiuaci fide, quam ſi habuiſſent Iudæi, nunquam mactaſſent Chriſtum Domini. Hæc enim eſt uita æterna, inquit Chriſtus, ut cognoſcant te ſolum Deum uerum, et quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ioan. 17. id eſt, uera cognitio & integra, uiuaxq; fides iuſtificat: Dominus Deus noſter Ieſus Chriſtus addet nobis, ne nomine tantum ſimus Chriſtiani, hoc eſt, profiteamur ſaltem nos Deum noſſe, factis autem negemus, faciat nos rectos & integros, induat uirtute ex alto, ut ipſum ſolum glorificemus in ſecula, Amen.*

CXLI.

## Ne poſsideatis aurū neq; argentum, neq; ęs in crumenis ueſtris. Mat. 10. Iudas habebat loculos. Ioan. 13.

*Aurum, argentum atq; æs poßidere, malum per ſe non eſt, niſi abutaris, aut animum adpoſueris, et per illa à pietate auoceris. Sunt enim creaturæ Dei: & omnis creatura Dei bona eſt, et nihil reijciendū, ſi cum gratiarum actione ſumatur. 1. Tim. 4. Chriſtus igitur nō uetuit pecuniæ uſum, & poſſeßionem honeſtam, ſed abuſum, auaritiam et adfectū prohibet, ne ſperemus in caducas et incertas diuitias. Veluti etiam ſanctus Paulus fecit. 1.* Aurū habere, malum non eſt.

Tim. 6. Aut quia nouam doctrinam mundo erat inuulgaturus Dominus Ieſus, uoluit eam miraculo confirmare, prouidens diſcipulis ſuis neceſſaria, etiam cum nō haberent æs in crumenis, unde compararent quibus haberent opus: ut non tam ipſi quàm auditores Euangelij confortarentur animis, et crederent Euangelicam doctrinam, quam annunciabant Apoſtoli, uere diuinā atq; cœleſtem, quando uiderent omnia ipſis affatim ſuppetere. Non enim poſſum perſuaderi ſic præceptum Apoſtolis, ne perpetuo poſsiderent crumenam, ſed tantum ſub primam emiſsionem prædicandi Euangelij: quaſi uellet cauere, ne dum Euangelicum munus ſubirent, de uictu atq; amictu eſſent plus æquo anxij atq; ſoliciti, imò ut pergerent ſpargere Euangelicum ſemen, ipſum interim ipſis de neceſſarijs prouiſurū, ne careant aut inediam patiantur. Facit ad hanc meam interpretationem uerbum Chriſti in cœna nouiſsima, ut perſuadeam mihi recta & ſimplicia eſſe quæ ſcribo. Dixit enim: quando miſi uos ſine ſacculo et pera, et calciamentis, num quid defuit uobis? At illi dixerunt: Nihil, Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter et peram: et qui non habet uendet tunicam ſuam, & emat gladium. Luc. 22. quaſi diceret: Tum prohibui uobis ſacculos, peras, & calciamenta, nunc aūt interdico. Olim confirmandæ fidei ueſtræ, emiſi nudos abſq; ullo uiatico, ut mihi crederetis, ab me uno patre et Domino ueſtro penderetis, qui curā ueſtri in me ſuſcepi. Nūc uero qui habet ſacculum tollat:

Chriſtus nō uetuit argēti uſum.

ergo

ergo licuit illis extra negotium Euangelij circumferre ſacculum, peram, et crumenam. Sic igitur Iudas loculos habebat, eò quòd portaret quæ mittebantur. Ioan. 12. & 13. Deinde legimus Lu. 8. Mulieres quaſdã pias Chriſto et Apoſtolis de facultatibus ſuis miniſtraſſe. Adde quod & Apoſtoli habuerunt pecunias, uelut ex hiſtoria ipſa de panum emptione colligimus. Matt. 14. Mar. 6. Lu. 9. Ioa. 4. Et Philippus dicebat Chriſto: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis. Ioan. 6. Paulus quod ex aulæis ſuis uenditis mercatus eſt æs. Igitur non poſſum adduci, ut credam diſcipulis Chriſti in uniuerſam prohibitam pecuniam, ſed tantũ ſub prima miſſione in Iudæam ad prædicandum regnum Dei, uoluit illis ſpecimen ſuæ paternæ prouidentiæ ac curæ exhibere, ne poſthac de patris prouidentia deſperarent aut ſoliciti eſſent, neue in ſua confiderent. Potens eſt enim Deus paſcere citra panem. Sola Dei benedictio diuitem facit: prouidet nobis etiam ſi deſint nummi, non derelinquit iuſtum, nec patitur ſemen eius quærere panem.

CXLII.

## Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines. Gen. 8.

## Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro. Deut. 28.

Quum ſemel inundaſſet malicia hominis ſuper terram, deleuit Deus omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper

terram, ab homine uſq; ad pecus, tam reptile, quàm uolucres cœli, & deleta ſunt de terra Remanſit autem ſolus Noah, & qui cum eo erant in arca, Gene. 7. Vbi uero ceßit diluuium, et aquæ fuiſſent imminutæ ſuper terram, et exiuiſſet Noah cũ omnibus ſuis ex arca, ut creſcerent & multiplicarentur. Aedificauit Noah altare Domino, & obtulit holocauſta ſuper aram. Et odoratus eſt Dñs odorem ſuauitatis: & dixit Dominus: Vltra non maledicam terræ propter hominem. Senſus enim et cogitatio humani cordis in malum prona ſunt. Non igitur ultra percutiam omnem animam uiuentem ſicut feci. Cunctis diebus terræ ſementis & meßis, frigus et æſtus, æſtas et hyems, nox et dies non requieſcent. Aduerte igitur, non enim inquit: Parcam, homini & non maledicam, ſed ait ſe terram non ultra maledicturum propter hominem, parſurus eſt uniuerſæ terræ, interim tamẽ percutit unam gentem, urbem, uillam, ut dum Pentapolim igni & ſulphure perdidit, Gen. 19. dum Chore, Dathan, Abyron, terra abſorbet, Num. 16. uel turris in Siloe decem et octo caſu ſuo perdidit, Luc. 13. Sed hoc certi ſumus, non fore generalem cataclyſmum & internitionem uniuerſæ terræ, uſq; ad conſumationem ſeculi, quando cœli in morem procellæ tranſibunt, elementa uero æſtuantia ſoluentur, terraq; et quæ in ea ſunt opera, exurentur. 2. Pet. 3. Habemus enim Dei promißionem, & ſcimus quod uerax, fidelis et potens ſit: mentiri enim non poteſt, qui eſt ipſißima ueritas. Moſes igitur Deut. 28. Non contradicit

Diluuio nõ perditurus eſt Deus terram.

*dicit iſti promiſsioni diuinæ, non enim inquit: Maledicta erit uniuerſa terra: ſed hoc dicit: Si audire uolueris uocem Domini Dei tui, ut cuſtodias & facias omnia mandata eius, & ceremonias quas ego præcipio tibi hodie, uenient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, et apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, &c. Id eſt, tu præuaricator legis diuinæ eris execrabilis, non uniuerſa terra. Tu, tu, quia nō audis uocem Domini Dei tui. Nam ultra promiſsionem ſuam, quòd non eſſet porrò aboliturus terram diluuio, addidit quoq; ſignum, arcum ſcilicet in nubibus, Gene. 9. Maledictiones igitur illæ alteræ, ad priuatos pertinent, id eſt, ad contemptores diuinæ maieſtatis, quos malos male perdet. Matt. 21. Fideles igitur benedicuntur à Domino Deo noſtro. At qui incredulus eſt filio Dei, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Ioan. 3. Lege Iſa. 1. Pro. 10. Pſal. 36. et nuſquam non in ſcripturis ſacris benedictionem iuſtorum, et uidebis quoq; impiorum maledictionem. In ſumma, beatus eſt, qui non ambulat in conſilio impiorum, & in uia peccatorum non ſtetit, & in conſenſu irriſorum non ſedit. Sed in lege Domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Pſalm. 1. Rurſus maledicti qui declinant à mandatis Dei. Pſal 11. Et maledictus qui non audit pactum Domini. Hiere. 11. Habes præterea benedictiones piorum uberrimè. Le. 26. Deut. 28. Quemadmodum etiam ibidem legis maledictiones impiorum.*

*Maledictiones præuaricatorū legis diuinæ.*

Nunc

## CXLIII.

Nunc Antichriſti multi cœperũt eſſe, unde ſcimus nouiſsimum tempus eſſe, 1. Ioan. 2.

Rogamus uos fratres, ne cito dimoueamini à ueſtro ſenſu, neq; turbemini, neq; per ſpiritũ, neq; per ſermonem, neq; per Epiſtolam tanquam à nobis profectam, quaſi inſtet dies Chriſti. 2. Theſ. 2.

*Nouißimũ tẽpus quod dicatur.*

*Antichriſtus quis ſit.*

*Nouißimũ tempus in ſcripturis eſt omne illud ſpacium à natiuitate, reſurrectione, et aſcenſione Ieſu Chriſti uſq; ad conſummationem ſeculi, quicquid interim geſtum eſt, aut fiet adhuc, dicitur fieri in nouißimis diebus. Igitur à glorificato Chriſto erexit ſuas criſtas Sathan et Antichriſtus. Dicitur autem ἀντίχριςος, quiſquis ſapientiæ, iuſtitiæ, ſanctificationi, doctrinæ, & uerbo Chriſti reſiſtit uerbo uel opere, uelut ipſe Dñs expoſuit. Mat. 12. et Lucæ 11. Qui non eſt mecũ, aduerſus me eſt, et qui non colligit mecũ, diſperdet, id eſt, Antichriſtus aliud eſt nihil quàm aduerſarius Chriſti, qui aliud docet quàm Ieſum Chriſtum, qui aliam iuſtitiam et ſanctificationẽ prædicat quàm Ieſu Chriſti. Quicunq; in creaturas aut opera & merita ſua confidunt, et non in Deo ſalutari, Antichriſti ſunt*

*ſti ſunt. Excute nunc Apoſtolorum ſcripta ac ueterũ hiſtorias, et deprehendes mox à Chriſti aſcenſione, graue lupos, pſeudoprophetas, ſeductores in caulam Chriſtianorum ouium irrupiſſe, et teneros agnellos à ſano pabulo diuini eloquij abduxiſſe, et pro pietatis doctrina dæmoniorũ dogma ſuggeßiſſe, & ij Antichriſti ſunt, quocunq; tandem titulo ſeſe honeſtarint atq; uenditent, lupi ſunt ferocientes et peſtilentißimi Antichriſti. Eſt itaq; nunc tempus nouißimum, ſed propterea non inſtat dies Domini. Nam Paulus ſeipſum interpretatur cum addit: Non adueniet Dominus, id eſt, non erit extremus et finis ſeculorũ, niſi uenerit defectio prius, et reuelatus fuerit homo ille ſceleroſus, filius perditus, qui eſt aduerſarius, hoc eſt, Antichriſtus, et effertur aduerſus omnẽ qui dicitur Deus aut numen, adeo ut in templo Dei ſedeat, oſtentans ſe ipſum eſſe Deum 2. Theſ. 2. Erant falſi doctores, cui poſt Apoſtolum dicerent imminere diem Dñi, quãdoquidem acceßiſſent nouißima tempora: quorũ errorem ſuggillat Paulus, prædicans diem Dñi nondũ futurum, ſed oportere prius omnia fieri quæ prædicta fuerant in ſcripturis ſanctis: oportere prius defectionẽ fieri à fide ſcilicet, nam ſic alibi ſcribit Apoſtolus 1. Tim 4. Spiritus certo loquitur, quòd in poſterioribus diebus deſciſcent quidã à fide, attendentes ſpiritibus impoſtoribus ac doctrinis dæmoniorum, per ſimulationem falſiloquorum, cauterio notatam habentium conſciẽtiam, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abſtinere à*

*re à*

Antichri-ſtus nūc re-uelatus eſt.

re à cibis, quos Deus creauit ad ſumendum cum gratiarum actione fidelibus, et his qui cognouerunt ueritatem etc. Hanc defectionē à pietate ad humanas traditiones et uenena palàm uidimus nos ſub Romano Pontifice. Quis igitur dubitat inſtare diem Domini? Verū iſta ἀπόςασις Pauli ætate nondum cœperat. Deinde addit Apoſtolus, prius reuelatum iri hominē illum ſceleroſum, filium perditionis, quem dixi Antichriſtum, ideo nondum inſtabat dies illa. Nunc uero cum nemo non ſciat, Papatum eſſe regnum Antichriſti, et reuelatus ſit homo peccati et filius perditus, qui myſterium iniquitatis agebat olim, nunc deprehenſus eſt, & in lucem è tenebris productus.

Euāgelium prædicari oportere ante cōſummationem ſeculi.

Quis igitur dubitat inſtare diē Domini? Accedit ad hæc Chriſti uerbum dicentis: Apud omnes gentes oportere prius prædicari Euangelium. Mar. 13. Quod cum uideamus factū his nouiſsimis diebus, quis dubitat lōge abeſſe diem Domini? Percrebuit Euangelij fama apud omnes gentes. Et poſtremò etiā apud nos in Germania cœptum eſt prædicari. Reliquum eſt nihil, niſi ut ueniat filius hominis claritate aduentus ſui, et deſtruat Sathanā & ſaluos faciat nos. Certi ſumus ex uerbo domini inſtare diem

Dies iudicij non longe aberit.

Domini. Nouit Deus pater tempora et articulos temporum. Percurre omnia Euangeliographorum ſcripta, & colliges, modo recte accipias uerba, imminere diem Dñi. Tantum ſimus parati, leuemus capita noſtra, uigilemus & ſobrij ſimus, abijciamus curam huius ſeculi. Ad huc enim perpuſillum temporis, & qui uenturus eſt ueniet,

& non

*& non tardabit. Iuſtus autem ex fide uicturus eſt, & ſi ſe ſubduxerit, nõ probabitur animo meo.* Aba. 2. Heb. 10. *Contra Anabaptiſtas definientes tempus diei extremi, diximus.* 1. *Centuria locis.* 58.

CXLIIII.

## Quis ſimilis Deo inter filios Dei? Pſal. 89.

## Cum apparuerit ſimiles ei erimus. 1. Ioan. 3.

*Euangeliſta pulchre lucem adhibet uerborum pugnæ, quæ apparet tantũ in ſententijs, ait enim: Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur. Propter hoc mundus nõ nouit uos, quia non nouit eum. Chariſſimi nũc filij Dei ſumus, et nondũ apparuit quod futuri ſumus. Scimus autẽ, quoniam ſi apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eum ſicuti eſt* 1. Ioa. 3. *Id eſt nunc tantum per fidem filij Dei ſumus, ideoq; nõdum planè ſimiles Deo. Eramus quidẽ ad imaginem & ſimilitudinem eius conditi, ſed excidimus per peccatũ ab innocentia, iuſtitia et ſanctitate, à Chriſto, qui eſt ipſiſſima imago, facti filij iræ, peccati atq; Sathanæ, rurſus erepti ex hoc ergaſtulo per mortem filij Dei, in regnum lucis collocati ſumus. At nondum plenè regnamus cum ipſo, nondum ſumus perfecti, neq; ad perfectam, iuſtitiam rediuimus. Vidimus nunc tantum per ſpeculũ in ænigmate, nunc autem facie ad faciem: nunc cognoſcimus ex par-*

*Deo planè ſimiles erimus in reſurrectione iuſtorum.*

ex parte, tunc uero in fine ſeculorum cognoſcemus ple-nius, quemadmodũ et cogniti ſumus. 1. Cor. 13. Tum erimus ipſi ſimiles, conregnabimus & erimus conſortes æternæ gloriæ. Aduenæ et peregrini ſumus in hac terra. Et non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Heb. 13. Cum apparuerit, id eſt in conſummatione ſeculi ſimiles ipſi erimus, ſedebimus ſuper ſedem maieſtatis ipſius, & conuiuemus in ſecula, Amen.

*Iudicia Dei occulta, nobis incognita ſunt.*

CXLV.

## In labijs meis pronũciaui omnia iudicia oris tui. Pſal. 118.

## Quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius. Rom. 11.

Iudicia Dei occulta, imperſcrutabilia ſunt nobis, nec potuerunt ulla ratione deprehendi. Animalis homo non accipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. 1. Cor. 2. Deus lucẽ habitat inacceſſam. 1. Timo 6. Ideoq; nemo poteſt enunciare Dei myſteria et occulta iudicia, quare hunc elegerit, alium abiecerit, hunc ditet, alium reddiderit pauperem, hunc multa prudentia et rerum cognitione conſpicuum, alium ignarum et ſtultum fecerit: hæc ſunt Dei iudicia, quæ nemo hominum perſcrutari poterit, & de illis agit Paulus, Ro. 8. 9. 10. 11. Propheta uero Dauid non dicit ſe imperſcrutabilia Dei iudicia narrare, ſed iudicia oris Dei, id eſt, uerbũ ſuum, quod ipſe reuelauit, quod in ſcripturis ſanctis manifeſtauit, quibus uoluntatem ſuam expreſſit,

*Iudicia oris Dei ſunt eloquia Domini.*

preſsit, quæ iudicia æque neſciremus, niſi ipſe Deus uerbo ſuo patefeciſſet. Tantum nouimus, tantum pronũciamus, quãtum ipſe uerbo ſuo reuelauit. Ait itaq; Dauid: Labijs meis narraui omnia iudicia oris tui, ea inquam loquor, quæ ore tuo prodidiſti, iudicia oris tui pronuncio, non abſcondita, quæ per uerbum tuum nunquàm expreſsiſti, ſed ea iudicia quæ ſunt oris atq; ſermonis tui, quæ ipſemet reuelaſti nobis.

## CXLVI.

## Fiat uoluntas tua. Matth. 6. Et ne nos inducas in tentationem. Lucæ 11.

Orationem dominicam, uelutiuocamus, Dominus ipſe docuit nos, ceu legis Mat. 6. et Lu. 11. Igitur quum petimus, ne nos inducat in tentationem, ſecundum uoluntatem ipſius precamur. Hæc enim fiducia eſt quam habemus apud Deũ, quod ſi quid petierimus ſecundũ uoluntatem eius, audit nos. 1. Ioa. 5. Non igitur contra uoluntatem ipſius oramus, quoties obteſtamur, ne patiatur nos in tentationes induci, qui iuſsit nos ad eum modum precari. Omnis itaq; precatio fiat iuxta uoluntatẽ Dei, id eſt, cauendum nobis, ne petamus quicquam cõtra uoluntatem & uerbum ipſius, demus ipſi gloriam & honorem in ſecula.

Secundum Dei uoluntatem orandum.

## CXLVII.

## Qui me confitebitur coram homini-

bus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis eſt. Matt. 10.

Nonne per nomen tuum prophetauimus? At tum confitebor illis: nunquam noui uos. Matt. 7.

*Confeßio Dei nõ tantũ ore, ſed & corde fiat.*

Roma. 10. *inquit* Apoſt. Paulus: *Si confeſſus fueris ore tuo Dominũ Ieſum, et credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore aũt fit confeßio ad ſalutem, & ſatis alibi recitatum eſt à nobis, Dñm requirere à nobis non tantũ manus et os, ſed pectus et ſpũm. Ipſe enim ſpũs eſt, et in ſpiritu et ueritate uult adorari.* Io. 4. *corde uult prædicari, non ore et hypocriſi tantum. Fruſtra colunt Deum, qui tantum labijs ſtrepunt.* Matt. 15. *Qui ore benedicunt, corde uero maledicunt.* Pſal. 61. *Qui ſimulant pietatem, aut quæſtus ſiue famæ ſtudio prædicant Chriſtum, habẽtes formam pietatis, ſed qui uim eius abnegarint.* 2. Ti. 3. *Nota eſt hiſtoria, q̃ male ceſſerit olim Bileã prophetæ falſo, qui dilexit mercedem iniquitatis.* 2. Pe. 1. *& occiſus eſt gladio à filijs Iſraël.* Num. 31. Ioſua. 13. *Legimus quoq; in Actis Apoſtolicis quoſdam exorciſtas filios Sceuæ Iudæi principis ſacerdotum, adiuraſſe ſpiritus immundos, quòd quia citra fidem et uocationem legitimam tentauerunt, inſiluit in eos ſpiritus malus, & inualuit*

*Falſis prophetis male ceßit.*

*inualuit contra eos, ita ut nudi & uulnerati effugerent de domo illa.* Act.19. *Qui itaq; uere profitetur Chriſtũ in generatione hac adultera, hunc rurſus Chriſtus corã patre ſuo & angelis confitebitur, hunc rurſus agnoſcet, & ſecum ad cœleſtia euehet regna, facit ſecum regnare in ſecula.* Eccle 24. *qui audit me non confundetur, et qui operantur in me non peccabunt. Qui elucidant me, uitam æternam habebunt. At qui in hypocriſi & mendacio, citra cordis adfectum prædicant, ſolius laudis aut quæſtus amore, ij nihil promouebunt, nõ agnoſcentur à* Deo, *ſunt enim operarij iniquitatis, de illis loqtur Chriſtus* Matt. 7. *Multi dicent mihi in illo die:* Domine, Domine, *nonne per nomen tuum prophetauimus, et per nomen tuum dæmonia eiecimus, et per nomen tuum multas uirtutes præſtitimus?* At *tum confitebor illis:* Nunq̃ *noui uos, diſcedite à me qui operamini iniquitatem. i. nũquam candide coluiſtis me, ideoq; ego nunquã noui uos.* Hypo*criſis, uanitas, et auaritia fuit, quòd me prædicaſtis, ego corda et renes ſcrutor, exploratum habeo quid monſtri alueritis.* Non *recipio ueſtros labores, quos gloriamini in mei nomine ſubijſſe, ego non miſi uos, nihil præcepi, minime accerſiui.* Nolo *poſthac uos ueſtriq; ſimiles myſteria mea explicare, ingrati ſerui eſtis, ueſtra quæritis non mea* Ideoq; *cõparetis in conſpectu meo, gloriantes de bonis operibus, quod nõ faciunt pij et recti corde, qui nihil ſuorum benefactorum iactant, ut uides* Matth. 25. *ſed cum omnia fecerint, quæ præcepta ſunt eis, dicunt:*

Pij *nõ gloriantur de ſuis operibus uelut impij.*

*ſerui inutiles ſumus.* Lu. 17. *Hac ratione, quia impij prophetæ tantum ſua quærunt, non gloriã nominis* Dei: *nõ uult* Dñs *ab illis prædicari.* Pſalm. 49. *Peccatori dixit* Deus: *quare tu enarras iuſtificationes meas, et aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu uero odiſti diſciplinam, et eiciſti ſermones meos retrorſum. Si uidebas furem, currebas cum eo, et cum adultero partem tuam ponebas etc.* Infidelis *nunquã cum fructu ſuo docet, in omnibus operibus noſtris debent fides et charitas eſſe certiſsimus ſcopus.* Quicquid *enim ex fide non fit, peccatum eſt.* Ro. 14. *Et* Paulus *de ſe dicit:* Si *linguis hominum loquor et angelorum, charitatem aũt non habeam, factus ſum æs reſonans, aut cymbalum tinniens etc.* 1. Corint. 13. Quorum Deus *uenter eſt, et qui terreſtria curant.* Phi. 3. *inimici ſunt crucis* Chriſti, *et nunquam ædificabunt* Eccleſiam Chriſti, *ſunt enim operarij iniquitatis.*

**Ab impijs non uult prædicari Deus.**

## CXLVIII.

# Timor non eſt in charitate. Ioan. 4. Beati oẽs qui timent Dñm. Pſal. 127.

**Timor filialis.**

Veteres Theologi *duplicem timorem eſſe affirmarunt: alium filialem, alium ſeruilem dixêre.* Timor *filialis, eſt rectus timor ac cultus* Dei, *quũ ueneror, diligo, colo & metuo* Deum, *non propter aliũ, quàm quòd* Deus *et pater eſt, uelut filius ueneratur et timet patrem ſuum, non quia corripitur à patre: ſed quia amat patrem, et agnoſcit parentem ſuum.* Is *timor* Dei *planè ex amore et fide*

prouę-

*prouenit, non odio aut metu carnali, eſtq́; aliud nihil quã ipſa fides* Pro. 28. *Beatus qui ſemper pauidus eſt. Iſte timor eſt cognitio* Dei, *iuxta illud:* Initium *ſapientiæ eſt timor* Domini. Pro. 9. Pſal. 110. *& de hoc loquitur propheta cum inquit:* Beati *omnes qui timent* Dominum, *qui ambulant in uijs eius:* Inde *dicuntur timentes* Dominum *fideles, pij, & ſancti.* Pſal. 33. Timete Dominum *omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum.* Hiob 1. *dicitur ipſe uir ſimplex, rectus et timens* Deum. Luc. 1. Et *miſericordia eius in progeniem et progeniem, timentibus ipſum.* Alius *uero timor ſeruilis ſcilicet, qui eſt hypocriticus, carnalis, ſimulatus cultus, nõ eſt in charitate inquit* Ioan. *Sed perfecta charitas foras eijcit timorem: quoniam timor cruciatũ habet, id eſt iſte timor, quẽ ſeruilem uocant, non eſt rectus, non eſt ſpiritualis, non eſt dexter, non enim prouenit ex charitate, ſed ex metu pœnarum. Serui enim timent* Dominos *non ex amore, ſed formidine fuſtis: unde natum eſt illud: oderunt quem metuunt, & quot ſerui tot hoſtes.* Carnaliter *ſiue ſeruiliter timent* Deum, *qui ſeruilibus operibus citra fidem et charitatem ſeruiunt, qui uelut iudicem pœnarum metu horrent, uel in periculis aut peccatis, quũ ſentiũt iram* Dei: *alioqui extra pericula & peccata, cũ res ad uota eorum ſucceſſerit, ſecuri non curant* Deum. Eiuſmodi *timor erat in* Iudæis *ad montem Sina, cum audirent tonitrua, fulgura, corruſcationes.* Exo. 19. Q*uando dicunt ad* Moſen: *Loquere tu nobis, & audiemus.* Non *loquatur nobis*

Timor Dei eſt fides ſeu cognitio Dei.

Timentes Dominum.

Timor ſeruilis et hypocriticus.

bis Dominus, ne forte moriamur. Exo. 20. Hic timor eſt in omnibus hypocritis et iuſtitiarijs. Et de iſto timore loquitur diuus Ioannes, cum dicit: Timorē non eſſe ex charitate. Filialis enim timor ex ipſo amore naſcitur. Times enim Deum, quia amas. Impij uero timent Deum, quia oderunt. Fideles ut patrem uenerantur et timent. Increduli uero uelut tyrannum & iudicem fugiunt et metuunt. Virtutis eſt quod recti timent Dominum. Increduli uero niſi ſentirent aliquando iram Dei de cœlo, perpetuo non timerent. Hoc uidit etiam gentilis Poëta, qui cecinit:

Impij timēt Deum, nō ut patrem, ſed uelut tyrannum.

Oderunt peccare boni, uirtutis amore,
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

CXLIX.

Mandata eius grauia non ſunt. 1. Ioannis 5.

Quid tentatis Deum, ut imponatur iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neq; patres noſtri, neque nos portare potuimus. Actorum 15.

Non ſum neſcius me in prima Centuria conciliationū noſtrarum locis. 89. Fermè eadem ſcripſiſſe, quæ nunc repeto. Præcepta Dei leuia eſſe per charitatē, ijs qui ſpiritum Domini acceperunt, qui ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram: alioqui carni eſſent grauiſſima et intolerabilia

Lex Dei quomodo & facilis & dura.

bilia, niſi accederet ſpiritusſancti adminiculum. Quod enim apud homines impoßibile, Deo poßibile eſt Mat. 19. Quod per ſe oneroſum, difficile, & factu graue, hoc per fidem in Chriſtum fit leue & facile. Charitas enim aufert à nobis legis difficultatẽ, et accipit ſpiritum, per quem nihil non leue, iucundum et ſuaue. Quemadmodũ quoq; uulgo dicunt: Sola delectatio cõſeruat operantem in opere. Et Chriſtus ait: Iugum meum commodũ eſt, & onus meũ leue. Mat. 11. Et deinde diuus Ioannes: In hoc cognoſcimus filios Dei, quũ Deum diligimus, et præcepta eius ſeruamus. Hæc eſt enim charitas Dei, ut præcepta eius ſeruemus, et præcepta eius leuia ſunt. Audi uero rationem huius facilitatis. Quoniam omne quod natum eſt ex Deo, uincit mundum, et hæc eſt uictoria quæ uincit mundum, fides noſtra. Quis eſt qui uincit mundũ, niſi qui credit quòd Ieſus eſt filius Dei? 1. Ioan. 5. Hic audis renaſcentiam et fidem ipſam mandata Dei facere nobis leuia, quæ carni dura & importabilia erant. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua et ſpiritu, nõ introibit in regnum Dei, Ioan. 2. id eſt, nemo aptus aut idoneus eſt regno cœleſti, aut obeundis operibus Dei, niſi regenitus aqua & ſpiritu, niſi fidelis & ſpiritualis. Solus igitur ſpiritus facit nos filios Dei: & is ſolus implet in nobis legem. Quia nemo poteſt dicere Dñm Ieſum, niſi per ſpiritum ſanctum. 1. Cor. 12. Eſt itaq; ſpiritus in nobis, qui facit legẽ, qui accipit Chriſtum. Itaq; lex quæ ſpiritui facilis eſt, carni eſt intolerabilis ſarcina. Adde quòd

*Præcepta Dei quibus leuia.*

*Lex ſpiritui facilis.*

lex ſi imponatur ad iuſtificationem, omnino non ſit tolleranda: non enim tradita eſt diuinitus ut purificet hominem, ſed tantũ ut reuelaret qui ſimus intus et in cute, quatenus cognita imbecillitate noſtra, ad medicum noſtrum Ieſum Chriſtũ adſpiremus. Apoſtoli itaq; in Hieroſolymitano concilio, nolebant ut diſcipulorum ceruices alijs atq; alijs legibus de circumciſione, alijsq́; ceremonijs grauarentur, quæ omnino nihil facerent ad ſanctificationem ſpiritus, quandoquidem ſalus & iuſtificatio non ex operibus aut meritis contingeret, ſed ex ſola gratia & miſericordia Dei patris, per Ieſum Chriſtum Dñm noſtrũ. Nolite igitur, inquiunt, grauibus ſarcinis onerare diſcipulorum humeros, quas ſuſcipere ac ſuſtinere nõ potuerunt. Lex Moſi eſt iugum oneris grauius, quàm quod queat à carne ferri. Ieſa. 9. Ro. 8. In ſumma: lex Moſis, quia corda et adfectus requirit, oneroſiſsima eſt carni, Chriſti uero lex eſt facillima. Moſis enim non ſuppeditat uires et ſpiritum faciundæ legis, quemadmodum Chriſtus, ſed tantum urget. Chriſtus uero paracletum ſpiritum ſanctum largitur ſuis cultoribus, per quem faciundi præcepti copia adminiſtratur.

CL.

## Regnum Dei non eſt in ſermone. 1. Corinth. 4.

## Ore fit confeſsio ad ſalutem. Romanos 10.

Apo-

Apoſtolus in Corinthijs contra inflatos & glorioſos doctores loquitur: Qui profitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, qui proijciunt ampullas & ſeſquipedalia uerba, qui etiam perſuaſorijs humanæ ſapientiæ uerbis utuntur, non ſimplicibus, ut eſt ueritatis oratio ſimplex, ſed confuſaneis et obſcuris. Et de ſe inquit: Non miſit me Chriſtus ut baptizarem, ſed ut Euangelizarem, non erudito ſermone, id eſt probabilibus aut uериſimilibus rationibus humani capitis. Infatuauit enim Deus ſapientiam mundi huius. 1. Cor. 1. Et paulò poſt: Ego cum uenirem ad uos fratres, non ueniebam cum eminentia ſermonis aut ſapientiæ, enuncians uobis teſtimonium Dei &c. Et ſermo meus, & prædicatio mea, non erat in perſuaſorijs humanæ ſapientiæ uerbis, ſed in oſtenſione ſpiritus ac potentiæ: ut fides ueſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed potentia Dei. 1. Corin. 2. Rationem uero ipſe ſubijcit: Regnum Dei non eſt in ſermone, non ſunt mox omnes pij atq; ſpirituales, qui uerboſius de uerbo Domini aut ſcripturis loquuntur atq; blacterant. Nam hypocritæ crebro in ore habent: Templum Domini, templum Domini. Hieremiæ 7. Verbum Dei, uerbum Dei, Scriptura, ſcriptura, Eccleſia, Eccleſia. Et Sathanas nouit de ſcripturis pronunciare. Impij quiq; iactitant oracula Dei pica loquatiores: At non eſt pietas multa garrulitas, & frequens ſermo de uerbo Domini, niſi prius corde crediderís. Videmus unctos noſtros ſacrificulos uehementiſſimè Pſalmos re-

Contra ſophiſticos doctores.

Falſi doctores nitũtur pſuaſorijs humanæ ſapientiæ uerbis.

Euãgelium non erudito ſermone utitur.

boare in ſuis templis ac monaſterijs tumultuoſiſsimis. Verum quis magis perſequitur ac odit pietatem, iſtis clamoſis monachis, atq; archadicis aſinis? pietas eſt, ut pius ſis, Deũ timeas, et uocẽ illius audias, corde credas, deinde ut ſeruias proximo. Nõ ſatis eſt ore multa de Chriſto ſtrepere, niſi etiam uita et moribus exprimas Chriſtum. Qui enim dicit ſe noſſe Deũ, et præcepta eius nõ ſeruat, mendax eſt, & ueritas in eo non eſt. 1. Ioan. 2. Et diuus Iacobus ait: ſitis effectores ſermonis, & non auditores tantum, fallentes uoſmetipſos. Iaco. 1. Seruus enim ſciens uoluntatem Dñi, et non faciens, plagis uapulabit multis. Lu. 12. Hoc igitur eſt regnũ Dei, ut iuſtus, pacificus, pauper ſpiritu, ſanctus et innocens ſis. Mat. 5. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Ro. 14. Non eſt regnum Dei cibus aut potus, ſed iuſtitia et pax et gaudium in ſpiritu ſancto. Etenim qui per hæc ſeruit Chriſto, acceptus eſt Deo, et probatus hominibus. Chriſtus quoq; ait: Si me diligitis, mandata mea ſeruate. Ex quibus ſatis intelligis, regnũ Dei non eſſe in loquacitate, ſermone grãdiloquo et boatu monachico, ſed in uirtute, potentia ſiue ſpiritu. Rom. 1. Euangeliũ eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Prædicare Euangelium ut credatur, et certæ reddantur conſcientiæ de ſalute, de gratia Chriſti, et uita æterna, eſt regnum Dei. Paulus itaq; Roma. 10. Non contradicit huic ſententiæ, quando inquit: Ore fit confeſsio ad ſalutem. Dixerat enim de uera confeſsione quæ nõ fit in hypocriſi, aut uanitate laudis atq; iactantiæ

Pietas eſt ſi pius ſis.

Regnum Dei quid ſit.

iactantiæ

iactantiæ ſtudio efflata, ſed de potentia fidei et confeßione fideli. Sic autem habet eius oratio: Si confeſſus fueris ore tuo Dominũ Ieſum, et credideris in corde tuo quòd Deus illum excitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeßio ad ſalutem. Audis ſpiritũ prius fidẽ à nobis requirere, quæ ubi aberit, hypocrita es et uanus iactator, operarius quoq; iniquitatis. Mat 7. Nam quod ex fide non fit, peccatum eſt, Rom. 14. Fidei confeßio, quæ ſpiritualis eſt, prodeſt ad ſalutem. De illa loquitur Chriſtus. Matt. 10. Oĩs qui me cõfitebitur corã hominibus, cõfitebor et ego eum coram patre meo qui in cœlis eſt. Et rurſum Matt. 12. Ex dictis tuis iuſtificaberis, & ex dictis tuis condemnaberis. De ſimulata uero confeßione, quæ tantum ore fit, idem Dominus diſſerit apud Matth. cap. 7. Non quiſquis dixerit mihi: Domine Domine, introibit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit uoluntatem patris mei qui in cœlis eſt, &c. Aliud igitur eſt pietas, aliud hypocriſis. Alia eſt fidei confeßio, alia impietatis. Habes præterea Paul. 1. Corinth. 4. capi. loquentem contra uanos hypocritas & uerboſos pſeudoprophetas, qui tantum ſtudent orationi fucatæ, humanæ prudentiæ, aut philoſophicis rationibus, ut ineſcent, decipiant & circumueniant ſimplices, rectos, pietatis ſtudioſos. Pro. 10. In multiloquio raro deerit peccatum. Ideoq; uitandi ſunt battologi, qui non amant ſimplicitatem, ſed modis omnibus orationem ſuam ornant multis perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ, ratio-

Cõfeßio fine fidei prodeſt ad ſalutem.

Vitandi ſophiſtici cauillatores.

*rationisq́; ſermonibus, adfectata oratione lenocinio uerborum, quibus inanis redditur crux Chriſti.*

## CLI.

# Qui committit peccatum, ex diabolo eſt. 1. Ioan. 3.

# Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit. 2. Cor. 5.

*Deus talis eſt nobis qualē credimus.*

*Scriptura reuera non pugnat, ſed noſipſi pugnamus & quales nos ſumus, tales etiam alios iudicamus. Inſuper* Deus *quoq; nobis talis eſt, qualem credimus & in corde fingimus, ut habet* Pſaltes *ille myſticus: Cum bono bonus eris, et cum uiro immaculato immaculatus eris. Cum electo electus eris, et cum peruerſo peruerſus eris. Pſal. 17. et 2. Sam. 22.* Pari *ratione ſcriptura noſtro iudicio, ut puta carnali, ſibiipſi contraria, et pugnans uidetur, quandoquidem ipſi nobiſipſis minime conſtemus, et ſemper caro pugnat aduerſus ſpiritũ, et ſpiritus aduerſus carnem.* Gal. 5 *ſi quis oculis adponat conſpicilia rubea, omnia quæ tum contemplantur à nobis, eiuſdem coloris cenſentur.* Rurſus *ſi demat, et alterius coloris uitrũ adfigat, mox etiam alius color obuerſatur noſtro uiſui, ex nobis ipſis uniuerſos iudicamus. In hunc modũ carnali ſenſui, qui nunc huc, nunc illuc fertur, uerſatilis quoq; eſt ſcriptura. Spiritualibus uero qui conſtantes, perſpicaces et ſpirituales habent oculos, ſcriptura non pugnat, ſed lucida, concors, ſimplex, firma, ubiq; ſibiipſi ſimilis eſt.*

eſt. Modo adſit ſpiritualis et æquus lector, qui cum iudicio legat uniuerſa. Ioa. itaq; pulchra antitheſi confert iuſtum et iniuſtum, arborem cum fructibus deſcribens. Iuſtus eſt inquit, qui facit iuſtitiã. Iniuſtus uero qui operatur iniuſtitiam. Iuſtus peccatũ non facit, conſeruat ſuã uitam ab immundicia, iniquitate et ſeculo nequam. Rurſus iniuſtus per omnem uitam uolutatur in immundicia, ſordicie, peccatis, uelut amica luto ſus. Bonus homo ė bono theſauro cordis ſui profert bonum, ſicut malus homo ė malo pectore mala depromit. Mat. 12. Rarũ eſt admodum bonã et frugi arborem gignere putrem atq; malum fructum. Commune eſt, qualis arbor talis fructus. Vnde etiam Chriſtus pronunciauit: à fructibus eorum agnoſcetis eos. Quiſquis igitur ex Sathana genitus eſt, & nec dum ex aqua et ſpiritu renatus, parentẽ ſtudio et moribus imitatur. Is mendax eſt, et pater eius rei. Ioa. 8. Is malignus eſt, et ipſa malicia. Sequitur igitur patrẽ ſua proles. Et ob eam cauſam inquit Apoſtolus Ioan. qui facit peccatum, ex diabolo eſt: filij Sathanæ, iræ atq; maledictionis ſunt impij. Et loquitur de cõmuni ſtudio atq; opere. Impij enim nunquam nõ peccant. Mala arbor ſemper malos fructus generat. Licet etiam iuſtus aliquando cadat, tamẽ reſurgit. Pro. 24. et non imputantur ipſi peccata. Impius uero nunquam non iacet in peccatorũ ſordib9, nõ reſurgit, nõ deſinit ſe inuoluere et inqnare alijs atq; alijs ſubinde inquinamẽtis et pollucionibus. Ap. 22. Qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc. Verum alter locus. 2.

Impij ſunt proles Sathanæ.

Cor.

Cor.5. Eũ qui nõ nouit peccatũ, pro nobis peccatũ fecit, ut nos efficeremur iuſtitia Dei p illũ, de Chriſto Ieſu ſic accipiendus: Chriſtus Ieſus non fecit peccatũ, non enim hoc uult Apoſtolus, neq; eſt dolus repertus in ore eius. Ieſa.53. 1.Pet.2. Tentauit quidem eum Sathanas, ſed non inuenit in eo quicquam. Ioan.14. Propterea uere potuit Iudæis dicere: Quis ex uobis conuincet me de peccato? Ioa.8. nihil igitur deliquit, non peccauit, non eſt præuaricator legis dominicæ, quam uenit implere. Matt.5. Sed factus eſt à Deo patre peccatum, id eſt ſacrificium et hoſtia pro peccatis noſtris, ipſe in ſe tranſtulit peccatum noſtrum, factus pro nobis execratio ſeu maledictum, ut nos benediceremur. Tropus eſt ſcripturæ familiaris συνεκδοχή, uelut iam aliquoties memini. Et propheta Hoſe.ca.4. peccatum pro hoſtia peccati accipit, cum inquit: Peccata populi mei comedent ſacerdotes. Pari modo Paulus Ro. 8. De peccato cõdemnauit peccatũ per carnem, id eſt, Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum et maledictio, ſacrificium pro peccato, ut nos à peccato liberaremur, ne in peccatis noſtris condemnaremur: ipſe maledictionem ſubijt, ut nos benedictionem aſſequeremur, mortem paſſus eſt, ne nos moreremur, ſed per mortem tranſiremus ad uitam. Factus eſt inquit Paulus, peccatum et execratio, non commiſit peccatum aut quicquam maledictione æterna dignum. Heb.4. Tentatum per omnia iuxta ſimilitudinem abſq; peccato, maniuit ſemetipſum forma ſerui ſumpta in ſimilitudine hominum cõſtitutus, & fi-

*Chriſtus quomodo factus ſit peccatum.*

*Peccatum pro hoſtia pro peccato.*

*& figura repertus ut homo, humilem præbuit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis. Phil. 2. Deus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrorum, et liuore eius ſanati ſumus. Ieſ. 53. Deu. 21. Maledictus omnis qui pendet in ligno. Quæ omnia nolo intelligas de Chriſto pro ſe, qui eſt iuſtitia, ſapientia, redemptio et ſanctificatio noſtra. 1. Cor. 5. ſed pro nobis factus eſt peccatū, ut fieremus innocentia et iuſtitia Dei per illum. 2. Cor. 5. Factus eſt execratio, ut nos redimeret ab execratione legis. Gal. 1. Caro factus eſt, ut nos fieremus ſpiritus. Non igitur dicit Apoſtolus Chriſtum commiſiſſe peccatum, et propterea eſſe ex diabolo, ſed ipſum Chriſtum à Deo patre ſuo factum peccatum, Er iſt an vnſer ſtat getretten, hat vnſer ſünd auff ſich genommen, iſt zum bürgen vnd bezaler worden, quia non eramus ſoluendo, ſatisfecit pro nobis.*

CLII.

## Noli me tangere, nondū enim aſcendi ad patrem meum. Ioan. 20.

## Mulieres tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Mat. 28.

*Maria Magdalena ob Chriſti carnalem præſentiam carnaliter exultans, non admittitur ut tangat Chriſtum, ſed ad altiora et ſpiritualia prouocatur, ad fidem ſcilicet, propterea dicit ei Chriſtus:* Noli *me tangere.* Nondum *enim aſcendi ad patrem meum, id eſt, nondū credis*

*me*

me ſedere ad dexteram patris, et eſſe eiuſdem potentiæ, ſapientiæ, maieſtatis ac gloriæ cum Deo patre, carnale aliquid in me credis, quod omnino nihil proderit, niſi ſpiritu aut fide me tangas, id eſt, uere me credas Dominum gloriæ. Ideoq́; ceſſa, & ne tetigeris me, alius nunc ſum, glorificatus, immortalis, Deus uiuorum et mortuorum. Alio igitur modo me tangas neceſſarium erit, nempe fide. Regnum meum non eſt externum, ut externis digitulis tangar, ſed ſpirituale, ideoq́; uolo ſpiritualiter tangi. Tibi nondum aſcendi ad patrem, tu me putas non alium, quàm erat Lazarus à reſurrectione, non credis me glorificatum & ſaluatorem, mortisq́; Dominum, ideoq́; non patiar me tangi. Vbi uero tibi aſcendero, id eſt, credideris me uere eſſe ſaluatorem mundi, uictorem mortis, iudicem et Dominum uiuorum atq; mortuorum, autorem uitæ ac ſalutis, tunc me tangito, quod citra fidem non facies. Ro 14. In hoc Chriſtus & mortuus eſt & reſurrexit, & reuixt, ut mortuis & uiuentibus dominetur. Aliâs uero mulieres nihil carnalis apud ipſum quærentes, paſſus eſt ſe tangere, ut certiores eſſent teſtes reſurrectionis eius coram diſcipulis. Propterea conſolatur eas dicens: Nolite timere, ite, renunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, et ibi me uidebunt. Conſulat, ſi quis plura deſiderat, Auguſtinum in concordia Euangeliſtarum, & eos qui ex noſtris ſcripſerunt in Euangelia, Ioannem Bugenhagium Pomeranum. Et Ioannem Brentium Hallenſem.

*Mariā quare non paſſus ſit Chriſtus ſe tangere.*

CLIII.

## Præparate corda ueſtra Domino. 1. Samu. 7.

## Domini eſt dirigere greſſus. Pro. 16.

*Multa in ſcripturis præcipiuntur, & ſpeciem habent quaſi in noſtris ſitum ſit uiribus ea præſtare, ut ſunt fermè omnia legis uerba, aut imperatiua, ueluti ſunt: Lauamini, mundi eſtote. Ieſa. 1. Laua à malicia cor tuum. Hie. 4. Conuertere ad Dominum Deum tuum. Hoſ. 14. Præbe fili mi cor tuum mihi. Prouerb. 23. Diliges Dominum Deum tuum. Deut. 6. Pœnitentiam agite. Mat. 3. Verum non præcepta ſunt, ut mox poßis facere. Lex non præſtat uim faciendi bonum. Sed propterea ſcripta ſunt ad nos, ut pendeamus à ſolo Deo omnipotente, dum noſtrã impotentiam, fragilitatem et debilitatẽ coram nobis cõtemplamur. Lex enim data eſt, ut reducat nos in noſtri cognitionem, et demonſtret quàm nulli et imbecilles ſimus, & ne tantillum mutare poßimus ingenium noſtrum et carnis naturam. Hier. 13. Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut Pardus uarietates ſuas, & uos poteritis benefacere, cum dediſceritis malum. Sed quando dediſcemus, aut obliuiſcemur malitiæ? quando cœli mouendi ſunt & terra. 2. Corin. 3. Non ſumus idonei ex nobis ipſis cogitare quicquam, tanquã ex nobis ipſis: ſed omnis idoneitas noſtra ex Deo eſt, qui et idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non literæ, ſed ſpiritus. Infirmi ſumus*

*Quare Deus impoßibilia nobis præceperit.*

*Contra liberum arbitrium.*

& impotentes, omnis fortitudo noſtra ex Deo eſt. Pſal. 67. Deus Iſraël ipſe dat uirtutem et fortitudinem populo. Iſte operatur in nobis, ſi quid probe fecerimus, ille innouat cor noſtrum, & dirigit greſſus noſtros. Pſal. 36. Homo inſtituit in animo, uerũ à Dño ſermo linguæ eſt. Hominibus ſuæ uiæ mundæ uidentur, At Deus impellit ſpiritus. Cor hominis deliberat de uia ſua, Dñs uero promouet greſſus ſuos. Prou. 16. Nihil igitur eſt illarum rerum, immutandi cor, ponẽdi affectus, in uiribus noſtris, aut libero arbitrio. Solus Deus omnia poteſt, nos poſſumus ne tantillum, niſi ille ſpiritu ſuo induerit, et cor nouum reddiderit. Deus eſt qui agit in nobis et uelle et perficere, pro boni animi propoſito. Phil. 2. Vnde ait ipſe Dñs per prophetam: dabo eis cor, ut ſciant me. Hie. 24. Ergo ſine Deo nihil poſſumus. Vnde toties orant ſancti: dirige me Domine Deus meus, doce me iuſtificationes tuas. Cor mundũ crea in me. Quibus uerbis palàm indidicant, ſe nihil poſſe ſuis uiribus et lib. arbit. citra Dei auxilium. Et ſunt tamen homini multa præcepta, ut per ea in ſui cognitionem, imbecillitatem, fragilitatẽ, impotentiam et miſeriam inducatur, et diſcat confidere in Domino, inuocare Dñm, diffidere de ſua præſumptione, uiribus et ſanctitate, et inſuper ſperare in Dñm Deũ. Vult Deus hiſce grauibus et intollerabilibus præceptis, hominem ad ſe allicere. Iſtam de lib. arbit. et uiribus humanis diſputationem habuit Dñs Ieſus cum Nicodemo principe Iudæorum. Ioan. 3. Ratio & prudentia humana non

*Deus operatur omnia in omnibus.*

uult

*uult cedere ſapientiæ* Dei, *ideoq́; ſuccumbit.* Repete *ſi uoles quæ in prima* Centuria *conciliationum ſuper hac re ſcripſimus copioſe, nec erit opus nos acta agere.*

CLIIII.

## Qui curat diem, Dño curat. Rom. 14. Dies obſeruatis et menſes, et tẽpora et annos, metuo de uobis, ne fruſtra laborauerim erga uos. Gal. 4.

Paulus *in tota* Epiſtola *quam* Romanis *ſcripſit, duo potiſsimum docet, fidem et charitatem.* Fidem *docuit ab initio* Epiſtolæ *uſq; ad 12. ca. in quo incipit, et uſq; ad finem docet charitatem, quæ ſunt oĩm bonorum operũ regula.* Erant *itaq;* Apoſtoli *temporibus fortes et infirmi.* Fortes *ueſcebantur quibuslibet, apprehenderãt enim libertatem* Chriſtianam, *ſciebant credentibus oĩa eſſe libera, ſancta atq; munda.* Præterea *eſcã nos* Deo *non cõmendare.* Neq; *ſi comedamus, aliquid nobis ſupereſt: neq; ſi non comedamus, quicquã nobis deeſt.* 1 Cor. 8. *ijdẽ quoq; fide fortiores nõ obſeruabant dierũ diſcrimina, nouerant enim apud* Chriſtianos *eſſe perpetuũ ſabbatum.* Ieſa. 66. Omnes *dies ſacros eſſe, nullum ſanctiorem altero, quãdo filius hominis eſſet quoq;* Dominus Sabbati. Mar. 2. Verum *non deerant infirmi, qui iſtam libertatem nondum apprehenderant, ij abſtinebant à quibuſdam cibis, obſeruabant quoſdam dies religioſos, quos fide fortiores præ ſe contemnebant, ex quibus* Apoſtolus *ſumpſit occaſio-*

*Infirmorũ habenda ratio.*

*Omnia munda mundis.*

Infirmos nõ eſſe offendendos. nem ſcribendi huius capitis. Et iubet infirmos fide ſuſcipiendos non ad diiudicationes diſceptationum. Prohibet offendiculum, ne infirmi à fortioribus lædãtur, et ponatur lapſis occaſio. Si enim propter cibũ contriſtatur frater tuus, non iam ſecundum charitatem ambulas, inquit Apoſtolus: Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Ne ueſtrum igitur bonum, hominum maledicentiæ ſit obnoxium. Nõ enim eſt regnũ Dei cibus et potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium in ſpiritu ſancto, Ro. 14. Expende totum caput, et uidebis quanta ſit habenda ratio infirmorũ, tu igitur ne reijcias, quos Dominus non reijcit. Nam quod illi curant diem, Domino curant. Et qui non curat diem, Domino nõ curat. Vnicuiq; ſua mens ſatisfaciat: quiſquis certus ſit de ſua conſcientia, ut ſibiipſi ſatisfacere poſſit, ne edat, aut quicquam aliud faciat cõtra conſcientiam. Habes nunc Paulum hoc loci de infirmis loqui, quod non facit in Epiſtola ad Gal. Nam ibi cõtra ſanctulos, hypocritas, iuſtitiarios, qui poſuerunt ſpem in brachium ſuum, à pſeudoapoſtolis ſeducti, operibus legis Moſaicæ tribuebant iuſtitiã, quod eſt

Idololatria eſt cõfidere in propriã iuſtitiam. abnegare Chriſtũ, et manifeſta idololatria, ideoq; acerbius in eos inuehitur. Galatæ enim non erant infirmi, ut daret ipſis aliquid Apoſtolus, & toleraret infirmitatem ipſorum, ſed ſibi arrogabant ſanctitatem, ſcientiam, & quid non? abiecerunt elementa, et ſapere ſibi uidebantur atq; regnare. Ait itaq; Apoſtolus: tum cum ignoraretis Deũ, ſeruiebatis iis, qui natura nõ ſunt Dii, eratis ſimulacrorum

ſacrorum cultores. At nunc poſteaquã cognouiſtis Deũ, quin potius cognıti eſtis ex Deo, quomodo conuertimini denuo ad ınfirma & egena elementa, quibus iterum ab integro ſeruire uultis? dies obſeruatis & menſes, et tempora, et annos, metuo de uobis, ne fruſtra laborauerim erga uos. Deinde addit: In libertate igitur, qua Chriſtus nos liberauit, ſtate, et ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini. A gratia excidiſtis, quicunq; per legẽ iuſtificamini, Chriſtus uobis factus eſt ocioſus. Gal. 5. In hunc ſcopum defixa eſt tota Epiſtola, ut probet iuſtitiam eſſe ex fide, et nõ ex operibus legis: quod idem facit in Epiſtola ad Roma. Errabant igitur Galatæ, qui à iuſtitia Dei aut fidei in operum ıuſtitıam atq; fiduciam reciderant, quos reuocat Paulus, et contundit pſeudoapoſtolorũ ferociã, magno ſpiritu docens fide iuſtificari hominẽ, nullos cibos immundos, niſi immundis, quibus nihil eſt mundum Tit. 1. nullum habendum diſcrimen dierum, oẽs dies eſſe ſanctos, nullos præterea prophanos. Omnia enim opera Dei ſunt bona, et nihil reijciendũ ſi cum gratiarũ actione ſumatur. 1. Ti. 4. Peccant igitur Papiſtæ, dum prohibent cibos, faciunt diſcrimen dierum, et peccatum peccato accumulant. Omnes dies ſancti ſunt, non eſt ullus ſanctior altero, propterea cauit Paulus ne conſcientiæ obligarentur iſtis nugis. Col. 2. Nemo uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei feſti, aut nouilunij, aut ſabbatorũ, quæ ſunt umbra rerum futurarũ, corpus aũt Chriſti. 1. Cor. 7. Precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Lu. 12. Ca-

Galatarum error.

uete à fermento phariſæorum etc. Sunt igitur media, media: et libera, libera. Tu ne cogas fratres ad media aut libera, alioqui redigiſti libertatem in ſeruitutem, et media ad neceſſaria. Libera uoco, quæ nõ ſunt captiua, aut lege diuina prohibita, ſed omnib. aperta, licita et permiſſa, ut liceat ea facere uel obmittere. Liber campus eſt à quo nemo arcetur, qui omnibus apertus eſt: tu uero ſi aliquos cohibebis, reddis campum non liberum. Matrimonia libera et licita ſunt: at quũ tyrannus, uelut fecit Antichriſtus, ſacerdotibus, monachis, aut ueſtalibus interdixerit connubia, qui quæſo libera ſunt? Si uis coniugia eſſe libera, patere ut coniuges aut mariti fiant, quicunq; continentiæ dono orbati fuerint, ſint uel monachi uel uirgines. Idem iudiciũ eſto de alijs rebus, quas medias uocant. Carnes liberæ ſunt: tu uero Antichriſte caue ne interdicas nobis carnium eſum ſextis ferijs: & quæ Deus purificauit, tu communia aut immunda ne dixeris. Ne ſinas te adorari, beſtia enim es. Dominũ Deum tuũ adorabis, et illi ſoli ſeruies. Circumciſio nihil eſt, præputium nihil eſt, ſed fides per dilectionẽ operans. Gal. 5. In rebus medijs fides et charitas ſint canõ et ſcopus. Multa ſunt hodie inutilia et uana ſimulachra, quæ pertinatiores et qui ſibi aliquid eſſe præ cæteris uidẽtur, pro medijs iudicant et præcepto cauent, ne quid diuerſum ſtatuatur: uerum ſi hic fides et charitas magiſtra eſſent, longe ſecius pronunciarent. Suum cuiq; pulchrũ. Et quis non filius formoſus matri? Noctua ſuos pullos omnium maximè admiratur.

Libera quæ ſunt.

De rebus medijs.

Suum cuiq; pulchrum.

In re-

*In rebus fidei non deberent regnare caro et adfectus carnalis,ſed potius magiſter ſpiritus. Tum uero regnat magiſter ſpiritus,quum omnia ad amußim diuini præcepti exegerimus,& non ſequimur quod nobis rectum uidetur,iuxta bonum,quam uocant intentionẽ, ſed id ſedulo curauerimus,ut quàm ſimpliciſ ſimè ſecundum* Dei *uerbum atq; conſilium ambulemus. Chriſtus uia eſt,ueritas & uita.* Ioan. 14. Patiamur *ergo,ut ille ducat et dirigat greſſus noſtros:* Non *docebit nos mendaciũ, non detrudet ad mortem perpetuam.* Qui *ambulat ſimpliciter,ambulat confidenter.* Prouerb. 10. A*gnouimus iam pridem* Papam *eſſe* Antichriſtum*(niſi nunc nouus fiat, abiecto ueteri exuuio) ipſius miniſtros atq;* Epiſcopos *eſſe ſatellitium et comitatum* Antichriſti. Quid *igitur à parte eius ſtamus?* Si Dominus *eſt* Deus,*ſequamur eum. Chriſtum profeßi ſumus: at à* Chriſto *ſumus uita & ritibus ſacris alieniſsimi.* Baptiſmum *&* Euchariſtiam *ſacra ſymbola inter* Deum *et patrem,et nos homines,purißimè et ſimpliciſsime tractemus quæſo, ne uideamur plus ſapere q̃ ſapuerunt unquam* Apoſtoli. Simus *fideles miniſtri, & diſpenſatores myſteriorũ* Dei,*quando nõ noſtra res agatur,ſed* Dei. Si *mortui ſumus cum* Chriſto,*ab elementis mundi,qd quaſi uiuentes in mũdo decretis tenemur?* Col. 2. Non *tam à malo,ſed etiã à ſpecie mala abſtinendũ monet* Paulus. 1. The. 5. Non *iurauimus in uerba ullius magiſtri,niſi* Chriſti Ieſu. Ideoq; *ſinamus* Antichriſtũ *cum omni ſpecie ſua atq; laruis,et inducamus* Eccleſias,*qui-*

*Spiritus regnet in rebus* Eccleſiaſticis.

A *ſpecie mala abſtinendum.*

*bus præfecti ſumus per Dei miſericordiam ad ſimpliciſſimam ſimplicitatē, quæ eſt Chriſtus Ieſus. Poſuit nos ſpiritusſanctus Epiſcopos ad paſcendū Eccleſiam Dei, quā acquiſiuit ſanguine ſuo. Ne ſimus igitur operarij iniquitatis, et ſerui infideles. Exaudi me dñe Deus meus. Amē.*

CLV.

Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Gene. 15. Rom. 4.

Abraham pater noſter nonne ex factis iuſtificatus eſt, cum obtuliſſet Iſaac filium ſuum ſuper altare? Iacobi 2.

*Iuſtitia dei quæ ſit.* *Qui hoſce locos conciliare ſtuduerunt, duplicem iuſtitiam dixêre, Dei & hoīm, id eſt, unā quam Deus membris ſuis adſcribit. Alteram quā homines tribuunt alijs. Dei iuſtitia eſt, quum Deus nobis non imputat peccata, ſed propter gloriam nominis ſui remittit, & nos pro iuſtis, gratis, dilectis filijs, amicis, hæredibus reputat, quando nos adoptat, eligit, benedicit, ſuamq́; iuſtitiam nobis communicat: quod fit, quum ipſi toto pectore addicti fuerimus, & uerbo eius firma fide crediderimus, nec hæſitamus quicquam: qualiter fecit Abraham pater noſter, qui iuſſus ſuſpicere cœlū, et numerare ſtellas, audijt promiſſionem Dei de futuro ſemine. Credidit igitur*

*pius*

*pius pater diuino oraculo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Quid reputatum eſt ei ad iuſtitiam? Fides, quia credidit promiſsioni diuinæ. Hic nulla opera aut merita patris Abrahæ percenſentur, ſed tantum dicit Moſes: Credidit Abraham Deo, et reputatũ eſt illi ad iuſtitiam. Deus habuit et acceptauit ipſum pro iuſto, qa credidit. Iſtud exemplum ſanctiſsime tractat Apoſtolus Paulus. Rom. 4. Alia eſt iuſtitia humana ſiue legis, qua homines iuſtum aliquem, atq; ſpectatæ fidei declarãt, ambulantem in lege Domini. Matt. 12. Ex uerbis tuis iuſtificaberis, id eſt, homines te iuſtum declarabunt propter facta tua. Lu. 10. Legiſperitus uolens iuſtificare ſeipſum, id eſt, iuſtus cenſeri ab hominibus. Ita putant Iacobum dicere, Abraham ex operibus iuſtificatum, ſcilicet ab hominibus, qui ubi uiderunt ſanctitatem patris, uitæq; innocentiam, & opera pia, iuſtificauerunt eum, hoc eſt, iuſtum, ſanctum, & pium habuerunt aut pronunciauerunt. Si ita interpreteris, iam non pugnant Paulus et Iacobus. At ſi utrunq; de Dei iuſtitia intelligas, quomodo conciliabis? bona opera ſunt iuſtitiæ aut fidei fructus & indicia: uerum Deus cor ipſum conſpicit, et iuxta cor iudicat. Niſi loquatur Iacobus de fructibus cum tota arbore, quòd Abraham iuſtificatus ſit à Deo, quod iuſtitiam dilexerit, & fructus iuſtitiæ de ſe dederit. Malo tamen alium quempiam componere hic Paulum & Iacobum. Et certe nihil laboris fuiſſet, ſi non exemplum ſcripturæ huc detorſiſſet, quæ de nullo opere, ſed de nu-*

*Abraham fide iuſtificatus eſt.*

*Iuſtitia humana, ſiue legis.*

da ac ſimplici fide loquitur. Meam ſententiam indicaui in annotationibus meis in Epiſtola Iacobi. Si cui quippiam religioſius, & quod Iacobinæ ſententiæ ſit propius, reuelatum eſt, aperiat nobis, et laudabimus Dominum in ſanctis eius. D. Philippus Melanchthon in commentarijs in Epiſtolam Pauli ad Roma. & in Confeßionis Apologia hos locos probe compoſuit et explicauit.

CLVI.

Attendite ne iuſtitiam ueſtrã faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis. Matt. 6.

Luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideãt ueſtra bona opera, glorificentq; patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt. Matt. 5.

*Iuſtitia phariſaica prohibetur*

*Chriſtus nõ prohibet, ne faciamus bona opera coram hominibus, ſed phariſaicam iuſtitiã et hypocriſim damnat, non tam hic quàm ubiq; in ſcripturis. Cum præſtas, inquit, eleemoſynã, ne tubis canatur ante te, quemadmodum hypocritæ faciunt in cõciliabulis, et in uicis, ut glorificentur ab hominibus. Amen dico uobis, habent mercedem ſuã, uult dicere: omnino debetis bene facere et præſtare eleemoſynam, ſed non hoc ſtudio, ut uideamini ab hominibus, ut captetis beneuolentiam, laudis, gloriæ aut famæ ſtudio. Hoc omnium maxime cauendum uelut præ-*

*ſentißimum*

ſentiſſimum uenenum, in omnibus operibus Dei, ne noſtra quæramus, ne ambitioſi ſimus, ne titillemur cupidine laudum. Phariſaica eſt iuſticia, et mera hypocriſis, ſi tantum ſpectes uulgi gloriolam, proprium commodum non gloriã dei. Si uero gloriam Dei quæris, tũ præſtas eleemoſynam, non ulla habita laudis tuæ ratione: ſed quia Deus præcepit tibi miſericordiam, et proximus tuus indiget tuo auxilio. Si iſtam habueris mentem et ſpiritum, ut non tua quæras, ſed nominis dei gloriam, & proximi neceſſitatem ac utilitatem, præſta eleemoſynam, ſiue in publico coram hominibus, ſiue in oculto ſolus ſis, abſit tantum appendix iſta laudis ſtudium, ac iuſticiæ propriæ fumus. Vides enim quid dicat Chriſtus: attendite ne eleemoſynam ueſtram præſtetis corã hominibus, quo ſpectemini ab illis. Si oculus fuerit ſimplex, totum corpus lucidum erit, id eſt, ſi mens, fides, & adfectus cordis, fuerit ſimplex, rectus & integer, totum opus erit rectum. At ſi oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit. Si fides mortua fuerit, et adfectus malignus, erit quoq; totum opus prauum atq; peccatum. Matt. 6. Quicquid enim ex fide non fit, peccatum eſt. Roma. 14. Hoc autem ex fide non fit, quod uanæ gloriæ deſiderio atq; ambitione facimus. Eiuſmodi opera quantũuis ſplendeant, tamen peccata ſunt. Ipſi enim ſoli debetur honor & gloria, nõ tibi aut tuis operibus. Præterea non uetat uideri ab hominibus, ſed uelle uideri. Phariſæi enim omnia opera ſua faciunt, ut ſpectẽtur ab hominibus. Mat. 23

Phariſaica iuſticia.

Oculus ſimplex.

Oculus malus.

Ab iſto exemplo et facto reuocat Dominus Ieſus. Vidit enim nos omnes trahi cupidine laudis. Aliâs benefaciendum eſt fratri qui eget, et Dñs requirit à nobis miſericordiam: φιλαυτία uero deuitanda eſt. Vnde dixit alibi: Luceat lux ueſtra corã hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, glorificentq; patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt. Idem monet quoq; Apoſtoli. Ro. 12. Proinde patrantes honeſta in conſpectu oĩm hominum. 2. Cor. 8. Procurantes honeſta, non tantum coram Dño, ſed etiam coram hominibus. 1. Pe. 2. Dilecti, obſecro tanquam aduenas & peregrinos, abſtinete à carnalibus concupiſcentijs, quæ militant aduerſus animam, et conuerſationem ueſtrã habete honeſtam inter gẽtes, ut in hoc quod obtrectant uobis quaſi maleficis, ex bonis operibus æſtimantes uos, glorificent Deum in die uiſitationis. Facienda ſunt bona opera in conſpectu hominũ, ne male audiat Euangelium inter gentes, ut uiſis operibus noſtris glorificetur Deus pater. Hoc totum cauendũ, ne propterea beneficiã proximo, ut conſpicuus ſiã et collauder ab hominibus. Deus gloriam ſuã alteri non uult dari, nec laudẽ ſuam ſculptilibus. Ieſ. 42. Solus uult benedici et laudari in ſecula. Diſplicet ei, ſi talentum noſtrum in terram foderimus, & non paramus nobis amicos de Mammona iniquitatis. Date, inquit, & dabitur uobis. Beati miſericordes etc.

Luceat lux ueſtra corã hominibus.

CLVII.

# Iniquos odio habui, Pſal. 118.

Bene-

Benedicite ijs, qui uos perſequũtur. Rom. 12.

*Dauid propheta Pſalmo. 119. odiſſe ſe canit iniquos, id eſt, inconſtantes (hoc enim hebræa uox ſignificat) qui in ſano uerbo aut certa ſententia minimè conſiſtunt, ſed huc atq; illuc, more arundinis uento agitatæ rapiuntur: hac inſtar procellarum tempeſtatibus actarũ fluctuant: uagas, inconſtantes atq; confuſas habentes cogitationes. Quo uerbo etiam Elias propheta exprobrans populo Iſraëlitico inconſtantiã, uſus eſt: Vſq; quo, inquiens clau dicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: Sin autem Baal, ſequimini illum. 3. Re. 18. Videtur etiam Chriſtus huius uerbi ſignificationem in metaphora illa de Ioanne Baptiſta. Matt. 11. expreſſiſſe: Quid exiſtis in deſertum ut uideretis? Num arundinem, quæ agitatur à uento? Volens indicare Ioannem firmũ et conſtantem eſſe in ſua confeßione. Verſum itaq; Dauidis D. M. Luth. ſic reddidit: Ich laſſe die Ketzer oder wanckelmütigen, die fladergeyſter, das iſt, die vnbeſtendigen geyſter die ymmmer etwas news finden vnd fürnemen. Qui aliud atq; aliud excogitant, effingunt, et apud ſe parturiunt: nõ adhærent firmo et cõſtanti Dei uerbo, qualiter hodie phanatici noſtri, quos Schwermeros uocamus, noua nouis addunt, et ignem igni, malum malo apponunt. Iſtos inquit propheta, odi, non poſſum fauere illis, quia legem tuam dilexi, non ob aliud, quàm quòd legem tuam præuaricantur, nullo nocendi affectu odi iniquos. Tu*

impium

impium Eſau odiſti. Mal.1. Ego tuo exemplo non delectior, nec faueo iniquis, ſed quantum poſſum deuito ipſorum conſuetudinem. Alioqui enim amant pij peccatores, non peccatum ipſum, et prouocant ad pœnitentiam. Verum iſtos impios, pertinaces, præfractos ac cogitabundos cogitantes cogitationes malas, qui ſemper in deterius delabuntur & ueritatem Dei contemnunt, aut calumniantur pertinaciſſimè, nõ amant ſancti, ſed orant Deum patrem, ut tollat eos aut conuertat ad ſe. Nec pugnat uerbum Chriſti cum propheta. Vides enim ubiq; ſanctos benedixiſſe & beneprecatos perſequentibus ſe, optarunt ſemper, ut Dominus miſertus ipſorum, reducat ad reſipiſcentiam, ne in peccatis ſuis pereant. Adde quod Chriſtianis conueniat, nõ tam amicis bene precari, ſed et inimicis: iuxta Chriſti uerbum Mat.5. diligite inimicos ueſtros, bene precemini deuouentibus uos, benefacite ijs qui uos odio perſequuntur: orate pro ijs qui lædunt & inſectantur uos, ut ſitis filij patris ueſtri, qui eſt in cœlis, qui ſolem exoriri ſinit ſuper malos ac bonos, et pluuiam mittit ſuper iuſtos et iniuſtos etc. Non inquit, iniquos diligite, ſed inimicos, ne putemus conſortium commiſcendũ cum impijs. Diuus quoq; Petr. eadem monet quæ Chriſtus. 1. Pet. 3. Omnes ſitis unanimes, ſimiliter affecti, fraterna præditi charitate, miſericordes, affabiles, nõ retaliantes malum malo, aut conuitium conuitio, ſed contra benedicentes, ſcientes uos in hoc uocatos eſſe, ut benedictionem hæreditate poſſideatis &c. Hoc idem agit mul-

*Chriſtianorum eſt benefacere inimicis.*

tis

*tis uerbis* Paulus Roman. 12. *Exemplum huius præſtitit nobis Chriſtus, qui cum malediceretur, non regeßit maledicta.* 1. Petri 2. *Sed orauit pro crucifigentibus.* Lucæ. 23. *Quod poſtea Stephanum feciſſe legimus.* Acto. 7. *In ſumma, pij non perſequuntur impios, niſi uerbo* Domini, *quod eſt gladius & armatura omnium uere credentium: iſto oppugnant atque expugnant omnes ſuos hoſtes, monent, corripiunt, arguunt, docent, & conſolantur tempeſtiue & intempeſtiue: cuperent enim omnes ad ueritatis cognitionem uenire.* Non *agunt tyrannos, latrones aut carnifices, inſtar impiorum, qui ferro & igni ſæuiunt in pios, ſed tantum uerbo urgent, cogunt atq; uincunt.* Rurſus *impij nullam non tyrannidem exercent, omnes acuunt gladios, furore & inſania parati, mallent omnes bonos uiros extinctos: Cain odit fratrem ſuum* Abel, *Iſmael aſpernatur Iſaacum, Eſau perſequitur* Iacob, *Iudæi prophetas et prophetarum* Dominum *Chriſtum.* Idem *atq; æquale odium non exercent ſancti in impios:* Zelus *eſt et potius amor, non odium parricidiale atq; liuore plenum.* Porrò *ſi omnino perſequuntur ſancti* Dei *impios, zelo* Dei *aut officio faciunt, dolent legem* Domini *tantopere aſpernari, & calumniari: mallent gloriam nominis* Dei *minimè proſcindi ac conuiciari.* Orant *igitur dominum, tollat iſtas peſtes et publica mala, ne corrumpant bonos homines, & ſecum ad gehennam præcipitent.* Dicuntur *itaq; eos perſequi, dum tanta uehementia ſpiritus inſectantur et prouocant*

*Impij tyrānidem exercēt in pios.*

*ad reſipiſcentiam.* Dominus *illuminet cæcos & ueritatis hoſtes ad nominis ſui gloriam,* Amen.

CLVII.

# Patrē nolite uocare uobis ſuper terram, unus eſt enim pater ueſter qui in cœlis eſt. Matt. 23.

# Honora patrem tuum & matrem tuam. Exod. 20.

*Chriſtianus homo carnalē et ſpiritualē habet patrē.*

Q*uilibet* Chri*ſtianus homo duos habet patres, carnalem unum, è quo iuxta carnē et ſanguinem animalis homo genitus eſt.* Alterū *ſpiritualē iuxta fidem, è quo noua creatura, ſpiritualis,* Chri*ſtianus, nouusq; homo naſcitur ex aqua et ſpiritu, et incorruptibili ſemine, quod eſt uerbum* Dei *uiuentis in æternū.* Primus *parens noſter eſt* Adā *terrenus, ex quo et ipſi terreni peccatores, filij iræ et immundi gignimur. Secundus parens eſt* Chri*ſtus* Ie*ſus filius* Dei *è cœlo, per quem ſpirituales filij* Dei *naſcimur* Io. 1. Dedit *eis poteſtatē filios* Dei *fieri etc.* Nemo *uero renaſcitur ſpiritualis, niſi prior carnalis ſit genitus: quemadmodum* Chri*ſtus cum* Nicodemo *diſputat.* Io. 3. Prima *natiuitate impuri ſumus,* Altera *ſancti.* Quū *itaq;* Chri*ſtus prohibet patrē uocare ſuper terrā, intelligit ſpiritualem, non carnalem: ne ſcilicet alium ſpiritualem patrem agnoſcamus quàm ipſum ſolū, qui natura ſit ſpiritualis pater.* Et *licet ſint qui patres ſpirituales dicantur, non tamen natura eſſe patres, participatione ac denomi-*

1. Cor. 4. Galat. 4.

nation*e*

natione. Ita Paulus ſe Corinthiorum, Galatarum, Timothei, aliorumq́; patrē appellat, ſcilicet propter Euāgeliū quod annunciauerat. Iſtud enim eſt mater oīm ſpiritualiū filiorū Dei, iuxta illud: In Chriſto ego uos genui per Euangeliū. 1. Co. 4. et illud: qui portamini à meo utero, et geſtamini à mea uulua. Ieſ. 56. Omnes Euangelij prædicatores et Apoſtoli ſunt ſpirituales patres, non natura uelut dixi, ſed participatiōe et miniſterio: uelut lux mūdi et ſal terræ appellantur, Chriſtus uero natura uerus eſt ſpūalis pater et regenerationis autor, ſicut natura eſt lux mundi et ſal terræ: hanc gloriā ac laudē ſolus exigit, nec uult ut quiſquàm hoc nominis ſibi uſurpet temerè, quod nemo regenerare poſſit, et ſpūm ſanctificatiōis infundere, niſi ſolus Deus. Omnes alij tantū miniſtri et organa ſunt, ipſe uerus pater, doctor Dn̄s et magiſter eſt. In regno corporali ſunt parentes, magiſtri, doctores, Dn̄i, magiſtratus, principes ac reges, ſicut Chriſtus inquit: Reges gentiū dominantur etc. Hi quidem honorandi et Dn̄i ac patres appellandi ſunt: ſed quatenus Dn̄i ſunt, eatenus et parendum illis. Corporum ſunt genitores atq; rectores, Deus uero ſpiritus eſt et mentiū genitor et rector. Ideo ſolus in ſpū et ueritate adorandus et colēdus: ſolus fidei noſtræ et doctor et magiſter eſt. Licet itaq; Apoſtolus fuit ſpiritualis pater Corinthiorum, tamen noluit dominari fidei ipſorum. 2. Corinth. 1. ſed tantum miniſtrum Dei ubiq; ſe agnoſcit et prædicat, quemadmodum legis. 1. Corint. 3. & 4. & aliàs non raro: habes quare Chriſtus

1. Tim. 1.

Prædicatores Euāgelij ſunt patres ſpirituales.

*ſtus uetuerit patrem ſuper terram uocitandum.*

CLVIII.

# Vos nolite uocari rabbi, unus eſt enim magiſter ueſter Chriſtus. Ma. 24 Plures magiſtros habetis. 1. Cor. 4.

*Si repetieris proximam diallagen:* Patrem *nolite uocare uobis ſuper terram:* Et *honora patrem tuum, habebis quoq; horum locorum conciliationẽ.* Chriſtus Ieſus *non eſt terrenus ac corporalis* Dominus, *rex et magiſter, ſed ſpiritualis.* Regnum *enim ipſius non eſt de hoc mundo.* Quemadmodũ *itaq; ſpiritualis eſt doctor, ita ſpirituales diſcipulos atq; auditores deſiderat.* Quando *aũt* Chriſtiani *ſpirituales facti ſunt per* Chriſti *ſpiritum, qui in eis habitat, et ſpirituale ſemen, quo regeniti ſunt, exigit* Dominus, *ne alium magiſtrũ agnoſcant in terris, quàm illum animorum ac ſpiritus parentem et largitorem cœli et terræ.* Reliqui *doctores ſpirituales illius ſupremi* Opt. Maximiq; *magiſtri, miniſtri ſunt, uelut paulò ante annotaui, et* Paulus *probat.* 1. Cor. 3. *dicens: quis eſt* Paulus? *quis* Appollo? *niſi miniſtri p quos credidiſtis?* Fuit *quidem.* Paulus *gentium doctor, ſicut* Petrus *Iudæorũ, ſed per* Chriſtum *et in* Chriſto, *qui dederat illis miniſterium reconciliationis, iuxta illud:* Nonne *Chriſti legationẽ fungimur?* 2. Cor. 5. *Illi præterea doctores præter* Chriſti *uerbum nihil docebant, ſed tanquã præſentiſſimũ uirus diuerſam doctrinam fugiebant et abominabantur.* Ita *ut* Paulus

> Chriſtus ſpiritualis magiſter.

Paulus diceret: Si quis diuerſam ſequitur doctrinam, & non accedit ſanis ſermonibus domini noſtri Ieſu Chriſti, is inflatus eſt etc. 1. Tim. 6. Et ſi angelus è cœlo prædicauerit Euangelium præter id quod prædicamus uobis, anathema ſit. Gal. 1. Apoſtoli ſuum magiſtrū referebant et prædicabant ubiq;, id quod Lucas in geſtis Apoſtolorum ſatis copioſe narrat, et Paulus præter Chriſtum nihil iactat, nec audet quicquam eorum loqui, quæ non effecerit Chriſtus per ipſum. Rom. 15. nihil ſe iudicās ſcire præter Chriſtum crucifixū. 1. Cor. 2. ut Corinthijs auſus ſit dicere: An experimentū quæritis loquentis in me Chriſti? 2. Cor. 13. tam certi fuerunt Apoſtoli ſuam doctrinam eſſe uerbum Dei: nihil enim ex ſuo capite, conſilio et intentione prædicabant, ſed hoc tantum diligentiſſime docebāt, quod Chriſtus magiſter docuiſſet et demandaſſet. Prohibens igitur Chriſtus ne rabbi uocemur, uult ne ſibi arrogent aut ſumant magiſterium et quiduis docendi autoritatē, ſed unius magiſtri doctrinā ipſi quoq; doceāt, ne noua ipſi addāt aut cōminiſcantur. Q. d. ego ſum magiſter ueſter, uolo meū dogma paſſim doceatis, uos tantū diſcipuli eſtis, nō magiſtri. Imò ſi magiſtri eſtis, per me eſtis, nō ueſtra autoritate. Ego uos creaui in doctores, ut meum uerbū diligentiſſime circumferatis et prædicetis. Nō addetis quicquā, nō ut ueſtras cogitationes, ſomnia, ſynodos aut cōcilia annuncietis. Ego ſum lux mūdi, qui illumino oēs uenientes ad me. Ego ſum uia, ueritas et uita, me itaq; prædicate, nā de plenitudine mea accepiſtis.

## CLIX.

# Quis ex uobis arguet me de peccato? Ioan. 8.

# Hic homo peccator eſt. Ioan. 9.

*Vbi noſtra translatio habet: quis ex uobis arguet me de peccato, Græcus legit, τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας, id eſt, Quis ex uobis conuincet me de peccato? Græcũ uerbum ἐλέγχειν non ſimpliciter arguere ſignificat, ſed conuincere: quando ſcilicet aduerſarius firma probatione ſuperatur ac conuincitur. Quibus uerbis hoc ſentit Chriſtus: uos Iudæi accuſantes atq; arguentes me, multa mentimini et effingitis, ſed quis ueſtrũ me peccati conuincet? patiar uos falſa in me congerere teſtimonia, et nunc huius nunc alterius peccati arguere: at ut cum ueritate me accuſetis, aut ullius criminis conuincatis, nemo quibit: mendacia cõuitia ſunt, quibus me defertis. Habes concordiam. Chriſtus quidem multorum criminũ accuſatus fuit à Iudæis, non enim publicanum, comedonem ac bibonem calumniati ſunt: iam peccatorem, dæmoniacum, ſeditioſum, et mille alijs conuitijs petiuerunt, ſed falſo et mendaciter: accuſari nunquã potuit, multominus conuinci. Fuit enim innocentiſſimus et ipſiſſima innocentia, qui peccatum nõ fecit, nec eſt dolus repertus in ore eius. Ieſ. 52. 1. Pe. 2. quam ſuam innocentiam etiam hoſtes ipſius nõ ſemel confeſſi ſunt. Conuitia, calũniæ, mendacia atq; blaſphemiæ fuerunt, quicquid impij*

*Chriſtꝰ nullius criminis conuictus.*

Iudæi

*Iudæi contra Chriſtum euomuerũt, nullius unquam criminis reus fuit Dominus Ieſus, habes diallagen.*

CLX.

## Concluſit nos omnes ſub maledictione legis. Gal. 3.

## Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Rom. 6.

*Deus ob initio hominem rectum, liberum, omniumq; creaturarum Dominum conſtituerat. Vbi uero ille Dei præceptum uiolaſſet, coniectus eſt in miſerrimam ſeruitutem & maledictionem legis: uelut ex Moſe ubertim probat Apoſtolus in omnibus fermè ſuis Epiſtolis. Propter peccatũ igitur detruſus homo ſub legis tyrannidẽ, mancipium legis & ſeruus peccati factus eſt. Lex enim iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis et inobſequentibus, impijs & peccatoribus, irreuerentibus & prophanis, patricidis et matricidis, homicidis, ſcortatoribus, maſculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, periuris, et ſi quid aliud eſt, quod ſanæ doctrinæ aduerſatur. 1. Timoth. 1. Habes itaq; in his duobus locis, quid natura ſimus ſecundum ueterem hominem, & quid gratia iuxta nouam creaturam. Natura ſumus peccatores, & propter peccatum execrationi obnoxij. Scriptum enim eſt, Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis huius, Deut. 27. Gala. 3. Gratia uero ab hac legis maledictione ſumus liberi. Chriſtus*

*Homo qd ſit natura, quid gratia.*

*enim redemit nos à maledictione legis, factus pro nobis maledictũ. Gal. 3. Natura ſumus filij iræ, peccatores, maledicti, et ſub legis tyrannidem conie cti: At gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumus filij Dei, ſancti, et benedicti patris cœleſtis. Iuxta ueterem hominem ſerui ſumus peccati, et legi ſubditi. Renati uero aqua et ſpiritu liberi ſumus, & ciues ſanctorũ ac domeſtici Dei, qua antitheſi carnis et ſpiritus belle uides quid homo ſit ex prima natiuitate, et quid ex regeneratione. Lex dominatur nondũ renatis. Porrò ubi ſpiritus Domini, ibi libertas. 2. Cor. 3. Hinc tibi Chriſtianæ libertatis ratio petenda eſt.*

## CLXI.

## Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Luc. 22. Omnes uos ſcandalũ patiemini per me in iſta nocte. Matt. 26.

*Apoſtolorum conſtantia.*

*Apoſtoli ac diſcipuli Domini noſtri Ieſu Chriſti à prima ſua uocatione ad Apoſtolatum immobiles, firmi ac conſtantes cum Chriſto perſtiterunt, alijsq; ſubinde deficientibus, ipſi nunquàm diſceſſerunt, ferentes unà adflictiones, quæ tum accidebant magiſtro, æqualem fortunam tollerantes: huius perſeuerantiæ commendans eos inquit: Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, id eſt, nihil hactenus deſideraui: in conſtantia ueſtra ſatis firmi perſtitiſtis. Iamiam uero periclitabitur*

tur

*tur fides ueſtra: Hac nocte tanta ingruet tempeſtas & tam grauis tentatio, ut nemo non ueſtrum offendatur: inferiores nunc eſtis, quàm ut mortem, ad quam ego rapiar, nunc ferre poſſitis. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Ego ſum paſtor ille, quem Iudæorum ſatellites percutiendum abducent, et uos oues mei diſpergemini unuſquiſq; in ſua. Primum locutus eſt Chriſtus de priore diſcipulorum ſuorum conſtantia, qua intrepidi permanſerant cum Chriſto Domino in cunctis afflictionibus eius: Altero autem loco de futura ipſorum fuga & offenſione narrat: ſicut etiam Ioan. 16. Ecce inſtat tempus, et iam uenit, ut diſpergemini unuſquiſq; in ſua, meq; ſolum relinquatis, & tamen non ſum ſolus, quia pater mecum eſt.*

CLXII.

## Quiſquis dixerit fratri ſuo, fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Matt. 5.

## Stulti ac cæci. Matt. 23.

*Velut Chriſtianus homo gemina conflatus eſt natura, carnali ſcilicet et ſpũali: ita duplex quoq; eſt ira, carnalis ac ſpiritualis. Iraſcitur caro, iraſcitur quoq; ſpiritus. Caro peccatrix eſt et immũda: ideoq; carnalis excandeſcentia peccatũ et mors eſt. Ro. 8. Affectus carnis mors eſt: & qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Hanc excandeſcentiã Chriſtus prohibet, cũ præcepta decalogi* *Ira carnalis ac ſpiritualis.*

*interpretatur, & iracundis gehennam minatur. Matt. 5. Secus uero ſpiritus iraſcitur, nempe ut emendet peccantes. Sicut ſancti patres ac prophetæ olim fidei feruore in impios ſuccenſi ſunt, et Christus in Phariſæos. Hæc ira potius correptio dicenda eſt: Nõ enim iraſcuntur pij inſtar impiorum, qui fremunt, inſaniunt, ſtrident, et diſſecantur in cordibus ſuis, nõ ut emendent, quibus iraſcuntur, ſed ut perdant, iugulent, ac opprimant. Qualis fuit iracundia phariſæorũ aduerſus Chriſtum noſtrũ. Iudæorum aduerſus prophetas: impiorũ contra Chriſti confeſſores atq; martyres: et hodie hoſtium ſacroſancti Euangelij pontificũ, ſcilicet, et coniuratorũ eorum, contra innocentes Euangelij præcones, ac oẽs qui reuelati Euangelij nomen adorant: ij enim aduerſarij noſtri nõ uulgariter nobis ſuccenſent: Sed tam uehementer fremunt, ut mallent ſuis nos dentibus diſcerpere, lupi enim ac leones ſunt, nos oues, nec poſſunt mitius nobiſcum agere, donec lacerent oſſa noſtra, quem furorem atq; iracundiam uides in Pſalmis deſcriptam. Hanc itaq; irã uetat Chriſtus, ne ex faſtu, odio, aut contemptu proximi ſtomachemur, uindictæ ſcilicet ſtudio: correptionem uero nuſquam interdixit: maxime quæ ex officio fit. Melior eſt enim manifeſta correptio, quàm amor abſconditus. Pro. 27. quoties itaq; Chriſtus iraſcitur, obiurgat, aut commouetur, nulla ultionis atq; inuidiæ libidine ſuccenſet, ſed charitate atq; officio, tanquàm pius atq; beneuolentiſsimus pater emendare uolens quos arguit. Sic Paulus Galatas*

*Impiorum iracundia.*

Manifeſta correptio.

*ſtultos*

*ſtultos appellat, nullo carnis affectu, faſtu aut odio, ſed mera dilectione. Ita maritus nõnunquam uxorem increpat, hærus famulitium, parens liberos, ſed id zelus eſt & officium, non odium, quemadmodum alibi annotauimus, eſſe zelum fidei ac charitatis, & iram carnis.*

CLXIII.

# Eſtote ſimplices ſicut columbæ. Matt. 10.

# Ne ſitis pueri ſenſibus. 1. Cor. 14.

*Videtur his uerbis magna ineſſe diſſonantia: nam priori uerſu ſimplicitas, poſteriori uero prudentia præcipitur: Quis autem neſcit ſimplicitatem et prudentiam ex diametro diſtare? ſic etenim iudicat carnalis lector, qui ſine ſpũ atq; iudicio ſacras relegit literas. Tu uero ſic accipe. Simplicitatem docet ſcriptura, uerum non ſenſuum ſimplicitatem, ſicut ne carnalem prudentiam, ſed ſpiritus. Indoctum uulgus ſimplicitatẽ pro ignauia, imprudentia, et quadam ruſticitate uſurpat: at illam ſimplicitatem non exigit Chriſtus, alioqui nõ dixiſſet: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Simplicitas, de qua in ſcripturis, eſt probitas, innocentia, & candor uitæ, ubi nulla morum peruerſitas, nulla animi malitia & obliquitas, nulla hypocriſis: ſed rectitudo, integritas, & puritas uitæ. Nam columbæ non ſunt uerſipelles, ſubdolæ, malæ, peruerſæ, ſed ſine dolo, ſynceræ et innocẽtes. Vult itaq; Chriſtus nos ad morem columbarum ſimplices, ne malũ ma-*

*Simplicitas ruſticana.*

*Simplicitas quid ſit.*

lo rependamus, ne aliquem lædamus aut moleſti ſimus, imò potius integri, ſynceri, recti ſimus, candidisq; moribus. Hanc ſimplicitatem ubiq; docet ſpirituſſanctus, nõ ruſticitatem, ignauiam, aut ſcripturæ ignorantiam, uelut impij aliquot Papiſtæ rugiũt, ut auditores à ſtudio uerbi Dei deterreant, uociferantes: Qui ſimpliciter ambulat, confidẽter ambulat, ſicut legitur. Pro. 10. Quibus uerbis nihil aliud conãtur, quàm plebem à lectione et cognitione myſteriorũ Dei in ſcripturis ſanctis ſancte propoſitorum dehortari. Quaſi is ſimpliciter ambulet, qui ſtulte iuxta captum aut ductum rationis ſiue uoluntatis ſuæ incedat, neglecta ueritate uerbi Dei, quæ greſſus noſtros dirigit, ne in tenebris impingamus: quales lupos multos alit hæc ætas. At eam ſimplicitatẽ non exigere ſpũm ſanctum aliquot argumentis conuincemus. Paulus Rom. 16. explicat, qualis debeat eſſe Chriſtianorũ ſimplicitas: uolo uos, inquit, ſapientes eſſe ad bonum, ſimplices aũt ad malum. Similiter. 1. Cor. 14. Fratres ne ſitis pueri ſenſibus, ſed malicia pueri ſitis, ſenſibus uero perfecti. Deinde Eph. 5. Videte quomodo circumſpecte ambuletis, non ut inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes occaſionem quòd dies mali ſint. Propterea ne ſitis imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit uoluntas Dñi: è quibus uerbis colligis non ſenſuum, ſed morum ſimplicitatẽ requirere ſpiritum ſanctũ. Nam ſi ſenſuũ ſimplicitatem uoluiſſet Chriſtus, nõ monuiſſet attendendũ à falſis prophetis. Mat. 7. Nemo enim ignauus cauere poterit pſeudoprophetarum

*dogmata. Preterea etiam illud arguit Chriſtus, nõ illam ſimplicitatem, id eſt ſcripturæ et ſacrorum myſteriorum inſcitiam intellexiſſe, quòd tam ſanctè ac ſerio uerbi ſui prædicationem atq; auditum commendat mandatq́;. Ad quid uero docetur Euangeliũ, niſi ut ſapiens prudensq́; fias in Dño? Et eloquia Dei audiens intelligas, et intellecta cuſtodias. Et hoc eſt quod uoluit Apoſtolus ſcribẽdo: Sermo Chriſti habitet in uobis opulente cũ omni ſapientia. Col. 3. Sermo ueſter ſemper cũ gratia, ſit ſale conditus. Col. 4. Velut cibus non paſcit, niſi comeſtus atq; digeſtus: ita ſermo Dei nihil cõfert, niſi intellectus. Fides enim ex auditu eſt. Rom. 10. Vt uero credas auditui, neceſſe eſt intelligas auditũ ſermonem. Nam quare Iudæi non credunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod ab ipſo Domino audierunt frequentiſsime? niſi quia non intelligunt. Habes quantum cõducat intelligentia uerbi Dei: et ut apertius intelligas ſcripturã non loqui de ſenſuum ſimplicitate, audi prophetam dicentem: Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in uia hac, qua gradieris, annuam ſuper te oculo meo. Ne ſitis ſicut equus et mulus, in quibus non eſt intellectus: In chamo & freno maxillam eius conſtringas, ne appropinquet ad te. Pſalm. 30. Audis equis atq; mulis comparari imprudentes, et uerbi dominici ignaros, qui alibi ſtulti inſipientesq́; appellantur. Pſalm. 14. et. 53. Deinde uide quanto ardore et ſpiritu oret pro uerbi Dei intelligentia cordatiſſimus uates. Pſalm. 119. Manus tuæ fecerunt & plaſmauerunt me, da*

*Intelligẽtia uerbi Dei neceſſaria & utilis.*

*mibi*

mihi intellectum, ut diſcam mãdata tua. Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua: Perlege totum Pſalmum, & ſenties, ſi profuiſſet ignorantia aut ſenſuum ſimplicitas, non tam uehementer oraſſe prophetam. Præterea agnoſces perditiſſimos eſſe blacterones, qui ad ſimplicitatem illam ſuam, hoc eſt imprudentiam atq; ignorantiam uerbi diuini prouocant: Iam enim ſatis probauimus, Chriſtum eam ſimplicitatem nõ ſignificaſſe, alioqui non præmiſiſſet: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Igitur quoties ſcriptura de ſimplicitate loquitur, morum intelligas ſimplicitatem, uitæ innocentiam, candorem & integritatem. Qui ſimpliciter, id eſt, innocenter, candide ac ſynceriter ambulat, bene ac ſecure ambulat. Deus enim protegit gradiẽtes ſimpliciter, id eſt, probos. Pro. 2. Quæ eſt autem illa ſimplicitas, qua tuto incedendum pijs hominibus? Verbum Dei lucerna pedum & lumen ſemitis noſtris, cui dum attendimus, recte facimus, nec aberrabimus unquam. Non quieſcit Sathan, ſed omnibus modis tentat, ut corrumpat ſenſus noſtros à ſimplicitate, quæ eſt erga Chriſtum. 2. Cor. 11. Nobis uigilandum & orandum ne amittamus ſenſuum ſimplicitatem & Chriſtum ſimplicitatis authorem, Amen.

Simplicitas morum.

CLXIIII.

Qui dixerit aduerſum ſpiritum ſanctum, non remittetur ei, neq; in preſenti ſeculo, neq; in futuro. Mat. 12.

In

# In loco in quo ceciderit arbor, ibi erit. Eccle. 11.

*Ex illo Chriſti ſermone impij Sophiſtæ ignem purgatorium finxerunt, & ſufflauerunt hiſce ſuis uanis interpretationibus ac gloſis deprauantes Chriſti uerbũ: Eſſe ſcilicet aliqua peccata quæ in præſenti ſeculo condonentur pœnitentibus, eſſe deinceps quæ in futuro remittantur, pro quibus in hac uita non plene ſatisfeceris confeſſione ac bonis operibus, illa ipſa docent per ignem purgatorium aboleri. Ad hoc ſuum nouum dogma de purgatorio ſtabiliendũ, mirũ eſt quàm detorqueant ſcripturam, huic eorum errori perpetuo contradicentem. Inter alia quib. nituntur argumentis hoc illis adamantinũ uidetur & tenedia bipennis: Non exibis illinc donec perſoluas extremum quadrantem. Mat. 5. Quo loci Chriſtus ad reconciliationẽ fratris cohortatur, ne ille aduerſarius tuus coram iudice te deferat, et iudex in carcerem coniiciat etc. ſed nihil de ſpirituali carcere, id eſt purgatorio, aut ſpirituali iudice loquitur Chriſtus, ſed de ciuili & corporali carcere atq; iudice. Sophiſtæ tamen hoc loco non ſecus gratulantur ac triumphant, quàm ſi cæcus ferream ſoleam equi reperiat: et ad ſuum ignem rapiunt dicentes: hic hic habemus purgatorium, non exibis, id eſt, tã diu torqueberis, donec craticula purgatoria aſſatus, ſatis facias, & perſoluas omnia delicta tua, deinde ſatis iuſtus exibis e purgatorio. Sic ipſi deprauant et corrumpunt*

*Vnde ortus ſit error de purgatorio.*

rumpunt Dei ſacra eloquia: quum tamen ſacra ſcriptura ne ullum uerbum de Papiſtarum purgatorio retulerit. Commentum eſt & inanis impoſtura quicquid illi unquàm nugati ſunt. Nam quòd Chriſtus inquit: Non exibis illinc donec perſoluas extremum quadrantem, nihil facit ad probandum illam flammam purgatorij. Coniectus enim in carcerem quando perſolues extremum quadrantem? Si nunquam liberaberis ex hoc carcere, niſi perſoluto nouiſsimo quadrante, perpetuo torqueberis. Eſto in ciuilibus uinculis tamdiu detineare captiuus, donec luas pœnam. Sed num uiæ Dei noſtris ſunt ſimiles? In inferno nulla eſt redemptio. Si ſemel illic deiectus fueris, non erit ulla redeundi facultas, quemadmodum Poëtæ ſuam memorant rediiſſe Proſerpinam. Et aduerbium donec, teſte etiam Ioanne Chryſoſtomo, perpetuitatem ſignificat, id eſt, nõ exibis perpetuo, ſi ſemel in hunc carcerem præcipitatus fueris, perpetuo illic perdurabis, nunquam liberandus. Vbi hic purgatorium? Deinde uerborum Chriſti: Nõ remittetur ei neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro, habes in Marco expoſitionem, ſic enim legis: qui conuitium dixerit in ſpiritum ſanctum, non habet remiſsionem in æternum, ſed obnoxius erit æterno iudicio. Marc. 3. Quòd Matthæus dixit, neq; in hoc ſeculo neq; in futuro, Marcus dicit in æternum. Volens indicare peccatum in ſpiritum ſanctũ nunquàm remitti. Vbi nunc manet flamma emendatoria? Porrò non eſſe ignem purgatorium, in quo animæ poſt hanc uitam crucia-

Cõtra purgatorium.

Matthæi, 58.

Ementitus purgatorius ignis.

*crucientur aliquandiu, donec uiuentium meritis iuuentur et liberentur, aliq[illegible]idis argumẽtis probabimus, ut uideant Papiſtæ ſuum purgatorium ementitam eſſe fabulam, et nihil aliud, quàm in explebilem uoraginem, quæ omnem omnium pecuniam exhauſtam abſorpſerit. Hoc uero ſatis ſancte ex illo Eccleſiaſtæ uerſu, quem illi ſuperiori ex Matthæo oppoſuimus, conuincemus: Vbi ſic legis: Si ceciderit arbor ad Auſtrum, & ſi ad Aquilonem, in loco quo ceciderit arbor, ibi erit. Eccl. 11. Porrò per arborem hominem ſignificari ex illo colligitur. Bona arbor profert bonos fructus, Mala autem producit malos fructus. Quæ uerba de hominibus intelligi uoluit ſpiritusſanctus. Si itaq; arbor ad Auſtrum ceciderit, ibi erit: ſin ad Aquilonem ibi quoq; erit. Quacunq; ratione defungatur homo, ea iudicandus erit. Si ad Auſtrum, id eſt, in fide cadat, ibi (in fide) erit. Qui enim crediderit, ſaluus erit. Sin autem ad Aquilonem, id eſt in infidelitate decidat, ibi (in incredulitate) erit: Nam qui non crediderit, condemnabitur. Ioan. 3. Audis hic apertis uerbis dici, ibi erit. Vbi itaq; manet ignis purgatorius, in quo mundandæ ſint animæ? Cur non ait ſcriptura, mundabitur pruna purgatoria? Matt. 25. Fatuis uirginibus oleo carentibus, non patet aditus ad nuptias, dumq́; oleum emptum feſtinarent, clauſa eſt ianua, ut intelligas in hac uita eſſe pœnitentiæ locum, et nõ in carcere purgatorij. Quicquid in hac uita ſeminauerit homo, in futura metet. Galat. 6. Nunc ſerendi inſtat tempus, deinceps*

*In hac uita pœnitentiæ locus.*

ceps

*teps metendi: Non erit poſt hanc uitam parandi olei opportunitas: niſi enim tuo oleo paratus ſis, non intrabis cum ſponſo ad nuptias. Serius dolebis. Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies ſalutis. 2. Cor. 6. Duodecim ſunt horæ diei. Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi uidet. Si quis autem ambulauerit in nocte, offendit: quia lux non eſt in eo. Ioa. 11. Nox progreſſa eſt, dies autem appropinquat. Abijciamus igitur opera tenebrarum, et induamus arma lucis. Rom. 13. Nunc emendandi tempus eſt, nihil enim docet ueritas de futuro expiatorio igne, qui expurgaturus ſit peccatores. Saltem hoc dicit, fidelibus paratã eſſe fœlicem requiem: infidelibus æternum cruciatum. Qui crediderit et baptizatus fuerit, ſaluus erit: Qui uero non crediderit, condemnabitur. Marc. 16. Sic legis Luc. 16. Pauperem Lazarum ab angelis in ſinum Abrahæ deportatum: Diuitem uero in tartara coniectum, & ingentem inter eos firmatum hiatum, ut neuter ad alterum tranſire poſſit. Si hic ullus fuiſſet ignis purgatorius, in illum certe detruſus fuiſſet diues: reliquerat enim hæredibus aliquot auri pondo, quibus ex hoc barathro auri & argenti ſitientiſſimo redemptus fuiſſet: Tacet autem ſcriptura mendax purgatorium, quod id ſit aliud nihil, quàm excogitata decipula Papiſtarum, & uoraciſſima fouea, ſupra quam uniuerſæ abominationes fundatæ et extructæ ſunt. Ex hac eruperant ſuffragia mortuorum, uigiliæ, depoſitiones, ſeptimi, triceſimi, anniuerſaria, miſſæ pro defunctis,*

*ſunctis, & mille huius generis impietates: in hanc uoraginem omnia monaſteria et excelſa Canonicorum regularium & irregularium ædificata ſunt, in hoc antro cubat uniuerſus* Papiſmus. *Si hic ignis flagrare deſierit, peribit omnis quæſtus ſacrificorum: corruet et pſychotyrannorum pompa.* Pluris *enim auri & argenti contulit hic ignis purgatorius regno* Papiſtico, *quàm uel* Perſarum *montes, uel ullus* Pactolus: *nec ullus* Veſuuius, *aut* Aethna *tantum flagrauit, quantum ille purgatorius carbo, è quo tam flebiliter, ſiticuloſe ſacrificulorum animæ eiularunt:* Miſeremini *mei, miſeremini mei ſaltem uos amici mei etc.* Qua *miſerabili lamentatione ad miſericordiam commouerunt ſtultam plebem.* Non *mirum igitur quòd hunc amant impij* Sophiſtæ, *quorum* Mammon Deus *eſt, niſi enim hic ignis ditaſſet ſuos alumnos et patronos, dudum conſumptum penitusq; extinctum fuiſſet hoc incendium: & condemnatus eſſet extremo anathemate, qui uel uerbulum ſomniaſſet de illo.* Nunc *qui auri cruſtas euomat & conferat alumnis, hæretici habentur quicunq; contra illud mutire audent, adeo ut* Chriſtus *uili habeatur à tam religioſis patribus, quòd ſuum diuitem ignem non approbauerit.* O *aureum igniculum, ô benignos patres, qui pro modica pecunia ſoluunt animas è carcere purgatorij* Rurſus *immites* Sophiſtas *& ſacrificulos, quòd non eadem benignitate pauperum animas liberant.* Hoc *enim uideas: ſi diues moriatur, qui ſtipendij aliquid conferat ſacrificulis, mox pul-*

*Purgatorio deprædati ſunt* Papiſtæ *uniuerſos theſauros Germaniæ.*

Chriſtus *purgatoriũ nondũ approbauit.*

ſantur campanæ, quærulatur requiem, murmurantur uigiliæ, fit ſuffitus, et hiſce operibus ac meritis ſubuenitur diuitis animæ. Porrò ſi pauper moriatur, ſilent campanæ, intermittitur ſuffitus, quieſcunt ſacrificuli, nec ullæ neniæ pro redimenda pauperis anima cantilantur, cogiturq; inops æternum purgatorij æſtũ tolerare, nunquam redimendus à noſtris ſacrificulis. Niſi enim des, non eripiunt illi è cruciatu ignis purgatorij. Porrò ſi abunde des, abunde illi iuuant ſuis impijs Miſſis. Si quis nunc eſt pius & ueritatis amans, relinquat purgatorium impijs ſuis patronis: et credat Chriſto dicenti: Amen, amen dico uobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet uitam æternam, & in condemnationem non uenit, ſed tranſibit à morte in uitam. Ioan. 5. Non inquit, tranſibit à morte in purgatorium, ſed in uitam, æternam ſcilicet, ſicut Ioan. 6. explicat: Qui credit in filium, habet uitam æternam, Amen.

## CLXV.

Legitimum ſempiternum erit in generationibus ueſtris de ſacrificijs Domini. Leuit. 6.

Vnica oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui ſanctificantur. Heb. 10.

Non

*Non ſum ignarus ſcripturam ueteris inſtrumenti de iuge ſacrificio mentionem facere, maximè Leuit.6. Dan.8.11.& 12.& Malac.1. quòd quia ſempiternum à prophetis appellatur, ſophiſtæ noſtri ad Miſſæ ſacrificium detorſerũt. Quàm longiſſimè autem à ſcopo aberrauerint, uidere poterit pius lector, perſpectum habens ante Ieſum Chriſtum crucifixum non fuiſſe ullum Miſſæ ſacrificium: nam ipſe Dominus Ieſus ea nocte, qua traditus fuit, cœnam dominicam ſiue Euchariſtiam primum inſtituit, nunc quum ſub Moſe & prophetis nondum inſtituta fuerit Miſſa, ſatis euidens de illo Miſſæ ſacrificio nõ loqui ne uerbum quidem uetus teſtamentum. Vnde inſipientia illorum colligitur, qui è Moſe et prophetis ſtabilire nituntur iuge illud miſſale ſacrificium. Iudæorum autem ſacrificia ideo ſempiterna appellat ſcriptura, partim quòd Chriſtum, qui eſt ſacerdos & rex in æternum, adumbrant: partim quòd perpetuo in populo Dei permanſiſſent. Quamdiu enim ſacerdotium ac regnum Iudæorum ſteterunt, tam diu etiam illa ſacrificia, uictimæ, pacifica & holocauſta perdurauerunt: abrogato legali ſacerdotio, diruto templo Hieroſolymitano, & deſtructa ciuitate ſancta, finis quoq; corporalium iſtorum ſacrificiorum, iuxta Danielis prophetiam, ſubſecutus eſt, quæ uſq; ad tempus correctionis impoſita fuerunt. Heb.9. Si itaq; Miſſa illud eſt ſacrificium, cuius prophetæ meminerunt, planum eſt iam in Chri-*

Cõtra Miſſæ ſacrificium.

Iudæorum ſacrificia quare ſempiterna.

Dan.9.12.

ſtianiſmo non amplius Miſſam eſſe ſacrificium. Deſijt enim Iudæorum ſacerdotium, quod ſacrificia illa Leuitica immolabat, deſijt & templum, extra quod non licebat ſacra facere: & ſucceſsit ueteri nouus Iſraël, in quo omnia ſunt ſpiritualia. Iudæis omnia in figura contigerunt. 1. Corinthiorum. 10. & lex umbra eſt futurorum, Hebræ. 10. Si itaq; ullum eſt in Eccleſia Chriſtianorum ſacrificium non è Moſe, ſed Chriſto petendum eſt. Vetera enim præterierunt, & noua facta ſunt omnia. 2. Corinthiorum 5. Porrò Chriſtus Euchariſtiæ myſterium inſtituens, non dixit, Hoc immolate in mei memoriam. Nam quomodo Chriſto poteſt ſuum corpus, & ſuus ſanguis offerri, quæ prius poßidet? Aut quomodo Deo poteſt Dei filius immolari? qui natura cum patre ſit unum & eiuſdem ſubſtantiæ. Verum ita protulit: Accipite & comedite: Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur, Hoc facite in mei recordationem. Hoc ſcilicet, ut ſumentes hunc ſacrum panem, qui eſt corpus meum, comedatis in memoriam mei, quòd ego hoc meum corpus pro uobis in mortem obtulerim: eius beneficij memores ſitis, celebrantes illud. De calice uero dixit: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt ſanguis meus, qui pro uobis effundetur & cæt. Hoc facite quotieſcunq; biberitis, in mei commemorationem. 1. Corinthiorum undecimo. Hoc inquam, quod ego nunc inſtituo & facio, idem uos facite, ſumentes ſacrum calicem, qui eſt ſanguis meus, & bibentes illum, in mei commemorationem faciatis, mortem

*Cœna Dñi non eſt ſacrificiũ ſatisfactionum.*

tem

tem Domini annunciantes, donec ueniat. Hic nullius ſacrificij facta eſt inſtitutio: Sed eſus corporis Chriſti, & potus ſanguinis Ieſu, ac commemoratio mortis eius. Sed inquis: tamen ueteres orthodoxi theologi Euchariſtiam dixêre ſacrificium? Dixêre quidem, ſed καταχρηστικῶς, pro memoria ſacrificij, & paßionis Dominicæ, nõ quòd immoletur pro peccatis uiuorum ac mortuorum. Quemadmodum nos reſurrectionis dominicæ paſcha appellamus, quòd ſit illius paſchatos recordatio & feſtiuitas. Præterea crediderint patres aut etiam docuerint, Miſſam eſſe ſacrificium, num eam ob cauſam & nos credere oportet? aut ſunt ipſi fidei noſtræ magiſtri? Paulus fidem ex auditu eſſe affirmat: auditum uero per uerbum Dei, Romanorum decimo. Si itaq; credere debeo Miſſam eſſe ſacraficium, uolo teſtimonium è ſcripturis ſacris (non è patribus, qui homines fuerunt, & errare potuerunt) proferatur, cui fides mea tuto innitatur. Nolo autem ſcripturam ueteris inſtrumenti, nam illa nihil unquàm de ſacrificio Miſſæ dixit, ſed teſtimonium noui teſtamenti deſidero. Sed quando illi proferent? ad calendas Græcas. Quando itaq; in nouo teſtamento, ubi de Euchariſtiæ myſtero agitur, ne uerbum de ſacrificio Miſſæ doceatur, non poſſum non ridere cæcitatem Ecciorum, Fabrorum, Cochleorum, & huius fecis matæologorum, contra Chriſti teſtamentum Miſſæ ſacrificium nobis obtrudentium. Quid quæſo pro ratione ſacrificiorum in Miſſa immolatur? num corpus

Sacrificiũ quomodo dixerint ueteres Miſſam.

& ſanguis Chriſti? tamen ea nos de beneuolenti manu Chriſti ſumimus manducanda & bibenda. Sic nanq; commiſit: Accipite & comedite: Hoc eſt corpus meum &c. Sumite & bibite: Hic eſt ſanguis meus etc. Quomodo ergo ipſa Deo offerimus? Adde Chriſtum hunc potum uocare nouum teſtamentum. Num nouum teſtamentum eſt ſacrificium? Quis unquàm audiuit teſtamentum & ſacrificium idem eſſe? Scriptura uocat nouum teſtamentum remiſsionem peccatorum, uelut Hieremiæ 32. & Hebræ. 8. legitur. Remiſsio autem peccatorum non eſt ſacrificium, ideo nec Miſſa eſt ſacrificium. Vide nunc quàm pulchrè conueniat Chriſti ueritas cum Sophiſtarum uano dogmate. Chriſtus in hoc teſtamento bona ſua, corpus & ſanguinem nobis miniſtrat in remiſsionem peccatorum, Sophiſtæ inuertunt ac Chriſto dare uolunt, imò Chriſtum Chriſto offerre. Quis Sophiſtis ſtupidior, cæcior, & magis impius? Scripturæ ueritas Chriſtum Ieſum ſemel oblatum dicit. Hebræ. 7. 9. & 10 & non quotidie immolandum. Si denuo immolandus eſt, etiam denuo crucifigendus erit. Mors autem illi ultra non dominabitur. Roma 6. Ergo in Miſſa non fit ſacrificium pro uiuis ac defunctis. Sed ais: eſt tamen aliquod in Eccleſia ſacrificium. Eſt quidem, ſed non externum aut corporale, ſed internum ac ſpirituale, mortificatio carnis noſtræ per ſpiritum qua, offerimus corpora noſtra hoſtiam uiuentem, ſanctam, acceptam Deo. Romano. 12. Per Ieſum Chriſtum. 1. Petri 2. Quum offerimus

Nouum teſtamentum

Sacrificiũ Eccleſiæ Chriſti.

ſerimus uitulos labiorum noſtrorum. Hebræ. 13. Id eſt, laudem ac gratiarum actionem. Totos nos in miniſterium Dei & ſanctorum conferimus, non ſectantes carnis deſideria, ſed directionem ſancti ſpiritus, & per charitatem ſeruimus proximo ad ædificationem ipſius. Iſta ſunt Chriſtianorum ſacrificia, his uictimis placatur Deus Hebræ. 13. Diſpeream ſi Eccleſia habet aliud ſacrificium, niſi illud ipſum gratiarum actionis, ut prædicato Euangelio, fuſisq; precibus ad Deum patrem noſtrum, laudemus ipſum in Chriſto ſeruatore per æterna ſecula, Amen.

## CLXVI.

## Facite uobis amicos de Mammona iniquitatis. Luc. 16.

## Omnis creatura Dei bona eſt. 1. Timoth. 4.

Vt paucis horum duorum uerſuum diallagen habeas, obſeruabis omnem creaturam Dei eſſe ualde bonam, & nihil eorum quæ Deus condidit, eſſe malum. Benedixit enim Deus omnibus operib. ſuis quæ fecerat. Gen. 1. & nihil ex his, quæ creauit Dominus, odio dignum eſt. Sapi. 11. Sunt igitur opes creatura bona. Sicut etiam homo, ignis, aqua, uinũ, uolucres, et omnia animantia ſunt bona creatura, ſolusq; abuſus illarum malus eſt, remq; *Creaturæ Dei bonæ.*

per ſe bonam facit malam. Impij ac mali nulla re bene uti poſſunt, ita ut Deus optimus impijs ſit malus, iuxta id Pſal. 18. Cum peruerſo peruerſus eris. Et ſicut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. 8. Et mundis omnia munda, Titum 1. ita uiciſsim pollutis & infidelibus nihil eſt purum, ſed polluta eſt illorum & mens & conſcientia. Diuitiæ bonæ ſunt, ſi quis ipſis recte utatur: malæ fiunt, ſi abutaris, ſi cor opponas, ſi ſeruus fias diuitiarum. Mulier precioſa eſt creatura, ſi cum pietate et timore dei honeſte illi copuleris: mala fit ſi extra coniugij thorum abutaris ea. Vinum nobilis eſt creatura, ſi cum gratiarũ actione illud bibas: at ſi ad ingluuiem et ebrietatem ingurgites, abuſu fit tibi malũ, quod natura bonum erat. Abutenti et impio malum eſt uinum, mulier, opes, ac reliquæ creaturæ omnes. Sic Chriſtus diuitias iniuſtum Mammona uocat, non quòd per ſe ſint iniquæ, ſed quod plerumq; iniuſte acquirantur. Hi per rapinam, alij per fraudem aut furtum: Iſti per ludum uel fœnus, illi per homicidium, nonnulli per fas atq; nefas, et mille deludendi artes lucrantur opes. Et uelut iniuſte parantur, ita inique quoq; poſsidentur à diuitibus: deinde iniuſte quoq; erogantur in luxũ uentris. Vnde natum eſt quondam prouerbium: Diues aut iniquus eſt, aut iniqui hæres. Et Chriſtus difficile eſſe pronunciauit diuitem regnum cœlorũ ingredi: quòd nemo poſsit duobus Dominis ſeruire. Poſtremo ſpinas quoq; appellat diuitias, quòd inſtar ſpinarum impediant & retrahant

Diuitias quare iniquũ Mammona uocauerit Chriſtus.

occu-

*occupatum auaritia, ne recta incedat: Nam qui uolunt diteſcere, incidunt in tentatiooem & laqueum, & cupiditates multas, ſtultas ac noxias, quæ demergunt homines in exitium, & interitum. Siquidem radix omnium malorum eſt ſtudium pecuniæ, quam quidam dum appetunt, aberrauerunt à fide, & ſeipſos implicuerunt doloribus multis. 1. Timoth. 6. Habes piè lector cauſas, quare ſpinas & iniquum Mammona appellauerit diuitias Chriſtus. Habes præterea piè ac rectè dixiſſe Apoſtolum, omnes creaturas Dei eſſe bonas, & nihil reijciendum ſi cum gratiarum actione ſumatur. Sanctificatur enim per ſermonem Dei ac precationem. 1. Tim. 4. Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſaltem hoc donet nobis, ut omnibus creaturis & operibus eius utamur ad laudem nominis eius, Amen.*

## CLXVII.

Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus, Mercenarius autem fugit. Ioannis 10.

Cum perſecuti uos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliam. Matt. 10.

*Horum uerſuum facilis eſt conciliatio, ſi uerborũ ordinem et occaſionẽ obſeruauerimus. Apud diuum Ioannem Chriſtus deſcribit boni & mali paſtoris conditiones, apud Matthæum uero mandans Apoſtolos inſtruit,*

*quomodo in cruce cum ab aduerſarijs perſecutionem ſuſtinuerint, ſe gerere debeant. Ioa 10. inquit. Qui non intrat per oſtium in ſtabulum ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt et latro. Qui aũt intrat per oſtium, paſtor eſt ouium, huic oſtiarius aperit, et oues uocem eius audiunt etc. Ego ſum paſtor ille bonus. Bonus paſtor animã ſuã dat pro ouibus. Mercenarius aũt, et qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, ac deſerit oues, fugitq́;, et lupus rapit ac diſpergit oues etc. Non ſolent lupi ferocire ac graſſari in ipſos paſtores, haud ſatis armati aduerſus ipſos, ſed in gregẽ: ut rapiant oues, raptas lacerent deuorentq́;, reliquas autem diſpergant. Quibus ſe paſtores opponere, et ſuam uitam in diſcrimen collocare debent, nunc cõtra clamando, nunc canes incitando in lupos, nunc paſtorali pedo aut lapidibus abigendo, nunc ſocijs acclamando pro ferendis ſuppetijs aduerſus feras, nunc ſui corporis obiectu, ut grex ſaluus ſit. Sicut Chriſtus pro ſalute ouium ſuarum expoſuit uitam: cum lupi, Sathan, peccatũ, mors, infernus, hæretici aduerſus Dei electos irruerent, dedit ſemetipſum præcium redemptionis pro omnibus. 1. Tim. 1. Sic olim Moſes fecerat. Exo. 32. obſecro, peccauit populus iſte peccatum grande, et fecerunt ſibi Deos aureos, aut dimitte eis hanc noxam: Aut ſi nõ facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. Sic Dauid. 1. Para 21. Nonne ego ſum qui iuſſi ut numeraretur populus? et ego ipſe ſum qui peccaui, et malefaciendo malefeci: et iſtæ oues quid fecerunt? Domine Deus*

Lupi in gregem ſæuiunt.

Bonus paſtor ponit animam ſuam pro ouibus ſuis.

Moſe.

Dauid.

ne Deus

ne Deus, ſit quæſo manus tua in me, et in domum patris mei: & in populum tuum non ſit plaga. Hos imitatus eſt Paulus Rom. 9. Optarem ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, cognatis meis, ſecundum carnem. Quemadmodū nunc Anabaptiſtis, hæreticis, fraudulentis impoſtoribus atq; pſeudoprophetis, Chriſtianū gregem clam inuadentibus, uenenatis petentibus aculeis ac ſuis erroribus inficere molientibus, boni, & fideles paſtores ſeſe opponere, ſuasq; animas pro ouibus dare debent, Lupis illis & uagis ardelionibus contradicere: hoc enim Apoſtolus ad Titum ſcribens à presbytero requirit, ut tenax ſit eius qui ſecundum doctrinā eſt, fidelis ſermonis: ut potens ſit etiam exhortari per doctrinam ſanam, et contradicentes conuincere. Tit. 1. modisq; omnibus curare ne eccleſia per alios ſeducatur ac diſsipetur. Hoc enim efficit falſus propheta, circumuenit ſimplices, à grege rapit, Eccleſiā turbat, oues diſpergit ut neſciant quo locorum ſint, quid rectum aut malum, ut mens uaga hæreat, conſcientia fluctuet, fides periclitetur, & paulatim deficiat, & homo corpore ac anima pereat. Aut, ſi impij tyranni in Eccleſiā ſæuiant, fideles Epiſcopi ſuas eccleſias probe uerbo Dei inſtruāt, muniantq; aduerſus tentationes, ut crucem ferant conſtanter, fiduciam miſericordiæ Dei ſeruent, doctrinam ſanā non abnegent: ijdem lupos baculo paſtorali uerbo Dei ſcilicet abigant, dū iudicio Dei, et minis diuinæ ultionis atq; æternæ mortis terrent perſecutores. Arma enim militiæ noſtræ non carnalia

Paulus.

Pſeudoprophetæ quā tū noceant

lia ſunt, ſed potentia Deo ad demolitionem munitionum, quibus conſilia demolimur, et omnem celſitudinem quæ extollitur aduerſus cognitionē Dei, et captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendū Chriſto: et in promptu habemus uindictam aduerſus omnē inobedientiam. 2.Cor.10. Ita paſtores pro ouibus ſuas ponunt animas, dum diligenter aduigilant et attendunt cuncto gregi, ne graues lupi noceant ſed paſcunt et regunt Eccleſiā Dei, ne diuerſam amplectantur doctrinam: ac malunt ipſi perire quàm gregem uenire in manus luporum. Qui ſecus faciunt pro mercenarijs ſunt habendi: ij ſunt qui quæſtum putant eſſe pietatem, & ſuo tantum ſeruiunt uentri: ubi ſpes quæſtus decedit, et perſecutio uerbi oritur, ipſi fugiunt et miniſterio ſeſe abdicant. Hic eſt ſenſus eius loci qui eſt apud Ioan. Matthæi autem decimo Chriſtus non loquitur Eccleſiæ aut gregi de Epiſcopis & paſtoribus ſuis: ſed ipſis Apoſtolis, paſtoribus ac miniſtris: Cum uos perſecuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliam. Vos inquam Apoſtolos et paſtores, non ipſum gregem fuerint perſecuti, fugite. Ea fuga poterit nonnunquā ſine Eccleſiæ offendiculo, diſperſione et incōmodo fieri: Domino interim ſuos paſcente ac regente. Si grex quæratur à feris lupis, non fugiendum paſtoribus, ſed permanendum ad conſolationem & cuſtodiam plebis dominicæ. Sin uero ſoli paſtores petuntur, ad tempus cedendum furori inimicorum, donec efferbuerit ira, ne hoſtes innocentis ſanguinis rei fiant, & oblata opportunitate redeundum ad

*Mercenarij qui ſunt.*

*De fuga in perſecutione.*

ſuos,

ſuos, atq; intermiſſum munus priori ſollicitudine et diligentia repetendum. Sic olim ſancti Patriarchæ et Prophetæ fugierunt perſecutores, et deinceps redierunt. Fugit Iacob fratrem ſuum Eſau Gen.28. Fugit Moſe à facie Pharaonis. Exo.2. Fugierunt Moſe et Aaron multitudinem filiorum Iſraël ad tabernaculum fœderis. Num. 16. Fugit Dauid à facie Saul. 1. Samuel. 19. Fugit Elias à facie Iezabelis. 3. Re. 19. Quoties fugit ipſe Dominus Ieſus Chriſtus? fugierunt omnes diſcipuli à Chriſto uiſis tribulationibus. Luc. 22. Paulus per murum dimiſſus fugit. Acto. 9. Fugit Petrus Acto. 12. Diſcipuli fugierunt perſecutionem Iconij. Acto. 14. Fugit diuus Athanaſius, & fugæ cauſam recitat tripartita hiſtoria lib. 6. cap. 22. Fugierunt multi alij boni uiri ac pij Eccleſiarũ paſtores. In lege ciuitates refugij deputatæ fuerũt. Deu. 4. et Chriſtus iuſsit fugere in aliam ciuitatem, quod mandatũ quomodo Tertullianus in libro, De fuga in perſecutiõe, uocat temporale, ſolis Apoſtolis ad tempus datum, uiderit ipſe, certe fuga Petri, Pauli, ac aliorum diſcipulorũ poſt acceptum Hieroſolymis in die Pentecoſtes ſanctum ſpiritum, aliud indicat. Non ſunt itaq; omnes qui fugierũt, mercenarij: conſtat enim plures ſanctorum in perſecutione fugiſſe: ſed oẽs mercenarij fugiunt, parati nimirum ad fugam, ſub leui afflictione, etiamſi extra uitæ diſcrimen permanere poſſent, ab ouibus aufugiunt, ſunt enim animalia uentris, & ſuum ſpectant commodum, ut magni habeantur in populo, de ouibus nõ eſt eis curæ, quã primum

*Sancti in perſecutione fugerunt.*

*Non omnes mercenarij qui fugierunt.*

mum

*mum à longe uenientem uiderint lupum, ſpem quæſtus & gloriæ euaneſcere, illico fugiunt, relinquentes oues in periculo, nec unquam redeuntes ad illas, de quibus Eze. 34. Paſcebant ſemetipſos. Et Paulus Rom 16. Dño Ieſu Chriſto non ſeruiunt, ſed ſuo uentri Gal. 6. Ne ob crucem Chriſti perſecutionem patiantur. Phil 2. Omnes quæ ſua ipſorum ſunt quærunt, nõ quæ Chriſti eſu. Phil 3. Quorum Deus uenter. 1 Tim. 6. Qui exiſtimant quæſtum eſſe pietatem. Fideles autem paſtores etiam ſi in perſecutione fugerint, ut cederent pauliſper perſequentiũ furori, tamen redierunt denuo ad ſuum miniſterium, non ultro fugam meditantes: ægerrimè ab ouibus ſuis auelluntur, tamen temere periclitari nolũt, inuito et magno animi dolore abeunt, cum fugiendum erit, quãdo mercenarij ſemper ad fugam parati ſunt. Fuga non ultro aut temere meditãda eſt, ſed ſi gloria Dei noſtra fuga magis poſſit promoueri, aut nihil detrimẽti nomẽ Dei patiatur, ſatius eſſet, puto fugere, quàm abſq; fructu manere. Verũ de hac re nulla poteſt certa tradi regula. Spũs ſanctus optimus erit magiſter, quando fugiendũ ſit, quando nõ fugiendũ.*

Nõ temere fugiendum.

CLXVIII.

## Nihil ſolliciti ſitis. Philip. 4.
## Sollicitudine non pigri. Rom. 12.

*Si quis putat omnem ſollicitudinem prohibitam eſſe, facile iudicabit ſcripturam diſsidentem, audit enim aliâs ſcriptum: Ne ſitis ſolliciti: alibi uero, ſolicitudine non pigri,*

pigri, & à Paulo quoſdam ſollicitos commendari, hic mandatam ſolicitudinem, illic interdictam. Verum ſi diſtinxeris, & duplicem intellexeris eſſe ſollicitudinem, nihil erit controuerſiæ. Alia eſt priuata ſollicitudo, qua quiſq; de ſe ipſo, de cura huius uitæ & uentre ſuo ſollicitus eſt, metuens ſibi uictum, amictum, honorem, delicias, uoluptates, dignitates & uulgi plauſum perire. De illa plura loquitur Chriſtus. Matth. 6. Ne ſitis ſolliciti uitæ ueſtræ, quid eſuri ſitis, aut bibituri, neq; corpori ueſtro, quibus indumentis uſuri: Nonne anima plus eſt quàm cibus: & corpus plus quàm indumentum? Vertite oculos ad uolatilia cœli, & totus ille contextus ad finem uſq; capit. Luc. 12. Exemplum addit de diuite nimium auaro & ſollicito, quàm male illi ſua ſollicitudo & auaritia ceſſerit. Hominis, inquit cuiuſdam diuitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quòd non habeam quo congregem fructus meos? & dixit: Hoc faciam: deſtruam horrea mea, & maiora extruam, & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi bona mea, & dicam animæ meæ: anima, habes multa bona repoſita in annos multos, requieſce, comede, bibe, gaude, dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetent abs te, quæ uero paraſti, cui cedent? Mat. 13. Qui in ſpinas ſemen exceperat, hic eſt qui uerbum audit, & cura ſeculi huius, ac deceptio diuitiarum, uoluptas uitæ, ſuffocant ſermonem, & infrugifer redditur. Lu. 21. Cauete autem uobis, ne quando gra-

Duplex ſollicitudo.

Sollicitudo uentris prohibita.

*do grauentur corda ueſtra crapula et ebrietate, & curis huius uitæ, ſubitusq́; uobis ingruat dies ille.* Diuus Paulus itidem contra hanc ſollicitudinem ſcribit. Roma. 13. *Carnis curam ne agatis ad concupiſcentias.* 1. Corinth. 7. *Velim uos abſq; ſollicitudine eſſe.* Philipp. 4. *De nulla re ſolliciti ſitis, ſed in omni precatione et obſecratione, cum gratiarũ actione petitiones ueſtræ innoteſcant apud Deum.* Et 1. Pe. 5. *Omnem curam ueſtram proijcite in illum, nam illi cura eſt de uobis.* Pſal. 55. *Iacta ſuper Dominum curam tuam, et ipſe te enutriet.* Hanc priuatam ſollicitudinẽ damnat et prohibet ſpiritus ſanctus in ſcripturis: loquitur enim ad illos qui ſunt extra officium conſtituti, hæc fidei ſuam efficaciam adimit, imò ipſam fiduciam Dei extinguit, ne credamus porrò Deum de nobis ſollicitum, nos alere & ſeruare. Alia uero eſt ſollicitudo publica ſeu officij, qua ſcilicet Epiſcopus pro Eccleſia uigilat & ſollicitus eſt, Magiſtratus pro ſuis ſubditis, paſtor pro grege, uigil pro ciuitate, paterfamilias pro domo et familia ſua. Hæc officij ſollicitudo, paßim commendatur atq; præcipitur, nam uult Deus unumquemq; ſuæ uocationi, officio muneriq; incumbere, id quod ſine ſollicitudine fieri nõ poteſt, de hac Paulus Rom. 12. *Qui præeſt in ſollicitudine: & ſollicitudine non pigri.* 2. Corint. 8. *Quemadmodum abundatis ubiq; fide, ſermone, & ſcientia, & omni ſollicitudine etc.* 2. Cor. 11. *Incumbens mihi quotidiana cura omnium Eccleſiarum.* Col. 2. *Non uolo uos ſcire, quantam ſollicitudinem habeam de*

Sollicitudo officij præcepta.

uobis

*uobis etc. Suam ſollicitudinem etiam 1. Theſ. 2. teſtatur. 1. Tim. 5. Si quis ſuorum et maximè domeſticorum curam nõ habet, fidem abnegauit, et eſt infideli deterior. Tit. 2. Mulieres monentur, ut domus curam habeant, & ad fidem propenſos et ſolicitos eſſe hortatur uniuerſos. He. 6. Hæc cura et ſollicitudo mandata eſt: prior uero condemnata: ita habes conciliationem.*

CLXIX.

Exi in uias & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Luc. 14.

Neq; ceu dominium exercentes aduerſus cleros, ſed ſicut ſitis exemplaria gregis. 1. Pet. 5.

*Non ſum neſcius quoſdam Romanos Pontifices ui & armis ad Chriſtianam fidem coëgiſſe populos, nec defuiſſe doctores qui illud ipſum cõſuluerint, qui ſui facti & conſilij rationẽ ex hoc Euangelij uerbo, compelle intrare, defendere ſtuduerunt, & hos imitati ſunt Imperatores ac reges, ſicut Carolus magnus, qui Friſios, Vueſtualios & Saxones Germanicam gentem gladio compulit Chriſtianam fidem ſuſcipere, quaſi hoc unquam præcepiſſet Chriſtus ui, gladio aut armis nolentes atq; repugnantes, ad credendũ Euangelio cogendos. Ipſe Apoſtolos elegit, et ad prædicandum Euangeliũ in orbem uni*

*Cõpelle intrare tyrannidis cauſam ſumpſere Papiſtæ*

*uerſum emiſit, per illorum doctrinam ad fidem gentes ſubegit, quemadmodum* Paulus Apoſtolus *inquit: arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia* Deo *ad demolitionem munitionum: quibus conſilia demolimur, & omnem celſitudinem, quæ extollitur aduerſus cognitionem* Dei, *& captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum* Chriſto, *& in promptu habemus uindictam aduerſus omnem inobedientiam, cum impleta fuerit ueſtra obedientia.* 2. Corinth. 10. *Non igitur hoc uult parabola* Euangelica, *pugnis, fuſtibus, armiſq; ad cœnam compulſos, uerbis illi tracti ſunt doctrinæ* Dei, *potentia territi & illecti.* Et *uerbis ſacræ ſcripturæ compellere ad magnam illam cœnam conuenit, ut ſcilicet ſanctorum* Apoſtolorum *exemplo auditoribus pœnitentiam prædices, lege terreas, peccatum reueles, & iudicium aut iram* Domini *in delinquentes ac contemptores miniſteris, atq; hac ratione ſuperbum ſpiritum frangas, humiliatum cor efficias, & iuxta id* Euangelium *quoq; annuncies,* Chriſtum *redemptorem & propiciatorem, in quo ſit benedictio & ſalus noſtra prædices, nec aliud ſit nomen ſub cœlo datum inter homines in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Actorum *quarto.* Vt *audita ſalutis & uitæ æternæ promiſſione, pauperes ſpiritu & eſurientes fide* Chriſtum *recipiant.* Hoc *eſt illud compellere, de quo dominus* Ieſus *in parabola, non externum ſed internum.* Hoc *modo* Ioan. Baptiſta *plurimos compulit, quibus pœnitentiam regnumq; cœlorum prædicauit.*

*Verbum domini recte prædicatum compellit intrare.*

**A diebus**

*A diebus nanq; Ioannis Baptiſtæ, regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud.* Matth.11. *Hac ratione ipſe Chriſtus, & poſt eum Apoſtoli, electos ex Iudæis gentibusq; ad hanc cœnam compulerunt, dum fractos et contritos corde, ſpe remiſsionis peccatorum, uitæq; æterna inuitauerunt, imò coegerunt ad fidem, in* Eccleſiam *ſanctorum & regnum cœlorum. Quis enim uere ſua peccata & iram* Dei *ſentiens, acceptaq; promiſsione ſalutis in Chriſto Ieſu, non conuertatur, & in corde ſuo compellatur ad recipiendũ* Euangelium *ſalutis? non debent igitur* Epiſcopi *& eccleſiarum paſtores ui, iniuria & armis ad fidem cogere, ſed uerbo* Domini *urgere, inſtare inuitareq; ut præfractos emolliant, contradicentes conuincant, errantes reducant, extraneos conuertant.* Nõ *enim ſunt fidei noſtræ domini, principes ac magiſtri,* Chriſtus *eſt caput* Eccleſiæ, *doctor,* Dominus *& auctor fidei & confeſsionis noſtræ.* Matt 23. Eph.1. He.1. *Apoſtoli et* Eccleſiaſtæ, *miniſtri ſunt atq; diſpenſatores myſteriorum* Dei.1.Corin.3.et 4. *Chriſti eſt* Eccleſia, *ideoque* Paulus *ait:* Non *quod dominemur uobis nomine fidei* 2. Corint.1. Data *eſt nobis poteſtas in ædificationem & non in deſtructionem ueſtri.*2. Cor.10. Ac *diuus* Petrus: *Presbyteros qui inter uos ſunt obſecro, qui ſum & ipſe presbyter, ac teſtis afflictionũ Chriſti, atq; idem conſors gloriæ, quæ reuelabitur, paſcite quantum in uobis eſt gregem Chriſti, curam illius agentes, non coacte, ſed uolentes, non turpiter affectantes lucrum, ſed pro*

Eccleſiaſtica poteſtas quæ ſit.

*penſo animo, neq; ceu dominium exercentes aduerſus cleros, ſed ſic ut ſitis exemplaria gregis.* 1. Petri 5. Et *cum diſcipuli ambitioſi de eminentia quærerent, quis eorũ maior eſſet futurus? dixit eis* Dominus: *Reges gentium dominantur eis, & qui poteſtatem habent ſuper eas, benefici uocantur. Vos autem non ſic, ſed qui maior eſt in uobis fiat ſicut iunior. Et qui princeps eſt, ſicut qui miniſtrat.* Luc 22. Marc. 10. *Scitis quòd qui uidentur imperare gentibus, dominium exercent aduerſus illas, & qui magnates ſunt inter eas, poteſtatem exercent in illas. Verum non ſic erit inter uos, ſed quicunq; ex uobis uoluerit fieri magnus inter uos, erit miniſter ueſter.* Et *quicunq; uoluerit ex uobis eſſe primus, erit omnium ſeruus,* Omnino *uolens nulla tyrannide dominari debere* Epiſcopos *et* Eccleſiarum *miniſtros, ipſos non habere poteſtatẽ tyrannicam, ſed prædicandi uerbi* Dei, *et ſacramenta diſtribuendi, ligandi et ſoluendi uerbo, ſine ui humana. Videat igitur* Romanus *pontifex cum reliquo ſuo ſodalitio mytratorum caterua* Epiſcopis, *quomodo regnum ac dominium ſeu potius tyrãnidem ſuam uelit defendere, et illã in* Decretis *ſanctionem* 96. *diſtin.* Conſtantinus, *qua ſibi ſupremam poteſtatem & imperium in omnes legittimos magiſtratus,* Reges *ac* Imperatores *tyrannice arrogat, quo iure, quibus rationibus aſſerere?* Diuus *certe* Petrus, *cuius ſe iactant uicarios & ſucceſſores, non permittit illis dominium in cleros.* Et *ipſe* Dominus Ieſus Apoſtolos, Prophetas, Euangeli-

*Impius Canon de Roma. Ponti. ſublimitate*

ſtas,

*ſtas, Paſtores, ac doctores ad inſtauratione͂ ſanctorum, in opus adminiſtrationis, in ædificationem Eccleſiæ inſtituit. Ephe. 4. Non reges, monarchas aut tyrannos. In ciuili politia ſunt Imperatores, principes et magnates, qui dominium exercent. In regno Chriſti et in Eccleſia ſunt doctores et paſtores: ipſe Eccleſiæ caput, princeps et imperator eſt. Itaq; non permittit uerbum Euangelicum, compelli intrare, Epiſcopis ſæuire, ui & tyrannide cogere gregem ad quoduis doctrinæ genus recipiendum. Noluit enim Dominus Deus ſaluator aliud uerbu͂ prædicari et recipi, quà ſuum, hoc eſt legem et Euangelium. Nec uoluit quenquam tyrannica poteſtate urgendum ad ſuum uerbum, regnum & Eccleſiam. Prædicetur Euangelium libere ac palàm, et ipſum coget plurimos ad cœnam, non reuertetur uacuum & ſine fructu, uelut ipſe Dominus apud Prophetam Ieſa. 55. teſtatur.*

## CLXX.

## Conſiderat impius iuſtum, et quærit mortificare eum. Pſal. 37. Dominus mortificat. 1. Samuelis capite 2.

*Valde diſsimiles atq; pugnantes uidentur hæ ſententiæ. Impius mortificat & Dominus mortificat, quorum prior impiorum ingenium ſtudiumq́;, quomodo intus in corde affecti ſint, quid cogitent et meditentur, explicat. Poſterior Dei omnipotentiã narrat, quæ operatur omnia*

in omnibus. Impij parricidiali odio erga pios flagrant, hos ſemper perſequuntur, uelut Sathan mendax & homicida eſt, & ſemper inſidiatur calcaneo noſtro ita impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non eſt pax impijs, dicit dominus Deus Ieſa 57 Semper odiũ, minas & cædem ſpirant, ſepulchrum apertum guttur eorum, linguis ſuis ad dolum uſi ſunt, uenenum aſpidum ſub labijs eorum, quorum os execratione & amarulentia plenum eſt, ueloces pedes illorum ad effundendũ ſanguinem, contritio & calamitas in uijs eorum, & uiam pacis non cognouerunt, non eſt timor Dei coram oculis eorum. Rom. 13. Viri ſanguinum, leones, lupi, feræ & canes ſunt impij, innocentem ſanguinem ſitientes, ſicut Cain innocentem fratrem interemit, Iſmael fratrem Iſaac odit. Eſau germanum Iacob perſequitur, Pharao Iſraëliticum populum, Saul Dauidem, Iezabel prophetas, Iudæi, Prophetas & prophetarum Dominum Ieſum Chriſtum, & eius Apoſtolos, Herodes paruulos, et hodie impij Phariſæi, Pontifices ac Hypocritæ, reuelati Euangelij ſtudioſos. Gladium acuunt impij & tendunt arcum ad proſternendum pauperem et inopem, & ad mactandum rectos in uia. Pſal. 37. Niſi Deus impediret nonnunquam conatus impiorũ, terram cædibus replerent. Verum prohibet plerunq; manus eorum (erhelt vnd ſpert ihnen die hand) ne lædere poßint, ſicut Pharaonis Aegyptiorum tyranni & Saulis manus cohibuit à cæde. Pſal. 21. Cogitauerunt

*Impij occidunt pios.*

*Impiorum ſtudium.*

*tauerunt conſilium, ſed non potuerunt ſtabilire. Sunt quidem gladij ſemper in labijs eorum, & ad nocendum parati, tamen non poſſunt ſemper animi uoluptatem implere. Quòd uero Anna Elcanæ uxor canit: Dominus mortificat, opus diuinæ potẽtiæ deſignat. Ipſe enim mortificat & uiuificat, deducit ad inferos & reducit, dominus pauperẽ facit & ditat, humiliat & exaltat. Suſcitat è puluere egenum, & è ſtercore eleuat pauperem. Vt ſedere faciat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem &c. 1. Sam. 2. Deus ſolus eſt omnipotens, & ſolus omnia facit: nihil poteſt Sathan, mundus & inferorum poteſtas ſine eius nutu, omnes capilli ſanctorũ numerati ſunt, nec ullus de capite decidet citra Dei omnipotentis uoluntatẽ. Permittit aliquando Sathanæ et eius ſatellitio ſæuire in pios, qui ſine Dei permiſſione ne pilum incuruare poſſent. Vere igitur Deus mortificat, dum ſinit impios graſſari, dum uitæ ſpacium abrumpit. Hio. 14. Determinati dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt, cõſtituiſti terminos eius, qui præteriri nõ poterunt. Pſal. 31. In manu tua ſunt tempora mea, dum gladio, fame, igni, aqua, morbis, alijsq; malis occidit. Eſt quoq; alia ratio qua dominus mortificat, non externa, ſed interna & ſpiritualis, quando reuelato peccato, territaq; cõſcientia, lege & diuini iudicij ſenſu carnem cum ſuis concupiſcentijs mortificat. De qua ratione mortificationis potiſſimũ uidetur dixiſſe Anna: Dominus mortificat et*

*Dominus ſolus occidit.*

*Dominus mortificat et uiuificat*

uiuificat, qua de re aliâs ſæpe. Solus itaq; Dominus mortificat: Impij autē, peſtis, gladius, fames ac reliqua mala occidunt, ſi permittantur à Deo: quæ ſynechdocha familiaris eſt ſcripturæ. Conſpirauit in necem noſtram uniuerſa impiorum ſynagoga aliquot habitis commicijs, ſed quia Deus mortificat, et ſolus eſt Dominus mortis, nihil efficere potuerunt tyranni, Dominus ipſos deſtruet, & non ædificabit eos: Deſtruet eos in finem, tollet eos, euellet eos è tabernaculo, & eradicabit eos ex terra uiuentium, ſi non conuerſi fuerint.

Impij permiſſi mortificant.

Impiorum ruina.

CLXXI.

## Ne fraudem feceris. Marc. 10. Iacob patrem ſuum Iſaac, et ſocerū Laban fraudauit. Gen. 27. & 30.

In præceptis decalogi ſeptimo & octauo mandato, omnis fraus & dolus inhibetur, & comminatio pœnæ quoq; addita eſt: Ego Dominus Deus tuus, Deus zelotes, uiſitans iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam et quartam generationem, odio habentes me. Præter hanc ſcriptam legem, idem lex naturæ ſingulorum mentibus inſculpta, exigit: Quod tibi nolis fieri, alteri ne feceris: nolles tibi fraudem fieri, nec tu alium fefelleris. Nō poſſum igitur Iacobum patriarcham excuſare, quòd abſq; delicto patri & ſocero impoſuerit, quibus debebat honorem ac cultum. Patri cum ſe Eſau primogenitum diceret, ut benedictionē auferret matris aſtu, indutus optimis

Fraus & impoſtura prohibita eſt.

*mis* Eſau *fratris ueſtibus, poſitisq; ad collum manusq; hœdorum pellibus, ne à patre agnoſceretur.* Gene.27. Laban *uero ſocero ſuo dum uariat pecudis colorem, ut magnam accipiat mercedem* Geneſis 30. *Sic nec ipſum* Abraham *uolo excuſare, quòd* Pharaonem Aegyptium *fefellit.* Gene.12. Et Abimelechum Palæſtinum. Geneſis 20. *Quando* Saram *uxorem dixit eſſe ſororem.* Nec *quoq;* Iſaac *idem quod pater fecit committentem,* Geneſis 26. *excuſauero.* Nec Dauid *ſimulata inſania* Achis *regi* Philiſtini *imponentem.* 1. *Samuel.* 21. *Iſraëlitas* Aegyptum *ſpoliantes* Exodi. 11. & 12. *dominicum præceptum excuſat.* Magos Herodem *illudentes idem* Dei *mandatum de non redeundo ad* Herodem *quoq; excuſat. Reliquos autem ſanctos abſq; peccato fraudaſſe alios, non poſſum affirmare. Quis nanq; ſanctorum unquam dicere potuit: purum eſt cor meum, mundus ſum à peccato?* Pro.20. *Debet inter ſanctos charitas conſtare, & omnis fraus, dolus ac illuſio longiſſimè abeſſe. Sicut etiam diuus* Paulus *docet.* 1. The. 4. *Hæc eſt uoluntas* Dei, *ſanctificatio ueſtra, ut abſtineatis à ſcortatione, & ſciat unuſquiſq; ueſtrum uas ſuum poßidere, cum ſanctificatione & honore, non cum affectu concupiſcentiæ, quemadmodum et gentes, quæ non nouerunt* Deum, *ne quis opprimat ac fraudet in negotio fratrem ſuũ, propter ea quòd ultor eſt* Dominus *de omnibus his.* Et Baptiſta Ioannes *militibus, ne quem concutiant, aut calumnientur, iniunxit.* Luc.3. *Veritatem debemus loqui, & non mendatium*

Sancti impoſuerunt quoq;.

*Et ſermo noſter ſit, eſt, eſt, non, non, Matt. 5. Iacobi. 5.*

CLXXII.

## Tu Deus, afflixiſti populos, et expuliſti eos. Pſal. 40.

## Affligit me inimicus. Pſal. 42 & 43.

*Synechdocha tropus frequens in ſcriptura.*

*Nulla eſt in ſcripturis ſanctis figura uſitatior ſynechdocha, qua pars pro toto, aut totum pro parte uſurpatur, & unum ex alio intelligitur, ut cum ſcriptura dicit, Deum unicuiq; iuxta opera ſua redditurum, ſynecdocha eſt. Intelligit enim fideles aut infideles, ſeu fidei aut infidelitatis facta, fructus pro ipſis arboribus, ita cum inquit ſcriptura. Afflixerunt impij, hoſtes uel gentes populum tuum, affligit me inimicus, & affligentes &c. intellectio eſt, quia aliud intelligitur, nempe Deum ipſum per impios, hoſtes uel gentes, & alia iræ ſuæ inſtrumenta afflixiſſe, cum electos, tum reprobos, non poteſt Sathan ipſe princeps mundi, quantumuis armatus, potens, fortis, ſæuus, ac hoſtis noſter infenſißimus, affligere, aut uel tantillum incommodi inferre, citra omnipotentis Dei conſenſum atq; beneplacitum, adeo Deo optimo maximo curæ ſumus, ut uel minimus capillus capitis noſtri citra Domini nutum poßit decidere aut perire. Propterea ſancti Dei ſpiritu illuſtrati fatentur in cruce: Tu Deus afflixiſti nos &c. Quamuis ab hominibus affligantur, ſicut etiam ſanctus Hiob fecit, quãdo Dei permißione omnibus ſuis bonis eſſet ſpoliatus ab Sabæis et*

*Deus affligit per inſtrumenta.*

*Sathan nihil iuris habet in ſanctos.*

*Chaldæis: Dominus inquit, dedit, Dominus abſtulit, ſit* Hiob à deo
*nomen Domini benedictum, quamuis paterna hæredita-* *aſflictus.*
*te aut manuum ſuarum labore, illi diuitiæ ac opes auctæ*
*ſint, tamen inquit: Dominus dedit. Sola enim Dei bene-*
*dictio diuites facit.* Pro. 10. Et *Dominus abſtulit: Licet*
*Sathan & miniſtri ſui Sabæi atq; Chaldæi, ſpoliarunt*
*ſanctum uirum, nouit pius uir Deum ſolum omnipoten-*
*tem, Sathanam & impios nihil citra Dei uoluntatē poſ-*
*ſe, ideo hanc gloriam Deo tribuit. Similiter fecit Dauid* *Afflictio*
*in fuga & perſecutione Abſolonis, quando filius Abſo-* *à Deo.*
*lon regno cuperet eijcere patrem, & Semei Benſamita*
*regi Dauidi malediceret dicendo: Egredere, egredere,*
*uir ſanguinum, & uir impie. Reddidit tibi Dominus om*
*nem ſanguinem domus Saul, pro quo regnaſti, deditq;*
*Dominus regnū in manu Abſolon filij tui, & ecce es in*
*malo tuo, quoniam uir ſanguinum es. Ac Abiſai Seruiæ*
*filius ad regem dixiſſet: Quare maledicit canis hic mo-*
*riturus Domino meo regi? uadam obſecro, et amputabo*
*caput eius. Reſpondit Dauid: Quid mihi & uobis filij*
*Seruiæ? dimitte eum ut maledicat, Dominus enim præ-*
*cepit ei, ut malediceret Dauid, & quis eſt qui audeat di-*
*cere, quare ſic fecerit?* 2. *Samue.* 16. *Sic ſpiritus ſanctus*
*duxit Ieſum in deſertum, ut tentaretur à diabolo.* Mat. 4.
Et *Chriſtus permiſit dæmonibus abire in porcorum gre*
*gem.* Matth. 8. *Dominus mortificat & uiuificat: dedu-* *Inſtrumen-*
*cit ad inferos & reducit etc. Impij tantū miniſtri et diui-* *ta afflictio-*
*næ afflictionis organa ſunt. Deus ipſe affligit, ſed per in-* *nis.*
*ſtrumenta*

*ſtrumenta, quæ ſunt ignis, aqua, peſtis, beſtiæ, mors, gladius, fames, morbus, grando, tempeſtas, impij, diabolus, infernus &c. Deus omnipotens eſt Dñs, auctor et iudex pœnarum, reliqua omnia ſunt inſtrumenta. Sicut hodie affligit nos propter Euangelij contemptum, et malorum omniũ ſtudium, per diuerſa afflictionum genera. Et tamẽ dicimus, fames, bellum aut peſtis affligit nos, uſitato nimirũ oĩm linguarũ tropo. Hie. 25. Ecce in ciuitate in qua inuocatum eſt nomen meũ, ego incipio affligere. Amos 3. Non erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.*

## CLXXIII.

## Specioſus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Pſalm. 45.

## Non eſt forma ei neq; decor, et uidimus eũ, et non erat aſpectus. Ieſ. 53.

*Regnum Chriſti deſcribitur.*

*Pſalmus quadrageſimus quintus deſcriptionem & encomium regni Chriſti continet, non quale coram mundo, in carne & uiſibili ſpecie habetur, ſed quale ſit re ipſa, in ueritate coram Deo & in ſpiritu. Eructauit, inquit, cor meum, uerbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea ut ſtilus ſcribæ uelocis. Hoc fuit exordium, quo auditorem attentum & docilem facit. ſequitur carmen: Specioſus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit tibi Deus in ſe-*

*in ſeculum. Accinge gladium tuum ſuper femur ô potens, gloriam tuam & decorem tuum. Et in decore tuo proſperare, equita ſuper uerbum ueritatis, & manſuetudinis, & iuſtitiæ, & docebit te terribilia dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in cor inimicorum regis cadent. Sedes tua Deus in ſeculum et in æternum, uirga æquitatis eſt uirga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, et odiſti impietatẽ, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis &c. Canit autem non de naturali corporis pulchritudine, ſed de ſpirituali, quòd Chriſtus Ieſus rex et ſponſus ille uerus ſit Deus & uerus homo: Nullo originali peccato, inſtar aliorum filiorum Adam, ſordidatus ac fœdus, ſed purus, innocens, ſanctus, iuſtus: cui non ad menſuram Deus ſpiritum tradiderit. Ioan. 3. ſed plenus ſit gratia & ueritate Ioa. 1. imago Dei inconſpicui, in quo habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter. 1. Col. 1. et 2. Splendor gloriæ, & expreſſa imago ſubſtantiæ Dei. Hebræ. 1. Omnes alij filij Adam natura deformes, in peccatis concepti & nati, filij iræ, impuri, at Chriſtus præ filijs hominũ, perpulcher et formoſiſſimus, nullis ſordibus inquinatus eſt: & regnum Chriſti quod eſt iuſtitia, pax, & gaudium in ſpiritu ſancto. Roman. 14. regnum omnium ſeculorum, omnia mundi regna ſuperat & excellit, & pulcherrimum regnum eſt propter inhabitantem maieſtatem diuinam, ſpiritusſancti chariſmata, angelorum miniſterium & ſummam puritatem. Regna mundi caduca,*

Chriſti deſcriptio.

Regna mũdi nihil ſunt præ regno Chriſti.

miſerijs & calamitatibus plena ſunt. Reges ipſi cum re-gno pereunt. Chriſtus rex eſt regum, & Dominus do-minantium, cuius regni non eſt finis. Ideoq; rectiſsime Propheta Chriſtum ſuper omnes eleuat & extollit, ſpe-cioſus es, inquiens, plus quàm omnes homines. Ieſaias ue-ro capite. 53. Quanquàm de eodem rege & regno lo-quatur, tamen potiſsimum prophetauit, qualiter Chriſti regnum à mundo fuerit excipiendum, quis ſenſus & iu-dicium mundi ſit de Chriſto et regno eius, quantum hu-miliandus. Quia Chriſtus non in regia, ſplendida, ma-gnifica ac, diuina forma apparuit, ſed ſeipſum inaniuit forma ſerui ſumpta, in ſimilitudine hominum conſtitu-tus, & figura repertus ut homo. Qualem Chriſti aduen-tum etiam Zacharias cap. 9. prænunciauit: Ecce rex tuus ueniet tibi iuſtus & ſaluator, humilis, & equitans ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. Præuidit prophe ta Chriſtum in ſua uenturum, ſed à ſuis non recipien-dum, abiecta & cõtemptibili eius forma offenſi, proptе-rea exclamat: quis credit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcendit ſicut uirgultum, & ſicut radix de terra deſerti. Non eſt forma ei, neq; decor. Et uidimus eum, & non erat aſpectus ut deſide-raremus eum. Deſpectus eſt & nouiſsimus uirorum, & uir dolorum, & expertus infirmitatem, & abſcondeba-mus faciem ab eo, deſpectus & non reputauimus eum, uere languores noſtros ipſe tulit &c. Deſcribit igitur Ieſaias humiliatum Chriſtum, Dauid uero regnantem.

Et

*Et quamuis hic Chriſtus coram Deo patre ſemper glorioſus, dilectus, precioſus, ſublimis & magnificus, pulcherrimus præ filijs houminum extiterit, etiam in cruce & extrema turpitudine: tamen coram mundo abiectus, uilis, nouiſsimus uirorum & non homo eſt habitus. Ita Chriſti regnum in ſe, & coram Deo eſt glorioſum atq; ſpecioſiſsimum, at coram mundo eſt contemptiſsimum uiliſsimumq;. Ergo Pſalmus deſcribit quis ſit Chriſtus, Ieſaias uero qualis habeatur.*

## CLXXIIII.

# Non credas inimico tuo in ęternum Eccleſiaſtici. 12,

# Diligite inimicos ueſtros. Matt. 5.

*Non tantum Chriſtum in nouo teſtamento, ſed & Moſe atq; Salomon in ueteri Teſtamento diligendos inimicos docuerunt, ſic enim legis Exod. 25. Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si uideris aſinum odientis te iacere ſub onere, nō pertranſibis, ſed ſubleuabis eum. Et Proue. 24. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et cum impegerit, ne exultet cor tuum. Et Pro. 25. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis ſuper caput eius, et dominus reddet tibi. Igitur hoc Ieſu Syrach præceptum, non eſt contra ſecundam tabulam et charitatis mandatum, ſed potius primi præcepti explicatio, qua fides in unum Deum requiritur, ut ſpem & fiduciam in* Inimici diligendi.

*unum* Deum *collocemus,et non in ullam creaturam,uel cœleſtem uel terreſtrem.* Maledi*ctus enim qui confidit in homine,et ponit carnem brachium ſuum,*& à Domino *recedit cor eius.* Hiere.17. *Debemus quidem amare omnes etiam inimicos: benefacere egentibus citra perſonarum reſpectum, ſed non debemus animam* & *ſalutem noſtram inimicis credere, ſperare in homines, ſicut et* Ie*ſaias admonet capite* 2. De*ſinite uobis ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius.* Q*uorſum etiam* Chri*ſtus reſpexiſſe uidetur* Mat.10.*cauete ab illis hominibus.* Et Ioa. 2. Ip*ſe* Ie*ſus non credebat ſemetipſum ijs qui uiſo ſigno crediderunt in nomen eius, eo quòd ipſe noſſet omnes, nec opus haberet, ut quiſquã teſtaretur de homine,ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine,*& Io*ſeph noluit fidere* Archelao *filio* Herodis.Matt.2. *ad uerba autem* Ie*ſu* Syrach *attendendum. non inquit:ne diligas inimicum, ſed ne credas inimico:* & *aliud eſt amare,aliud credere.* Amare *inimicos debemus iuxta* Chri*ſti præceptum,ſed credere non debemus.* Poterimus *etiam prouerbium* Ie*ſu* Syrach *pro œconomico ſeu politico præcepto intelligere,quales ſententiæ plures ſunt in eo libello, quæ mores formant,*& *ciuilem uiuendi formam tradunt,ne inimicis confidamus,nam qui ſemel animo alienati à nobis defecerunt,odium ſeruant,ſimultates alunt,et uindicandi occaſionem aſsiduo quærunt,propterea inſidiæ et bona ipſorum uerba cauenda, uix enim tuto fidendum reconciliato hoſti, ſicut prouerbialis admonet ille* Sena*rius:*

*Hominibus non confidendum.*

*Homines inimici cauendi.*

*Inimicis nõ credẽdum.*

*rius: Ab hoſte dicta, ne unquam amica duxeris, et alter huic ſimilis: Diffidens hoſti, nil unquam pati poteris mali. Dicit itaq; Ieſus Syrach: non credas inimico tuo in æternum, ſicut enim æramentum, æruginat nequitia illius, & ſi humiliatus uadat curuus, abijce animum tuum, & cuſtodi te ab illo. Non ſtatuas illum penes te, nec ſedeat ad dexteram tuam, ne conuerſus ſtet in loco tuo: ne forte conuerſus in locum tuum, inquirat chathedram tuam, & in nouiſſimo cognoſcas uerba mea, & in ſermonibus meis ſtimuleris. Quis miſerebitur incantatoris à ſerpente percuſſo, & omnibus qui appropiant beſtijs? Sic & qui comitatur cum uiro iniquo, & obuolutus eſt in peccatis eius, una hora tecum permanebit, ſi autem declinaueris, non ſupportabit, In labijs ſuis indulcat inimicus & in corde ſuo inſidiatur, ut ſubuertat te in foueam, in oculis ſuis lachrymatur inimicus, & ſi inuenerit tempus non ſatiabitur ſanguine, & ſi incurrerint tibi mala, inuenies eum illic priorem, & quaſi adiuuans ſuffodiet plantas tuas. Caput ſuum mouebit, & plaudet manu, & multa ſuſurrans commutabit uultum ſuum.*

Inimici ſtudium.

## CLXXV.

Regnabit ſuper domũ Iacob in æternũ, et regni eius nõ erit finis. Lu. 1. Cum tradiderit regnum Deo & Patri, 1. Corinth. 15.

Scriptura paſsim teſtatur Chriſti regnum fore ſempiternum, ut 2. Samue.7. Firmabo ſolium regni eius uſq; in ſeculum. Ieſai. 9. Et pacis non erit finis ſuper ſolium Dauid & ſuper regnum eius, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſticia, ex hoc tempore, & uſq; in ſeculum. Dani.2. Suſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non corrumpetur. Daniel. 3. Regnum eius regnum ſempiternum, & poteſtas eius cum generatione & generatione. Dani.7. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Ita angelus Gabriel uirgini Mariæ: Ne timeas Mari i, nacta enim es gratiam apud Deum Ecce concipies in utero, & paries filium, ac uocabis nomen eius Ieſum. Is erit magnus, & filius altiſsimi uocabitur. Et dabit illi Dominus Deus ſedē Dauid patris ipſius, regnabitq; ſuper Domum Iacob in æternum, & regni eius nō erit finis. Ioan.12. Nos audiuimus ex lege, quòd Chriſtus manet in æternum, quare ergo Paulus dicit Chriſtum regnū Deo & patri traditurum? Paulus non uult hiſce uerbis fore finem regni Chriſti, ſed uult indicare regnum Dei in mundi conſumatione reuelandum perfectiſsime pleniſsimeq; : Ita ſcilicet, ut manifeſte uideatur quòd Chriſti regnum, ſit Dei patris regnum, & quòd ipſe Dn̄s Ieſus, Apoſtoli ac prædicatores in orbe terrarum annunciauerunt, eſſe illud ipſum regnū quod tūc cernent ſancti facie ad faciem, palàm, manifeſte ac reuelate. Quia enim Ieſus Chriſtus uerus eſt Deus, & regnum

Regnum Chriſti, regnum æternum.

gnum Dei æternum eſt. Pſalm. 145. Regnum tuum regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omnem generationem & generationem: ſequitur Chriſti regnum eſſe æternum. Sicut Deus omnipotens fuit ab æterno, ita regnum eius ab æterno fuit, abſcondite tamen. Cœpit deinde ſuo tempore Deus & ſe & regnum ſuum paulatim reuelare per uerbum ſuum: Non ita tamen aperte, ut palàm diuina maieſtas & regnum à carne cerneretur, ſicut in fine mundi futurum credimus. Miſit Patriarchas, Moſen, & Prophetas ſpiritu ſancto illuſtratos, prædicare conſilium ſuum. Et hac ratione cœpit ſeſe inſinuare hominibus, tandem filium ſuũ unigenitum qui eſt in ſinu patris, & qui ſolus nouit & uidit patrem, emiſit. Hic cœpit in Iudæa prædicare Euangelium regni, hoc eſt, gratiam, remiſsionem peccatorum reſurrectionem mortuorum, & uitam æternam, ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum. Ab hoc tempore cœpit regnum Dei innoteſcere. Ab reſurrectione & aſcenſione factus eſt Chriſtus glorioſus rex, & ſecundum humanitatem Dominus omnium creaturarum, ſicut ſcriptura habet Pſalmo. 8. Minuiſti eum paululum ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, dominare feciſti eum ſuper opera manuum tuarum, omnia poſuiſti ſub pedibus eius, oues & boues uniuerſas: Et inſuper quadrupedia campi, uolucres cœlorum & piſces maris, tranſeuntes ſemitas maris. Deus Dominus noſter, quàm magnificum nomẽ tuum in uniuerſa terra.

Deus uerbo ſuo ſemetipſum reuelauit.

Chriſtus declaratus rex ab reſurrectiõe.

Explicatur hic Pſalm. Hebræ.2. De hac ſua gloria ipſe Chriſtus Mat.28. Data eſt mihi oĩs poteſtas in cœlo & in terra. Et paulus Ro.1. Declaratus eſt filius Dei cum potentia ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ex eo quòd reſurrexit à mortuis Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Eph.2. Suſcitauit eum ex mortuis, & ſedere fecit ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, ac poteſtatem, & uirtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in ſeculo hoc uerum etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſub pedes illius, & eum dedit caput ſuper omnia ipſi eccleſiæ, quæ eſt corpus illius, complementũ eius, qui omnia in omnibus adimplet. Eph.4. Cum aſcendiſſet in altum, captiuam duxit captiuitatem: & dedit dona hominibus. Cæterùm illud aſcendit, quid eſt, niſi quòd etiam deſcenderat prius in infimas partes terræ? Qui deſcendit, idem ille eſt qui aſcendit ſupra omnes cœlos, ut impleret omnia. 1. Philip. 2. Chriſtus Ieſus cum eſſet in forma dei, non rapinam arbitratus eſt, ut eſſet æqualis Deo: ſed ſemetipſum inaniuit forma ſerui ſumpta, in ſimilitudine hominum conſtitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus illum in ſummam extulit ſublimitatem, ac donauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium ac terreſtrium, & infernorum, omniſq; lingua confiteatur, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus ad glo-

riam

*riam dei patris. Iuſſit præterea & Chriſtus ſuos diſcipulos hoc regnum & hanc ſuam gloriam annunciare in mundum uniuerſum Mar. 16. Ite in mundum uniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Act. 10. dixit Petrus: poſteaquā reſurrexerat à mortuis, præcepit nobis, ut prædicaremus populo, ac teſtificaremur quòd ipſe ſit ille qui conſtitutus erat à Deo iudex uiuorum ac mortuorum &c. Ipſe ſpiritu ſancto ac uerbo ſuo adminiſtrat regnum hoc, regnat in fidelibus, & præſens eſt uſq; ad ſeculi conſummationem. Matt. 28. Et huius regni arrabo atq; ſigilla ſunt Euangelium, Spirituſſanctus, Sacramenta: Babtiſmus, Euchariſtia, Abſolutio ſeu clauiū poteſtas Qui fideles ſunt, atq; Euangeliū regni fide recipiunt, & Sacramenta percipiūt, filij ſunt regni, & uitam æternam, id eſt regni reuelationem expectant. In ſpiritu et fide conſiſtit atq; creſcit: eſtq; tectum apud nos & plane myſterium. Credimus enim in Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ. Credimus in Ieſum Chriſtum filium eius unicum, incarnatum, paſſum, reſurrexiſſe, aſcendiſſe ad cœlos, ſedere ad dexterā Dei patris omnipotentis, inde uenturū iudicare uiuos et mortuos. Credimus in ſpiritum ſanctum, ſanctam eccleſiā catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & uitam æternā Hæc omnia credimus, nihil horum coram cernimus & ſentimus. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, 1. Cor. 13. & 2. Cor. 3. nos omnes re*

Chriſtus regnat in fidelibus per uerbum & ſacramenta.

Miſterium regni Dei.

Regnum dei nondū clare cernimus ſicut in die Domini.

*tecta facie, gloriam domini in ſpeculo repræſentãtes, ad eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam tanquàm à Domini ſpiritu. Ita etiam diuus Euangeliſta Ioãnes: Chariſsimi, nunc filij Dei ſumus, et nondum apparuit quod futuri ſumus: ſcimus aũt quoniã ſi apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eũ ſicuti eſt. Ioan. 3. Eſt quidem Chriſtus rex æternus, tamen hanc ſuam gloriam, dignitatem ac regnum occultius nunc adminiſtrat, quàm à carne poſsit compræhendi: ut gentes non agnoſcant eum Deum regnantem in cœlis & in terra, quamuis permittat hoc ſuum regnum, gloriam & potentiam in uniuerſum orbem annunciari per Euangelium, tamen non omnes credunt Euangelio, regnat in ſpiritu tacitis & occultis modis, non admodũ manifeſto regno, ut cernatur imperare, quia regnum ſuum non eſt de hoc mundo, nihil eius regni uides præter Euangelij predicationem, et Sacramentorum diſtributionem, per quæ Deus in ſuorum regnat cordibus, eſtq́; regnum fidei, id eſt, inuiſibile, quod in fide et ſpe uerſatur atq; conſiſtit: tolerat nanq; Chriſtus rex blaſphemos, uerbi ſui contemptores, præuaricatores, impios, tollerat Sathanã decipere, ſeducere, & calamitatibus obijcere electos, tolerat mortem graſſari ſine diſcrimine in bonos æque ac in reprobos, quia nondum uenit hora illa, qua regnum Deo patri reſignaturus eſt, ſuo tempore reuelabit gloriam regnumq́; magna & manifeſta potẽtia, ſuis electis redditurus promiſſum regnum, gloriam & uitam æternam: inimicis*

*micis*

*micis uero gehennam. Tunc Sathan et mundus pedibus Chriſti proſtrati ſubiacebunt, peccatum quod commaculauit & perdidit omnes, deletum & ſubmerſum erit. Mors quæ ſine diſcrimine in omnes ſæuijt, & quoſcunq; deglutiuit, uicta proſtrabitur. Nouiſſimus ille hoſtis omni ui et tyrannide amiſſa ſubiacebit, quẽadmodum Paulus. 1. Cor. 15. copioſe explicat. Non magis ut imbecillis homo regnabit, ſed ut Deus. Ceſſabũt omnia imbecillia, omnia infirma, non erit amplius mali alicuius diſsimulatio aut tollerantia: impij cum diabolo in tenebris cõticeſcent, & pij in gloria regnabunt. Et ſicut Antichriſtus longo tempore in eccleſia clam imperitauit, donec hiſce nouiſſimis tẽporibus primum detectus et reuelatus fuit, ut ab omnibus deo doctis, cognoſcatur: Ita nouiſſimus dies & iudicium Domini manifeſtabitur, et dies ille Chriſti regnum tectum adhuc, plene & perfecte reuelabit: omnis regni maieſtas erit aperta, quemadmodum nunc deſideramus & expectamus. Ideo Petrus ſe conſortem gloriæ reuelandæ appellat. 1. Petri. 5. Tectũ dico, eſt iam Chriſti regnum: uelut ſol nonnunquam tectus eſt nubibus, ut non uideatur à nobis, quamnis ſplendeat aſsiduo, à nobis tamen cerni non poteſt propter obductam nubem: Sic Chriſti regnum tectum eſt modo. Et quemadmodũ theſaurus abſconditus, aliquando à nobis depromitur & manifeſtatur, ita Chriſti regnum quod nunc fidei regnum eſt, non palam cernitur, remotum ab oculis noſtris, ſed erit tempus, quando Dominus Ieſus manife-*

*Regnum Chriſti tolerat multa mala, regnat enim Chriſtus per carnis ſuæ imbecillitatem.*

*Antichriſtus reuelatus.*

*Iudicium reuelandũ.*

ſte reuelabit gloriam & potentiam regni ſui, ac nos in illud transfert. Nunc prædicatur regnum gratiæ & ſalutis, tunc manifeſtabitur regnum fidei ac gloriæ. Videbimus noſtris oculis Chriſtum regem in gloria & maieſtate ſua, quem nunc tantum credimus. Erit fidei ſuum præmium, ut non credamus porrò regnum filij Dei, ſed conregnemus & creditum regnum poßideamus. 1. Cor. 13. Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: aſt ubi uenerit quod perfectum eſt, tunc quod ex parte eſt abolebitur etc. Illud igitur Chriſti tradere regnum Deo & patri, nihil aliud eſt, quàm reuelare gloriam Dei, & id quod futuri ſumus: fidem & myſterium auferre, ut porrò fide opus non ſit, & ſuos coram patre ſtatuere, & manifeſte in regnum quod præparauit, collocare, ut uideamus eum ſine ænigmate & ſpeculo clarißimè. Et tum non dicetur amplius fidei regnũ, ſed gloriæ & maieſtatis manifeſtatæ: Tũ non credemus, ſperabimus ac expectabimus, ſed ſimiles erimus, conregabimus, expectatumq; et creditũ regnũ uere poßidebimus. Dixit nanq; Deus pater domino Chriſto à mortuis excitato: Sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos ſcabellũ pedum tuorũ. Pſal. 110. Oportet itaq; regnare Chriſtũ. donec poſuerit omnes inimicos ſub pedes ſuos, omnes hoſtes dei ſubijcientur deo patri, tũ & ipſe Chriſtus ſeipſum ſubijciet ei, qui illi ſubiecerit oĩa, ut ſit deus oĩa in omnibus 1. Cor. 15. Iuſticia, pax, gaudium, uita, ſalus, breuiter omnia, ut ſit Dei regnũ. Reſtituet nanq; ea patri, ſicut ab

Chriſtus tradet regnum Deo patri.

Chriſtus ſe patri ſubijciet.

eo

*eo accepit. Non accepit Chriſtus regnum & omnem iudiciariam poteſtatem, ut mutuo et ad tempus ſolummodo haberet, & deinceps rurſus reſignaret, & interim pater rex eſſet, ſed ut Chriſtus crederetur deus, patri æqualis, ſimul conregãs. Ita uiciſsim patri reſtituet, cum omnẽ patris uoluntatem impleuerit, & uocandos ad regnum cœleſte aduocauerit: non quòd Chriſtus regnum ſit depoſiturus et deſiturus porrò rex eſſe, ſed ut ſciatur non aliud regnum patris eſſe, quàm id quod Dominus Ieſus in mundo prædicauit, id eſt Chriſti regnũ eſſe Dei patris regnum, & patris regnum eſſe Chriſti regnum, idem æquale & unum. Chriſtus non abdicauit ſe regno, non ceſſabit regnare, ſed tradendo regnum patri, palam declarabit patrem regnaſſe per Chriſtum, & qui Chriſtum audierit, patrem audiuiſſe, qui Chriſtum abiecerit, Deum patrem abieciſſe, idem eſſe imperium amborum, tunc uidebunt in quem transfixerunt: Tradet regnum patri, manifeſtabit ſe cum patre eiuſdem ſubſtantiæ et maieſtatis, eandem poteſtatem, imperium & gloriam, nullum aliud regnum à ſe ipſo ſuis Apoſtolis & omnibus credentibus annunciatum, quàm hoc illud quod nunc manifeſtiſsime reuelaret, & ipſi coram cernerent et perciperent. Quo nos perducat dominus noſter Ieſus Chriſtus rex regum, & dominus dominantium, cuius regni non erit finis. Cui honor, laus, & imperium in omnes ætates, Amen.*

*Chriſtus quō regnũ acceperit.*

CLXXVI.

Non facietis ſinguli quod ſibi rectum uidetur. Deut. 12.

Fac quæcunq; inuenerit manus tua. 1. Samuel. 10.

*Intentio bona & quod nobis rectum uidetur non eſt faciendum.*

*Voluit optimus Deus populum ſuum ſine uerbo & mandato ſuo nihil incipere aut tentare: ideo enim tradidit uerbũ ſuum, miſit Chriſtum quem audire mandauit, inſtituit ſacra & cultus, docuit uiam perueniendi ad uitam æternam, nouit hominem corruptum et uiciatum, deflexiſſe à recto ſenſu & iudicio, amiſiſſe ueritatem et innocentiam, ſenſum & cogitationem humanam ad malũ pronam ab adoleſcentia, nihil diuini ſapere poſſe, iuxta illud: Sapientia mundi, ſtulticia eſt apud Deũ. Et eſt uia recta in conſpectu uiri, ſed extremum eius uia mortis. Prouer. 14. Simpliciter igitur uult, ut uerbum eius audiamus, & ſecundũ illud uitã, ſtudia & opera noſtra inſtituamus dirigamusq;. Nunquam bene ceßit liberi arbitrij uoluntas & bona, ut uocant, intentio, quod peccatũ Iſraëlitici populi ſatis declarat, qui bono ut ſibi uidebantur, cõſilio et intentione ad Aharonis conſenſum aureos uitulos ad diuinũ cultũ erexerant, Exo. 32. uoluit enim Dominus uniuerſum cœtum delere propter bonæ intentiõis opus, niſi Moſe interceßiſſet. Bono quoq; zelo, ut putabant filij Aaron alienum ignem adoleuerant, uerum Domini ignis ipſos cũ ſua intentione combuſſit horrendo exemplo, ne contra Dei præceptum aliquid tentemus.*

*Nunquam bene ceßit bona intentio.*

*mus. Leuit. 10. Et Gideon haud mala intentione Ephod Domino conſecrauit, ſed ſibi tamen & Domino in offen diculum ceßit. Iudi. 8. Adeo diſplicet Domino uerbi ſui neglectus & bona intentio. Quid Saul? nonne bona intentione armentum in uictimam Domini ſeruauit, uictis Amalechitis? etc. quàm uehemēter uero Domino diſplicuerit, ipſe Samuel ſatis expreßit: Nunquid uolūtas Domini eſt in holocauſtis et uictimis, ut in obtēperando uoci Domini? Ecce parere melius eſt quàm ſacrificiū, & auſcultare quàm adeps arietum, quia peccatum diuinationis eſt rebellio, & idolum, & teraphim tranſgredi. Pro eo quod contempſiſti uerbum Domini, abiecit te ne ſis rex. 1. Samu. 15. quaſi diceret: Quid promouiſti bona tua intentatiōe ô Saul, niſi ut à domino abijcereris? Iero boam intentio, cū in Dan ac Bethel aureis uitulis nouū cultum inſtitueret, utiq; recte in oculis ſuis uidebatur, ta men fuit ipſi & domui ſuæ in peccatum. 3. Reg. 12. Age igitur eleua tuos conatus, conſilia et intentionē, ut Deo diſpliceas. Paulus bona intentione eccleſiā Domini noſtri Ieſu Chriſti perſecutus eſt, æmulator exiſtens paternarum traditionū. Gal. 1. Phi. 3. ſed à domino redargutus fuit. Acto. 9. Iudæi zelo quodam Chriſtum & Euangelium ſunt perſecuti, ſed non ſecundum ſcientiā. Ro. 10. Et tu hanc bonā intentionem ſanctificabis? Chriſtus de ſuis pſecutoribus prædixit. Io. 16. Veniet tempus ut quiſquis interficiat uos, uideatur cultum præſtare Deo, & hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem neq; me.*

*Quibus*

Quibus uerbis oſtendit meram Dei ignorantiã et impie-tatem regnare, ubi bona intentione feruntur homines. Quis enim carni & ſanguini monſtraret uiam & uoluntatẽ domini? quod natum eſt ex carne, caro eſt. Ioan. 3. Ex carne naſcitur, quod ex nobis, noſtra carne, libro arbitrio & bona intentione proficiſcitur, ſine ſpiritu ſancto, præcepto Dei & fide, atq; hoc quoq; peccatum eſt. Quicqd enim ex fide non fit, peccatũ eſt. Ro. 14. Fit ſine fide quod ſine uerbo Dei perficitur, nam fides ex auditu eſt, auditus per uerbũ dei. Rom. 10. Nos itaq; non ſequamur carnem noſtram, id eſt ſenſum, iudiciũ, liberum arbitrium & bonam intentionem: ſed Ieſum Chriſtum Dei filiũ audiamus, uerbũ Dei ſequamur, faciamus quod dominus imperauit, et bene habebimus. Qui Chriſtum lucem mundi ſequitur, non ambulat in tenebris, ipſe eſt uia ueritas & uita. Mandatum autẽ Samuelis ad Saulem nõ confirmat opera liberi arbitrij, id eſt, bonæ intentionis: non docet & probat facere quod nobis placet & rectũ uidetur: non enim iubet Saulem quidlibet facere in omni uita. alioqui cur poſtea dominus reieciſſet optima intentione reſeruantem boues ad ſacrificium Domini? Imò illi præſcribit quid facere debeat, dicens: Quando ingredieris illuc urbem, obuiam habebis cœtum prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos erunt lyra, tympanum, tibia & cythara, & ipſi prophetantes. Et requieſcet ſuper te ſpiritus Domini, et prophetabis cũ eis, & efficieris uir alter, & erit cũ uenerint ſigna iſta tibi, fac

Vbi bona intentio, ibi Dei ignorantia & impietas.

Non ſequamur bonã intentionẽ in rebus fidei.

*fac quod inuenerit manus tua, quia Deus tecum eſt 1. Samu. 30. Iubet curare oblatũ munus regium, quod in manus inciderit, quod non quæſitũ illi adminiſtrãdum cõmittitur, Quod manus tua inuenerit fac: officium tibi cõmiſſum diligenter ac ſtrenue exequere, non quod tu quæſieris, elegeris, aut bona intentione aſſumpſeris: Nihil habent hic deuotarij ac intentionarij pro ſua bona intentione. Deus mandauit uerbum ſuum nõ intentionem noſtram. Si igitur Deo uoluerimus placere, & gratum facere, mittamus noſtram bonam intentionẽ & arbitriũ, obtemperemus uerbo Domini, & recte faciemus*

CLXXVII.

Fecit deus duo lũinaria magna, luminare maius ut præeſſet diei: & luminare minus, ut pręeſſet nocti, & ſtellas, & poſuit eas deus in firmamẽto cœli, ut lucerẽt ſuper terrã, & pręeſſent diei ac nocti, & diuiderent lucẽ ac tenebras. Gen. 1.
Qui præcipit ſoli, & non oritur, & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo. Hiob. 9.

*Moſe principio ſuorum librorum deſcribit cœli & terræ*

terræ, Solis ac Lunæ, elementorum & omnium creaturarum creationem, & in quem uſum atq; officium condita ſint ſingula, nempe ad hominis uſum et ſeruitutem. Solē ut per diem luceat, Lunam & ſtellas ut per noctem lucerent, & ſepararent lucē à tenebris. Dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Pſal. 33. & Pſal. 136. Qui fecit luminaria magna, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Solem ad dominandum in die, Lunam & ſtellas ad dominandum in nocte. Eccleſia. 1. Oritur ſol, et occidit ſol & ad locum ſuum tranſit, ubi oritur. Hiere. 31. Sic dixit dominus, qui dedit ſolem in lumine diei, ſtatuta lunæ, et ſtellarum in lumine noctis, qui rupit mare et ſonant fluctus eius, Dominus exercituum nomen eius. Omnibus præterea creaturis ſuum terminū conſtituit. Hiob. 26. Qui extendit aquilonem ſuper uacuum, & appēdit terram ſuper nihilū. Qui ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum. Qui tenet uultum ſolij ſui, & expandit ſuper illud nebulam ſuam. Terminū circūdedit aquis, uſq; dum finiantur lux & tenebræ. Hiob 38. Dominus Hiobem alloquitur: Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi ſi habes ſcientiam? Quis poſuit menſuras eius ſi noſti? uel quis tetendit ſup eam lineam? Super quo baſes illius fixæ ſunt? aut quis dimiſit lapidem angularem eius, cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Quis concluſit oſtijs mare? Quando irrumpebat quaſi de uulua procedens, cum ponerem nubem ueſtimentum eius, &

Sol in dominium diei, Luna in dominium noctis creata.

Omnes creaturæ ſuam legē & terminū habent.

calig

caligine illud quaſi faſcia obuoluerem? Circundedi illud terminis meis, & poſui uectē & oſtia, & dixi: Vſq; huc uenies, & non procedas amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Hanc Dei ordinationē Dauid quoq; Pſal. 104. commemorat: Fundauit terram ſuper fundamenta eius, ne moueatur in ſeculū & in ſeculum. Abyſſus ſicut ueſtimētum amictus eius, ſuper montes ſtabunt aquæ. Ab increpatione tua fugient, à uoce tonitrui tui præcipites feruntur. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum quem fundaſti eis. Terminum poſuiſti eis quem non tranſgredientur, neq; conuertentur operire terrā. Et plura alia ibidem. Prouer. 8. Deus poſſedit me ab initio uiæ ſuæ, inquit ſapientia Dei, ante opera eius ex tunc à ſeculo regnaui, ab initio ante terram, dum adhuc nullæ abyſſi, formata ſum, dum nulli fontes grauati aquis, dum adhuc montes non fixi eſſent, ante colles formata ſum, adhuc non fecerat terram & campos, & præcipuas terras urbis. Dum formaret cœlos ibi eram, dum deſcriberet circulum ſuper faciem abyſſi: dum confortaret nubes deſuper: dum confirmaret fontes abyſſi: dum poneret mari determinatum terminū ſuum, & aquis ne tranſgrederentur littus ſuum, dum deſcriberet fundamēta terræ &c. Et Pro. 31 Quis colligauit uentum in pugillos ſuos? Quis colligauit aquam in ueſtem? quis ſtatuit omnes fines terræ, quod eſt nomen eius, & quod nomen filij eius, num nouiſti? Poſtremo Paulus ea de re nonnihil Athenis diſputauit. Actor. 7. In hoc ordine perſeue-

rant

*rant omnes creaturæ, nullæ hanc legem prætergrediun- tur.* Hiob *aũt in oppoſito uerſu huic legi nihil contrari- um dicit, imò* Dei *omnipotẽtiam celebrat, quòd is ſolus rerum ordinem, & ſtatum mutare poßit.* Q*ui transfert inquit montes, & non cognouerunt homines quos ſub- uertit in furore ſuo: qui commouet terram, & columnæ eius contremiſcent: qui dicit ſoli ut non oriatur, & non orietur & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo: qui facit magna & incõpræhenſibilia, & mirabilia, quorum nõ eſt numerus,* Hiob.26: *in* Potentia *illius conturbatur ma re, & prudentia eius percußit fortitudinem eius.* Exem- *pla de maris diuiſione,* Exo.14. Iordanis, Ioſua.3. *de* So *le &* Luna, Ioſu. 10. Aba.4.1. Samu.7. Lege iudicum.5 Pſal.18.68. & 114. Dani. 2. *Sit nomen* Domini *benedi- ctum à ſeculo uſq; in ſeculum, quia ſapientia & fortitu- do eius eſt, & ipſe mutat tempora & ætates, transfert regna atq; conſtituit, dat ſapientiam ſapientibus, & ſci- entiam intelligentibus.*

*Deus ſolus naturæ legẽ mutat.*

## CLXXVIII.

### Stultus, qui ſtipulatur ac ſpõdet pro proximo. Prouer. 17.

### Iucundus homo qui miſeretur, & cõ modat. Pſalm. 111.

*Sponſio prohibita.*

*Salomon in libello ſententiarum, ſæpe monet de non ſpondẽdo, haud dubie propter has ratiões.* Primo: *quòd qui pro alio ſpondent et fideiubent, alienæ fidei nitun- tur*

*tur in homine confidunt, carnem ponũt brachium ſuum, & in primum præceptum decalogi peccant (eſt enim & ipſe legis interpres) Deo ſoli fiducia & confidentia debetur, hanc uades illi præripiunt, & in hominem uanum, fallacem, inconſtantem, mendacem et infidelem transferunt, contra mandatum Dei: Nolite confidere in principibus, in filijs hominum in quibus nõ eſt ſalus.* Pſal. 147 *Et maledictus homo qui confidit in homine,* Hierem. 17 *Niſi enim ſtatuiſſent apud ſe eum, pro quo ſpondent, talem eſſe qui non fallat, & qui expectationi reſpondeat, nunquam pro ipſo fideiuberent, credunt hominem ueracem, quem ſcriptura mendacem prædicat.* Pſal. 116. *Et homini fidere cum fide pugnat.* Nuſquam *enim tuta fides, plerunq; imò ſemper fallunt homines, quemadmodum* David *paßim in pſalmis conqueritur, uelut,* Pſal. 37. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me.* Pſal. 38. *Amici mei, et proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt. Et qui iuxta me erant, de longe ſteterunt.* Pſal. 55. *Quia non inimicus probris affecit me quod ſuſtinuiſſem, non odio habens me, aduerſum me magnificauit os ſuum, quia abſcondiſſem me ab eo: Sed tu homo ſecundum æqualitatem meam, dux meus & notus meus. Qui ſimul dulceſſere faciebamus ſecretum, in domo* Dei *ambulabamus coniunctim.* Pſalm. 88. *Longe feciſti notos meos à me.* Hiob. 9. *Noti mei abalienati ſunt à me &c.* Salomon *autem uolens reuocare ab hominibus, ab hominum fiducia ad Deum, ad fidem & timorem* Dei, *pro*-

Fiducia hominum decipit.

Omnis homo mendax.

hibet ſponſionẽ, et ſtultum, id eſt impiũ pronunciat, qui pro altero ſpondet. Et Chriſtus ipſe plenus charitate, et quo nemo unq̃ plus dilexit, nõ credebat ſemetipſum Iudæis, eo q̃ ipſe noſſet omnes: nec opus haberet, ut quiſq̃ teſtaretur de homine. Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. Ioan. 2. Suo exemplo docens non confidendum hominibus. Secundo, quia uades non credunt & nituntur diuinæ prouidentiæ & diſpenſationi, cum fideiubent de futuris, imô de incertis ſe obligando quæ in uiribus ipſorũ non ſunt ſita, neq; præſtare poſſunt. Nam qui ſcis an tu aut alter uicturus ſis? an creditor fidem ſeruaturus? an facultates præſtãdi ſponſionem habiturus? Futurorũ diſpenſatio, nõ eſt humani arbitrij, ſed Dei ſolius. Nimirũ tibi tribuis fideiubens de futuris atq; incertis. Neſcis quid ueſper ſerus uehet. Quis ſcit an adijciant hodiernæ tempora uitæ. Dij ſuperi Non ſcis quid gignet dies Prouerb. 27. Et ob hanc quoq; cauſam uidetur Salomon uetuiſſe ſponſionem. Tertio, quod qui pro alijs ſpondẽt, captiui ac ſerui fiant eorum q: i- us ſtipulati ſunt & debitores quoq;, qui libertatem ſuam amiſerunt, alijs obſtricti. Prouer. 6. Fili mi, ſi ſpondiſti proximo tuo, ſtipulatus es alieno manum tuam: irretitus es ſermonibus oris tui, captus es ſermonibus oris tui. Fac hoc nunc fili mi, & liberare: quia ueniſti in manum amici tui, uade, proſterne te, & fortiter apprehende amicos tuos. Non des ſomnum oculis tuis, et dormitationem palpebris tuis: Liberare ſicut capra, & ſicut auis de manu aucupis. Sicut

Hominibꝰ non confidendum.

Iudas

*Iudas patriarcha cum ſe pignus pro BenIamin fratre apud Ioſeph interpoſuiſſet, obſtrictus fuit, & captiuus quoq; ipſius Ioſeph. Ge. 42. & 44. Quarto q fideiußio plerunq; etiam contra charitatem quoq; fiat. Qui enim pro altero ſpondet, nō uult ipſe iuuare proximum, et egēti benefacere ſuppeditando neceſſaria, Mauult præſenti neceſſitati indigētis, occurrere pignoris locatione, quàm liberali munere pereuntē ſeruare: ſui cōmodi cauſſa ſpōdet, ne ipſe cogatur proximo expēdere facultates. Vera charitas non differt ſubſidium. Qui hodie dare nō uult, quomodo de craſtino, imò de incerto polliceri uult? Pro. 3. Ne dicas amico tuo, uade & reuertere, cras dabo: & quod petit, eſt apud te.* Hoc *etiam diuus Iacobus Chriſtianis interdicit. Iac. 2. In promptu conſulendū eſt egenti, hoc exigit charitas.* Et *uidetur hæc quoq; fuiſſe ratio Salomoni, cur uetuerit fideiubere. Quinto, ſponſio plerūq; damnū adfert ſibi aut ſuis.* Pro. *11. Male affligitur qui ſpopōderit pro alio.* Et *qui uitat ſtipulationes ſecurus eſt* Pro. *20.* Accipe *ueſtem eius qui ſpoponderit pro alieno: & ſi fideiußit pro peregrino, pignus accipe ab illo.* Pro. *22.* Non *ſis inter ſtipulantes manum & inter ſpondentes ſuper mutuo. Si non fuerit tibi ad reddendū, ut quid tollet lectum tuum, quod eſt ſuper te?* Proue. *27. Tolle ueſtimentum eius qui fideiußit pro extraneo.* Id *eſt, ſpōſor ſuæ impietatis pœnas dabit, quod confidit homini: uoluit periclitari, ideo damnum ferat. Eccleſia. 3. inquit Ieſus Syrach: Qui amat periculū, in illo peribit.*

*Sponſio damna dabit.*

*Spondæ noxa præſto eſt.*

Et Iudas patriarcha uindictas & uehementes anguſtias ſenſit, cũ ſe pignus interpoſuiſſet pro Beniamin fratre ſuo. Gen. 44. Sponſio damna dabit, ſicut iactatum prouerbium: Sponde, ſed noxa præſto eſt, admonet: Byrgen muß man zwyrgen. Qui pro alio ſpondet ipſe ſoluet. Videtur etiam illa fuiſſe cauſa, quare Salomon noluerit fideiuberi & ſponſiones fieri. Verum ſi nulla alia ratione poßis iuuare proximum, niſi pro illo fideiubendo: nõ puto ſapientißimum Salomonem prohibiturum, modo id fiat citra fidei, ac charitatis læſionem. Charitas enim legum eſt magiſtra: Charitas patiens eſt: benigna eſt, charitas non inuidet, charitas non eſt procax, non inflatur, non eſt faſtidioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniuſticia, ſed congaudet ueritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. 1. Cor. 13. Vera charitas quæ fidei pediſſequa eſt, nihil uouet aut pollicetur contra primæ tabulæ præcepta, Ideo Dauid dicit: Iucundus homo qui miſeretur & commodat. Iuſtus totus eſt in proximi miniſterio & officio occupatus, ſeipſum deuouet & diſcrimini exponit, ut ſeruet proximum, & beneficiat, iuuet, promoueat & ſaluet, ſicut Chriſtus animam ſuam pro amicis ſuis in mortem tradidit, et nos idem facere iußit: uult nanq; beneficentiam, & non ſacrificium. In ſumma, præcepta de non ſpondendo, ſunt primi mandati in decalogo, expoſitiones.

## CLXXIX.

Caſtiga filium tuum, quia eſt ſpes, ad interficiendum eum ne eleues animam tuam, Prouer. 19.

Filius rebellis iubetur lapidari, Deutero. 21.

*Hi duo uerſus quarti præcepti,* Honora patrem tuũ, *& matrem tuam, ut ſis longæuus ſuper terram, quam do minus* Deus tuus *dabit tibi, ſunt expoſitio, quibus pædagogia præcipitur parentibus, ut filios ſuos probe inſtituant, doceant & erudiant ad pietatem, timorem* Dei, *ad iuſticiam ſectandam, & quærendũ regnum cœlorum, delinquentes emendent & uirga caſtigent.* Nemo *frequentior eſt hiſce admonitionibus & mandatis ipſo Salomone.* Pro. 13. *Qui parcit uirgæ, odit filium ſuum: qui autẽ diligit illum, inſtanter erudit.* Pro. 22. *Stulticia colligata eſt in corde pueri, & uirga diſciplinæ fugabit eam.* Pro. 23. *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum uirga, non morietur: tu uirga percuties eũ, & animam eius de inferno liberabis.* Prouer. 26. *Flagellum equo, & camus aſino, & uirga dorſo imprudentium.* Sic Ieſus Syrach: *Qui diligit filium ſuum, aßiduat illi flagella, ut lætetur in nouißimo ſuo, & non palpet proximorum oſtia. Qui docet filium ſuũ, laudabitur in illo, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur.* Idem *præceptum* Moſe *explicat.* Porrò *ſi homini fuerit filius in-*

*Pædagogia præcipitur.*

*Caſtigandi pueri.*

*Eccleſiaſtici.* 12

obediens, rebellis & peruicax, non debet ipſum genitor mox domi perimere, ſed ad magiſtratum ducere, ut legũ & magiſtratus authoritate & iudicio plectatur. Verba Moſis ſunt. Si fuerit uiro alicui filius declinans, & rebellis, nõ obediens uoci patris ſui, & uoci matris ſuæ, caſtigabunt eũ: Et ſi non paruerit eis, capient eum pater eius & mater eius, et educent eum ad ſeniores ciuitatis eius, & ad portam loci eius. Et dicent ad ſeniores ciuitatis eius: Filius noſter iſte declinans, & rebellis eſt, Non eſt obediens uoci noſtræ, Epulo & potator eſt. Lapidabunt eum omnes homines ciuitatis eius lapidibus & morietur. Et auferes malũ è medio tui, & omnis Iſraël audient et timebunt. Deut. 21. Vindicta parentibus non cõmittitur, ne quidam furore & inſania magis quã prudẽtia animaduertant in liberos. Omnia ordine fieri debent. Caſtigandi ſunt filij, ut emendentur, nõ ut perimantur parentum furore & excandeſcentia. Et magiſtratus in hoc diuina ordinatione per uerbum Dei inſtituti ſunt, ut iudicẽt, ius ſeruẽt et adminiſtrent, ad uindictã quidem nocentiũ, laudem uero recte agentium. 1. Pet. 2. Priuata ultio lege & Euangelio prohibetur. Ro. 12. Non uoſmetipſos ulciſcentes dilecti, quin potius date locum iræ: ſcriptũ eſt enim: Mihi uindictam, et ego rependã, dicit dñs, Deu. 32 Parentes debent emendare & caſtigare filios, uindictæ uero & mortis ſententiam non debent ipſi ferre, ſed ad iudices & magiſtratus diuina ordinatione conſtitutos referre cauſam, & ab illis legis ſententiam expectare.

*Filius proteruus quomodo plectẽdus.*

*Magiſtratus ad iudicium cõſeruandum inſtitutus.*

Non

CLXXX.

## Non ſum miſſus niſi ad oues perditas domus Iſraeliticæ. Matt. 15. Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſq; ad extremum terræ. Ieſaiæ. 49.

*Chriſtus dominus peculiariter ex ſemine Abraham, id eſt filijs Iſrael, uoluit naſci: nã ipſi Abrahæ, et poſteris eius promiſerat Meßiam deus pater, Gene 22. In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Naſci igitur uoluit Dominus noſter Ieſus Chriſtus ex Maria uirgine, quæ erat de domo Dauid & tribu iuda: ad Iudæos promiſſus & expectatus uenit: Illis Euangelium regni cœlorum prædicare cœpit, miniſter circũciſionis factus, ſuam gentem primum aduocauit ad regnum cœlorum. In Iſrael uoluit primum innoteſcere. Et Apoſtolos ſuos ad oues perditas domus Iſrael primo deſtinauit, & in Iudæa manere iußit, donec per mortem, reſurrectionem, aſcenſionem et ſpirituſſancti emißionem glorificaretur. Non fecit taliter omni nationi: Annunciauit uerbum ipſi Iacob, ſtatuta ſua & iudicia ſua Iſraeli. Vnde Apoſtolus ad Ro. 9. Quorum eſt adoptio, & gloria & teſtamenta & legis conſtitutio, & cultus & promißiones, quorum ſunt patres, et ij ex quibus eſt Chriſtus, quantum attinet ad carnem qui eſt in omnibus Deus laudandus in ſecula,*

*Chriſtus rex Iudæis natus.*

*Amen. Omnia fecit populo ſuo, ne aliquam infidelitatis ſuæ excuſationem & prætextum relinqueret. Verum cũ ſui eũ nõ reciperent, Chriſtum ſaluatorem crucifixiſſent, Apoſtolos interemiſſent, ac multis horrendis modis per ſequerentur, & ita ſuæ gentis ingratitudinẽ, obſtinatãq; maliciam uideret: ſtatuit populum ſuũ relinquere, Euangelium regni ab eis auferre, ciuitates ipſorum incẽſas de uaſtare, & ad gentes transferre regnũ ſuũ: quemadmodum minatus erat. Matt. 21. Malos male perdet, & uineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum tẽporibus ſuis, Nunq̃ legiſtis in ſcripturis: Lapidem quẽ reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? A Domino factum eſt hoc, et eſt mirabile in oculis noſtris. Ideo dico uobis, auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Matt. 23. Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt: quoties uolui congregare filios tuos, quẽ admodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis. Ecce relinquetur uobis domus ueſtra deſerta. Voluit non tam Iudæorum, ſed et gentiũ Deus eſſe et prædicari. Ideoq; demandauit ſuis diſcipulis enunciandũ Euangelium in omnẽ terram, aduocare gentes ad magnificam illam cœnam, ad regias nuptias in regnũ & eccleſiã ſuã. Quam rem uiderunt etiam ſancti prophetæ ſpiritu ſancto illuſtrati, qui multis retro ſeculis de gentium uocatione & euulgãdo in gentes Euangelio, uaticinati ſunt: quorum Ieſaias cum præcipuus extiterit, præcipuas etiam*

*Iudæi non receperunt Chriſtum.*

*Iudæi reiecti et gẽtes aduocatæ.*

propheticas atq; uiſiones de Chriſto & accerſendis gẽtibus habuit: Sicut Ieſa. 2. Et iudicabit inter gentes, & arguet populos multos. Ieſa. 9. Populus qui ambulat in tenebris uidit lucem magnam etc. Ieſa. 11. Et erit in die illa, eum qui egredietur de radice Iſai, qui ſtabit in uexillum populorum, gentes quærẽt. Ieſa. 41. Ecce ſeruus meus, innitar ei, electus meus, complacuit anima mea, dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium in gentibus exire faciet in lucem, & dabo te in fœdus populi, in lucem gentibus, ut aperias oculos cæcorum &c. Ieſa. 49 Leue eſt ut ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandum tribus Iacob, et ad conuertendum deſolatos Iſrael, et dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſq; ad extremum terræ. Ieſa 60. Et ambulabũt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. Et Hoſe. ca. 2. Erit in loco in quo dicetur eis: non populus meus uos, dicetur eis filij dei uiuentis. Pſ. 2. Poſtula à me, et dabo gentes hæreditatem tuam, et poſſeſſionem tuam terminos terræ. Ac uniuerſi fermè prophetæ gentium uocationem præſagierunt. Paulus præterea & Barnabas eius prophetiæ impletionem factam narrãt Antiochiæ his uerbis: Vobis Iudæis oportebat primum loqui ſermonem Dei, ſed quoniam repellitis illum, & indignos uos iudicatis æterna uita, ecce cõuertimur ad gẽtes: ſic enim nobis præcepit Dominus: Poſui te in lucem gentiũ, ut ſis ſalus uſq; ad extremum terræ. Audiẽtes autem gentes, gauiſæ ſunt, & glorificabant ſermonem domini, & crediderunt quotquot erant ordinati ad uitam

Gentiũ uocatio ad regnũ Chriſti

æternam. Acto 13. Eſt igitur Ieſus Chriſtus lux mundi qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Et qui dedit poteſtatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, ſed ex Deo nati ſunt. Primitiæ fuerunt filij Iſrael, illis propter infidelitatem repudiatis, intrauerunt gentes. Primo in propria uenit Ieſus, ad Iudæos gentē ſuam. Ab glorificatione uero ad gentes per apoſtolorum prædicationē quoq; uenit: ut ſuā bonitatē, gratiā et miſericordiā oſtenderet, quod nō ſit perſonarum reſpector, ſed in quauis gente, qui timet ipſum & operatur iuſticiam, is acceptus eſt illi. Act. 10.

CLXXXI.

Iraſcimini & nolite peccare. Pſalmo. 4.

Omnis amarulentia, & tumor & ira, & uociferatio, & maledicentia tollatur à uobis cum omni malitia. Ephe. 4.

*Ira duplex eſt.*

Ira in ſacris literis prohibita atq; damnata eſt, ſed non quælibet. Nam duplex eſt ira, Dei et hominum: ſpiritus & carnis: officij et odij, quod Dauid uidetur exprimere dum inquit: Iraſcimini et nolite peccare. Significans nimirum aliquam eſſe iram, quæ ſine peccato poßit fieri Sicut quædam eſt, quæ citra delictū minime poßit fieri.

Sæpe

Sæpe ſcriptura refert Deum iratum : & tamen nullum peccatum cadit in diuinam maieſtatem. Deus nõ peccat. Ergo eſt quædam ira, quæ non ſit peccatum. Dei mandatum eſt: Non occidas: et tamen ipſe occidit: ergo eſt quædam occiſio, quæ non ſit peccatum & contra Dei præceptum. Deus præcepit ſabbatum ſanctificare, & tamen Chriſtus aliquando uiolauit ſabbatum: ideo poteſt quædam ſabbati uiolatio abſq; delicto fieri. Mandauit obedire parentibus: tamen Chriſtus aliquando in his quæ patris ſui cœleſtis erant, minus obtemperauit: Igitur quartum decalogi præceptũ, poteſt aliqua ratione tranſgredi citra peccatum, quum parentes quippiam contra primæ tabulæ præcepta iuſſerint. Furtum admiſerũt filij Iſrael, quando Aegyptum ſpoliarunt, & tamen hoc pro peccato non imputatur: ergo & hoc mandatum aliquando ſine delicto tranſgreditur. Sic præceptum eſt: Non iraſcaris: et tamen Deus pater legitur iraſci, et Chriſtus Dei filius ira cõmotus fuit: Ideoq; eſt quædam ira quæ abſq; peccato fit. Id ut probe intelligamus, inter iram Dei & hominum diſtinguamus. Iram Dei uoco quando Deus ipſe iraſcitur: aut quæ fit Dei mandato. Hominũ ira, quæ abſq; Dei præcepto temeritate aut odio, et iniquo animo fit, iraſcitur Deus. Sathanæ, impijs & uerbi ac mandati ſui cõtemptoribus atq; præuaricatoribus: cũ Chriſtus irridetur, Euangelium blaſphematur, & fideles affligun tur. De qua ira Leuitici. 26. & Deutero. 28. & Ioan. 3. Qui incredulus eſt filio, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet

Chriſtus quoq; iratus fuit.

Ira Dei quæ dicatur, & ira hominum.

manet ſuper eum. Roma. 1. Reuelatur ira Dei aduerſus omnem impietatem Coloſſ. 3. Ob quæ uenire ſolet ira Dei in filios intractabiles. 1. Teſſ. 2. Peruenit in illos ira in finem. Dei, ſpiritus & officij ira eſt, quando eccleſiarum paſtores & miniſtri uerbi ſuccenſent in eoſdē uerbi blaſphemos & contemptores: ac uehementibus uerbis nonnunquam inuehuntur in mores & peruerſa impiorum ſtudia, emendandi illorum grátia, citra tamen perſonarum odium atq; inuidiam. Quemadmodum Moſe uehementer iratus eſt ad populi idololatriam, cum uitulum erexiſſent: ut præ iræ uehementia duas tabulas teſtimonij è manu proiectas ſub monte Synai fregerit. Exo. 32. Deut. 9. Qualis ira & prophetarum aduerſus incredulum populum fuit. Sic Ioannes erga phariſæos, progenies uiperarum iratus eſt. Matt. 3. Et Chriſtus Ieſus ſaluator noſter cum iracundia circumſpexit Iudæos, condolens ſuper cæcitate cordis eorum. Mar. 3. Ipſe etiam ſeueriter increpauit phariſæos, & ſcribas iniquos, uæ ingeminando, Matt. 23. Qua ira etiam Apoſtoli erga Iudæos commoti ſunt. Acto 2. Et Stephanus erga eoſdem, Acto. 7. Petrus contra Ananiam & Saphiram. Acto. 5. Paulus erga Elymam magum Act. 13. atq; eum qui incæſtum admiſerat. 1. Corinth. 5. ſimiliter eos quos Sathanæ tradidit. 1. Timot. 1. Hæc Dei ira & æmulatio eſt, quæ uice & officio Dei fit: quā Dominus mandauit Ioan. 16 Spiritus arguet mundum de peccato. & 2. Thim. 4. Prædica ſermonem, inſta tempeſtiue, intempeſtiue, argue, in crepa

*Spiritus et officij ira.*

*Ira ſanctorū Prophetarum.*

crepa etc. Poteris & ſpiritus iram et officij iram appel- lare. Sic iram Dei recte dixeris, ſi magiſtratus ſontibus nocentibus, parricidis, proditoribus, mœchis et reliquis legum præuaricatoribus iraſcatur & gladio in eos ani- maduertat, Dei namq; miniſter eſt, ultor ad iram ei, qui quod malum eſt fecerit. Rom. 13. ad uindictam nocen- tium. 1. Petri. 2. Sic Moſe in ſeditioſos Chore, Dathan, Abiron & complures iratus eſt. Nume. 16. in blaſphe- mos & legis tranſgreſſores. Quemadmodum Pinehas ſcortatorem pugione transfodit. Nume. 25. Ahaſuerus Haman Iudæorũ hoſtem ſuſpendit. Eſter. 7. Iudices et re- ges populi Iſrael in delinquentes irati ſunt. Dei iram non inepte quoq; dixeris: Si parẽtes, contumacibus filijs ſuccenſeant, ac plagis emendent, quemadmodum Noha filium Cham execratur. Gene. 9. Et Dauid delinquenti- bus filijs iratus fuit. Et Salomon caſtigare filios præce- pit: Sunt enim parentes quoq; in diuino officio conſtitu- ti, Ideo diuina auctoritate plectunt liberos. Sic patresfa- milias negligentibus ac deſidioſis ſeruis atq; ancillis iu- re ſuccenſent, plagisq́; emendant. Horum omnium ira eſt officij non odij, non temeritatis, non carnis, non hominũ ſed dei atq; ſpiritus: quam non prohibet, ſed requirit uer bum Dei: non eſt peccati, ſed officij, & debita ſanctaq́;. Quiſque enim ſuum officium & munus non debet ne- gliglere, ſed ſumma qua poteſt diligentia ac ſtudio cu- rare. Et ad hanc quoq; uidetur Dauid reſpicere: cum inquit: Iraſcimini & nolite peccare: ſignificans nimi-

Ira magiſtratus officij eſt.

Parentum ira erga filios.

rũ aliquam eſſe iram peccati, quæ ſine peccato non poſ-ſit fieri: rurſus aliquã eſſe quæ abſq; delicto & crimine admittatur, de qua nunc dixi. Altera uero ira hominum carnis et peccati eſt priuata atq; temeraria, qua leui plerunq; cauſa citra alterius delictum aut culpam, excandeſcit homo, fremit & ineptit, quæ ex odio atq; inuidia & alienato animo naſcitur, ac potius furor eſt: A quo auocat ſcriptura, Eccleſi. 7. Ne feſtines in ſpiritu tuo ad iracundiam, qui ira in ſinu ſtultorum requieſcit: Matth. 5. Audiſtis quod dictum ſit ueteribus, Nõ occidas. Quiſquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, quod quiſquis iraſcitur fratri ſuo temerè, obnoxius erit iudicio. Ephe. 4. Iraſcimini & non peccetis. Sol ne occidat ſuper iram ueſtram, neq; detis locũ calumniatori. Iacob. 1. Fratres mei dilecti, ſit omnis homo uelox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram.

*Ira carnis & peccati eſt temeraria.*

Nam ira uiri iuſticiam Dei non efficit. Hæc ira nocentiſſimus, ac crudelis tyrannus eſt: multis modis damnoſa, quæ primo hominem exedit, macerat, torquet, uires eneruat, intus foriſq; affligit, deinde proximum petit, & illum quoq; cruciat, inſtar uiui tyranni qui undequaq; graſſatur & uaſtat omnia: quam recte tyrannum appellarunt. Prouer. 27. Graue eſt ſaxum & ponderoſa eſt harena, ſed ira ſtulti grauior eſt utriſq;. Crudelitas eſt in ira & impetus in furore: ſed quis ſtabit corã inuidia? Quali ira malignus Cain in fratrem Abel innocentem et iuſtum ſæuijt ac occidit. Gen. 4. Qua ira Saul debachatus

*Ira tyrannus nocens*

*tus eſt, & innocentes ſacerdotes peremit.* 1. *Samu* 21. *Temerè Vſia Rex iratus eſt ſacerdotibus è templo adolentem eijcientibus.* 2. Chron. 26 *In iracundia Ahaſuerus repudiauit Vaſthi reginam.* Eſter. 1. Et *Haman ſuccenſus fuit Mardocheo Iudæo.* Eſter. 3. *Iratus Herodes paruulos iuſſit occidere.* Mat. 2. *Ob id Chriſtus iram interpretatur homicidiū* Mat. 5. *et diuus* Ioannes *ſcribit:* Omnis *qui odit fratrem ſuū, homicida eſt.* 1. Ioan. 3. *Hanc iram ſcriptura deteſtatur: & nos ab illa auocat: quòd eam corde ſtulti, inſipientis & impij habitet.* *Ira homicidium.*

CLXXXII.

## Non furtum facies. Exod. 20
## Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit. Prouer. 6.

*Quid hic ex Salomone ſapientiſsimo audimus? num uiolare Dei præceptum, Non facies furtum, eſt ſine culpa, & leue crimen? an tam facile, & nulla expiatione dignum eſt præuaricari mandata domini? Quid ergo eſt peccatum atq; culpa, niſi legis tranſgreſsio? Cur iraſcitur & animaduertit Deus in delinquentes, niſi ob uerbi ſui contemptum? Quare ergo Acham fur lapidatus fuit,* Ioſua. 7. *ſi non grandis culpa eſt furtum?* Reſpondeo. *Salomon adulterium et furtum inter ſe cōfert: minus peccatum furtum pronuncians, non ex ſe, ſed comparatione maioris peccati, adulterij ſcilicet. Quia quanto uxor, ut pote caro noſtra, charior et precioſior eſt alijs poſſeſsionibus* *Peccatū eſt legis præuaricatio.*

nibus: tanto adulterium maius eſt furto, et maior iniuria proximo infertur adulterio, quàm furto. Nam furtum plerunq; ex operum indigentia & egeſtate committitur: adulterium ex cordis defectu, pernicioſo appetitu, meraq; libidine. Habet enim adulter præſens remedium pro uitanda ſcortatione, matrimonium & legitimã uxorem, ſicut dominus ordinauit. Fur autem neceſsitate conpulſus inediam euadere cupiens, alienam ſubſtantiam rapit. Fur pauculas res ſubtrahit: at adulter præter legis, Non mœchaberis, uiolationem, alterius uxorẽ, imò carnem ipſam rapit, eam commaculat atq; prophanat: liberos adulterio genitos, ſpurios facit: & in ſuum ipſius teſtãte Paulo, corpus peccat. Fur aliena ſubtrahit, ut eſurientem impleat animã: adulter, ut fœdam & illicitã expleat libidinem et alienum thorum coniugiumq; polluat, & diſſoluat. Lex præterea Moſaica adulterium capitaliter plectit ac damnat: furtum uero non punit morte, ſed tantum mulcta bonorum. Verba legis ſunt, Exod. 22. Si quis furatus fuerit bouẽ aut ouem, et occiderit uel uendiderit: quinq; boues pro uno reſtituat, & quatuor oues pro una oue &c. Iuxta quam legem etiam Salomon loquitur. Non condemnat furem (ubi antiqua translatio habet, Non grandis eſt culpa) cum quis furatus fuerit, ut impleat animam ſuam, cum eſurierit, ſed inuentus reddet ſeptuplum, omnem ſubſtantiam domus ſuæ dabit.

*Furtum minus peccatum adulterio.*

*Furis et adulteri collatio.*

*Lex morte dãnat adulterũ, furem uero mulctat.*

Qui adulterium committit cum muliere, deficit corde, perdit animam ſuam qui facit illud: plagam & contemptum

ptum inueniet, & ignominia eius non delebitur, Quia emulatur irauiri & non parcet in die uindictæ: Nõ accipiet perſonam quæ conciliet: nec flecti ſe patietur, etiam ſi multa dona offeras. Fur deprehenſus in furto ſeptuplum reddat, et ſi non habet quod reſtituat, omnem domus ſuæ ſubſtantiam dabit, poſt ſatisfactionem nihilo eſt ignominioſior, nullum ſuſtinet probrum. Coram Deo furtum peccatum eſt, At ſi quis iuxta legem Moſaicam quadruplum reddiderit, non supereſt probrum ciuile: idem eſt qui ante furtum. Adulter uero inexpiabili infamia aſpergitur, non poteſt ullo precio gloriam & honorem ſuum redimere et flagitium abolere, maritus conſtupratæ mulieris cum zelotypia uritur, & non parcit in die ultionis, cum ab adultero uindicta ſumetur. Igitur nõ uult hoc dicere Salomon: quòd furari non ſit peccatum: ſed quòd penes Iudæos poſt ſatisfactionem nõ adferat infamiam: Quemadmodum adulterium coram Deo peccatum eſt, at ſi quis iuxta legem quadruplum reddiderit, opprobrium ciuile non eſt. Refert Aulus Gellius in noctibus Atticis lib. 11. capit. 18. Apud ueteres Aegyptios furto omnia fuiſſe licita et impunita. Apud Lacedæmonios ius atq; uſum furandi extitiße, idq; à iuuentute, non ob turpia lucra, neq; ad ſumptum libidini prebendum comparandamúe opulentiam, ſed pro exercitio, diſciplinaq; rei bellicæ. Quod & furandi ſolertia & aſſuetudo acueret, firmaretq; animos adoleſcentium, & ad inſidiarum aſtus & ad uigilandi tollerantiam, & obrependi

Furtũ capitale nõ eſt

Furta Aegyptis licita, Lacedæmonijs laudata.

celeritatem, Lodouicus Cœlius lib. 10. capite. 1. antiquarum lectionum, plurima in hanc rem recenſuit.

CLXXXIII.

## Nullus innocens apud te eſt innocens. Exodi. 34.

## Eritis innocentes apud Deum, & apud Iſrael. Nume. 32.

Coram Deo nemo innocens, iuſtus, rectusq; eſt ſua natura, libero arbitrio, aut uiribus: ſed omnes homines natura ſunt filij iræ, peccatores, immundi, nocentes & iniuſti, filij Adam qui ſua inobedientia & præuaricatione omnes ſuos poſteros ſordidauit, ſub peccatum, mortē ac condēnationem ſubiecit. Non eſt iuſtus ſuper terram. Deus è cœlis proſpexit ſuper filios hominum, ut uideat an ſit intelligens, aut requirens deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt faciens bonum, nō eſt etiam unus. Omnis homo mendax. Nemo poteſt dicere, purus ſum à peccato, mundum eſt cor meum. Omnes peccauerunt, & deſtituuntur gloria Dei. Non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis uiuēs. Vniuerſi cogimur precari: Remitte nobis debita noſtra. Quæ ſententiæ carnē & humanam naturam depingunt: quid ſimus inquam natura, mali corui malum ouum: ut nos ipſos probe cognoſcamus, ut cognita naturæ atq; carnis noſtræ uānitate, minime ſuperbiamus. Sicut è cōtra, loci, qui bonos, innocētes & iuſtos nos prædicant, de regeneratione loquuntur.

*Innocens nemo eſt coram deo.*

*Natura ſumus mali.*

*tur, & quid gratia et bonitate dei facti ſimus, declarāt. Natura ſumus filij iræ: Gratia Dei, filij dei hæredes dei, & cohæredes Chriſti. Prima natiuitate ex carne & ſanguine ſumus immundi, peccatores: renaſcentia ex aqua et ſpiritu, id eſt, fide uerbi Dei efficimur mundi et ſancti. Ioan. 15. Iam uos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum uobis. Sicut Paulus omnium aptiſſime explicuit. 1. Corint. 6. Atq; hæc eratis quidem, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis per nomen Ieſu, & per ſpiritum Dei noſtri. Ephe. 2. Et uos cum eſſetis mortui delictis et peccatis, in quibus aliquando ambulaſtis iuxta ſeculū mundi huius, iuxta principem, cui poteſtas eſt aëris, qui eſt ſpiritus, nunc agens in filijs contumacibus: inter quos & nos oēs conuerſabamur aliquando in concupiſcentijs carnis noſtræ, facientes quæ carni ac menti libebant: et eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri. Sed Deus qui diues eſt in miſericordia, propter multam charitatem ſuam, qua dilexit nos etiam cum eſſemus mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Chriſto, ſimulq́; cum eo reſuſcitauit etc. Gratia eſtis ſeruati per fidem, idq́; non ex uobis. Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Et eratis in tempore illo ſine Chriſto: nunc autem per Chriſtum Ieſum uos q quondam eratis longinqui, propinqui facti eſtis, per ſanguinē Chriſti, Col. 1. Qui eripuit nos à poteſtate tenebrarum ac tranſtulit in regnū filij ſibi dilecti, p quem habemus redemptionem per ſanguinem ipſius remiſſionem pecca-*

Gratia Dei ſumus iuſti & innocentes.

torum. 1. Pet. 1. Laudandus eſt Deus & pater domini no ſtri Ieſu Chriſti: qui iuxta copioſam ſuam miſericordiam regenuit nos in ſpem uiuam, et renati nō ex ſemine mortali, ſed ex immortali per ſermonem uiuentis Dei, & manentis in æternum. 1. Pe. 2. Qui ex tenebris uos uocauit in admirabilem ſuam lucem. Qui quondam eratis non populus, nunc populus Dei: qui quondam non conſequuti miſericordiam, nunc eſtis miſericordiam conſecuti. Hoc etiam Moſe uoluit cum Rubenitis, Gaditis & dimidiæ tribui Manaſſe præciperet, ut præcederent filios Iſrael, & introducerent eos ad locum ſuū, poſtea rurſum tranſgreſſo Iordane redirent ad hæreditatem ſuam. Si hoc inquit feceritis, ſi accinxeritis uos armis ante Dominū ad bellum. Et tranſierit ex uobis omnis accinctus armis Iordanem ante Dominum, donec expellat omnes inimicos ſuos à facie ſua. Et ſubijciatur terra coram Domino, poſthac reuertimini, & eritis innocentes à Domino & ab Iſrael, & erit terra hæc in poſſeßionem uobis coram Domino. Et ſi non feceritis ita, ecce peccaſtis domino. Et ſcitote quòd peccatum ueſtrum inueniet uos. Hoc eſt, Si fideles eritis, & promiſſa præſtiteritis, inculpabiles coram Deo & hominibus eritis. Deus ob fidem et ſimplicem obedientiam pro innocentibus & iuſtis habet, qui aliâs natura ſunt iniuſti. Homines, propter præſtitam beneficentiam non potuerunt culpare. Ergo fide miſericordiæ diuinæ iuſtificabimur, et innocentes ſumus. Fides corda purificat: gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti emundat

Fides reddit nos innocentes.

*dat nos. Rom. 3. Ipſe iuſtus iuſtificat eum, qui eſt ex fide Ieſu: gratia Dei ſancti, innocentes & iuſti ſumus. Eph. 2.*

CLXXXIIII.

# Ego ſum Dominus omnipotens. Gene. 16.

# Non poſſum quicquam facere, donec ingrediaris illuc. Gene. 19.

*Hic articulus primus fidei noſtræ de omnipotentia dei baſim & fundamentum habet: quòd ſit Deus omnipotens, qui omnia poßit & ualeat: in cuius manibus omnia ſita ſunt: qui omnia efficiat, gubernet & moderetur, nec indigens aliquo, ipſe ſufficiens, fortis et potens, omnium rerũ defectum ſupplet, cœli et terræ dominus, Deus omnibus uitam & halitum præbet, facitq́; ex uno ſanguine omne genus hominum, ut inhabitaret ſuper uniuerſam faciem terræ: præfinitq́; præſtituta tempora, præfixitq́; terminos habitationis eorum, ut quærerent Deum, ſi forte palpent eum & inueniant, quamuis non longe abſit ab unoquoq; noſtrûm. Per ipſum enim uiuimus & mouemur & ſumus. Gene. 17. Dixit dominus Abrahæ: Ego Dominus omnipotens, Ambula coram me & eſto perfectus. Gene. 35. Dixit Deus ad Iacob: Ego ſum Deus omnipotẽs. Gene. 43. Iacob patriarcha ad filios dixit: Deus omnipotens det uobis miſericordias coram uiro illo & dimittat uobis fratrem ueſtrum. Similiter*

*Articulus fidei Chriſtianæ de omnipotentia Dei.*

*Deus omnipotens.*

liter: Gene. 48. dixit Iacob ad Ioſeph: Deus omnipotens uiſus eſt mihi in Luza, qui eſt in terra Canaan, et benedixit mihi. Exo. 6. Ego dominus uiſus ſum ipſi Abrahã Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente. Exo. 15. Dominus omnipotens nomen eius. Nume. 11. Nunquid manus Domini abbreuiata eſt: Iſa. 59. Ecce non abbreuiata eſt manus domini, ut non ſeruare poßit. Num. 24. Dixit Bileã filius Beor, & dixit uir apertos habens oculos. Dixit audiens eloquia Dei: qui uiſionem omnipotentis uidit, uidens, & diſcoopertos habens oculos. 1. Samuel. 4. Non eſt ſanctus ut eſt Dominus, neq; enim eſt alius extra te, et nõ eſt fortis ſicut deus noſter. Hiob. 8. Nunquid Deus peruertet iudicium, & num omnipotens peruertet iuſtitiam? Hier. 32. Ah ah Domine Deus, Ecce tu feciſti cœlũ & terram potentia tua magna, & brachio tuo extento. Nõ eſt tibi difficile omne uerbum, qui facis miſericordiã in milibus, & reddis iniquitatem patrum in ſinum filiorum eorum poſt eos. Fortißime, magne & potẽs, Dominus exercituum nomen tibi &c. Mat. 19. Apud homines hoc impoßibile eſt, apud Deum autem omnia poßibilia ſunt. Lu. 1. Non erit impoßibile apud Deum omne uerbum: Et iterum: Quia fecit mihi magna qui potens eſt. Roma. 1. Aeterna eius potentia ac diuinitas. 1 Timo. 6. Beatus & ſolus potens. ſeu princeps, rex regnantium, et Dominus dominantium. Alter uero locus. Gen. 19. Non poſſum facere quicquam, donec ingrediaris illuc: nihil derogat diuinæ potentiæ, nõ aufert Deo omnipotentiam

ſed

*ſed primum explicat, quantũ ſancti Deo curæ ſint, quantum reſpiciat amet'q; pios, ut propter ipſos iram & ultionem ſuam differat & ſuſpendat.* Decreuerat enim Deus *perdere Sodomam, in qua ſanctus* Loth *habitauit, attamen nõ potuit, hoc eſt noluit urbem euertere, niſi prius educto & liberato electo* Loth. *Nouit* Dominus *pios è tentatione eripere.* 2. Pet. 2. *Ecce oculi* Domini *ſup timẽtes eum, qui ſperãt in miſericordia eius, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Pſal. 33. *Caſtra metatur angelus* Domini *circum timentes eũ, et eripit eos.* Pſal. 34. *Beneplacitum eſt* Domino *ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant in miſericordia eius.* Pſal. 147. *Secundo, quantum fidelis precatio ualeat, quantæ uirtutis & potentiæ ſit fides, cui diuina potentia non poterit reluctari.* Orauit *fidelis* Abraham *pro* Sodoma, *haud dubie etiam propter* Loth *conſanguineum.* Gene. 18. *Orauit* Loth *pro* Zoar *urbecula.* Ecce, *inquit, quæſo ciuitas hæc propinqua ut fugiam illuc, & ipſa parua, euadem quæſo illuc: nunquid parua eſt: & uiuet anima mea.* Et *reſpondit* Deus: Ecce *honoraui faciem tuam etiam in uerbo hoc, ut non ſubuertam urbem de qua dixiſti: Feſtina, euade illuc, quia nõ potero facere quicquam, quo ad uenias tu illuc, propterea uocatur nomẽ urbis* Zoar. Fidei *omnia poßibilia, & fidelis oratio multum eſt efficax.* Sicut Chriſtus Dominus *teſtatur.* Matthæ. 17. Amen *dico uobis: Si habeatis fidem, ſicut granũ ſynapis, dicetis mõti huic: demigra hinc illuc, & demigrabit: neq; quicquã*

Fidei potẽtia.

Fidelis orationis energia.

*impoſſibile erit uobis. Matth. 21. Amen dico uobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaueritis, nõ ſolum hoc quod accidit ficui, facietis: uerum etiã ſi monti huic dixeritis, tollere & proijce te in mare, fiet. Et omnia quæcunq; petieritis in deprecatione credẽtes, accipietis. Qua fide & oratione Moſe iratum Deum, uolentem populum ob uitulorum cultum perdere placauit, iramq́; diſtulit, quemadmodum Domini uerba ad Moſen indicant dicentis: Dimitte mihi & excandeſcet furor meus in eos, & conſumam eos, & faciam te in gentem magnam. Exo 32. Pſal. 106. Quaſi dicat: tu fideli precatione ſiſtis irã meam, et auertis furorem meum à perdẽdo. Sic Pinehas arbitrum ſe fecit inter Deum et populũ, plagamq́; retinuit. Num. 25. Pſa. 106. Credentes ſunt ſacerdotes, qui Deũ placant & ſeipſos, uelut murum opponunt, ne ira Dei incãdeſcat & uaſtet. In Ezechiele propheta exprobrat Deus paſtoribus inſipiẽtibus, quòd ſe non appoſuerint murum pro domo Iſraël. Ezech. 13. Ergo nihil pugnant hi duo uerſus: prior enim omnipotentiam Dei prædicat, alter curã & caritatem Dei pro electis, celebrabat. Dum iuſti florent bene habet reſpublica, et benedictione rectorum exaltabitur ciuitas. Pro. 11. quia Dominus amat iuſtos.*

Credentes ſunt ſacerdotes.

## CLXXXV

## Et uinum lætificat cor hominis. Pſal. 104.

## Fornicatio, & uinum & muſtum aufert

fert cor Hoſeæ,4

*Vinum eſt bona, nobilis, precioſa & ſalubris creatura, ab optimo conditore* Deo *ad hominis uſum creata: cuius moderatus ac tẽperatus uſus, dici nõ poteſt, quàm ſit ſaluber, minime noxius, multo minus dãnatus. Quicquid enim creauit* Deus *bonum eſt, et nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur nanq; per ſermonem* Dei *ac precationem.* 1.Tim.4. De *huius autem laudibus & moderato uſu, ita ſentit ſcriptura ſacra.* Pſal.104. *Qui germinare facit herbam pro iumentis, et herbam ad obſequium hominum, ut educat panem de terra,* Et *uinũ quod lætificat cor hominis, ut illuſtret faciem præ oleo, & panem qui cor hominis ſuffulciat.* Pro.31. *Date ſiceram pereunti, & uinum amaris aïo,* Bibat *& obliuiſcatur paupertatis ſuæ, & laboris ſui nõ recordetur amplius.* Ieſus Syrach. Eccl.31. Aequa *uita hominibus uinũ in ſobrietate: ſi bibas illud moderate, eris ſobrius.* Quæ *uita eſt ei, qui minuitur uino?* Vinũ *in iucunditatem creatum eſt, & non in ebrietatem, ab initio.* Exultatio *animæ & cordis uinũ moderate potatum.* Sanitas *eſt aïæ & corporis, ſobrius potus.* Eccle.4. Vinum *& muſica lætificat cor, & ſup utraq; dilectio ſapientiæ.* Iudi.9. Vinum *lætificat* Deum *& homines.* Ioan. 2. Chriſtus *aquam in uinum cõmutauit.* 1.Timo.5. Paulus Timotheo *præcipit:* Ne *poſt hac bibas aquam, ſed uino paululo utere propter ſtomachũ tuum, & crebras tuas infirmitates.* Nihil *utilius uiribus corporis uino, ſi mo*

*Vinum bona creatura Dei.*

*Vinũ reſocillat hominis uitam.*

Vini utilitas. dus adſit. Vino ſtomachus recreatur: appetentia cibi inuitatur: algor expellitur: ſomnus conciliatur. Vinum triſticiam diſcutit, et nubila humani animi ſerenat: eſtq; curarum remedium. Vnde Sulmonenſis poëta: Vina parãt animos, faciuntq; coloribus aptos. Cura fugit multo diluiturq; mero. Tunc ueniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit, Tunc dolor & curæ, rugaq; frontis abit, Tunc aperit mentes æuo rariſsima noſtro, Simplicitas: artes excutiente Deo. Refert etiam Plinius lib. 12 ca. 1. natu. hiſto. & lib. 14. ca. 22. lib. 23. ca. 1. Vino ali uires, ſanguinem, coloremq; hominum &c. Ebrietas uero & immodicus uini uſus damnatur his locis. Ieſaiæ. 5. Væ qui cõſurgitis

Ebrietas damnata. mane ad ebrietatem ſectandam, et potandum uſq; ad ueſperam, ut uino æſtuetis. Cithara, & lyra, & tympanũ & tybia, & uinum in cõuiuijs ueſtris: & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius cõſideratis. Pro. 20. Deriſorem efficit uinum, tumultuantem efficit ſicera, & omnis indulgens ei, non ſapiet. Proue. 23. Non ſis inter potatores uini, inter deuorantes carnẽ ſibi. Quia potator & cõmeſſator depauperabitur, et laceris ueſtibus inductur ſomnolentus. Cui uæ, cui heu, cui rixæ, cui querimoniæ, cui uulnera ſine merito, cui rubor oculorũ? morantibus apud uinum, conuenientibus ad euacuandum

Ebrietatis incõmoda. quicquid propinatur. Non intuearis uinũ, cum rubeſcit, cum dat in calice colorem ſuum, ingreditur recta, Finis eius ſicut ſerpẽs mordebit, & ſicut aſpis punget, oculi tui uidebunt alienas, & cor tuũ loquetur peruerſa. Et

eris

*eris quaſi dormiens in corde maris, & quaſi cubās in capite mali. Percuſſerunt me (dices) non dolui: uerberauerunt me, non cognoui: quando euigilabo pergam, et exquiram illud amplius.* Pro. 31. *Non eſt regum bibere uinum, & non eſt principū bibere ſyceram. Ne bibat & obliuiſcatur ſtatutorum, & immutet iudiciū omnium filiorum pauperis* Hoſe. 4. *Fornicatio & uinum, & muſtum aufert cor, id eſt, homines dementat.* Eccleſiaſti. 19. *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos.* Eccleſi. 31. *Vinum in iucunditatem creatum eſt, & non in ebrietatem. Vinum multum potatum, irritationem & iram, et ruinas multas facit. Amaritudo animæ uinum multum potatū. Ebrietatis animoſitas imprudentis offenſio, minorans uirtutem, & faciens uulnera.* Lucæ 21. *Cauete uobis, ne quando grauentur corda ueſtra crapula, et ebrietate, & curis huius uitæ, ſubituſq; uobis ingruat dies ille. etc.* Ro. 13. *Non comeſſationibus et ebrietatibus.* 1. Cor. 6. *Ebrioſi regni dei hæreditatem nō accipiēt.* Eph. 5. *Nolite inebriari uino, in quo eſt aſotia, id eſt, inſignis intemperantia, & mores beluini. Quæ uero ſunt ebrietatis incōmoda præter dictos locos & ſcripturæ exempla, iſthæc ætas abunde nimium heu dolor, docet, nullum malum magis regnat ebrietate, cui ſtudent uniuerſi homines, & quæ haud dubie magnam ultionem & iram Dei prouocat:* Noha *uino potus nudauit pudenda, et à filio fuit deriſus.* Ge. 9. *Loth uino ebrius cum filiabus concubuit.* Gen. 19. *Iudæi à potu ad ludū* Ebrietati ſtudetur

&

*& idolatriam ſurrexerunt.* Exo.32. & 1.Cor.10. *Nabal ebrius nimis, à* Deo *occiditur.*1.Reg.23. Ammon *Dauidis filius, temulentus, ab Abſolone perimitur.* 2. Reg. 1. *Ella rex Iſrael uino ſopitus, à Simri trucidatur.*3. Reg.16. *Benhadad Syriæ rex ebrius, ab inimicis ſternitur.*3.*Regum.*20.*Balthaſſar Aßyrius, perdidit regnum temulentus.* Dan.5. *Aſſuerus potus, Vaſthi uxorem repudiat.Eſter.*1 *Filij Hiob comedentes & bibentes pereunt unà cum ſubſtantia ipſorum,* Hiob.1. *Holofernes ſopitus ebrietate, ab* Iudith *occiditur,* Iudith.13. *Tyberius Claudius* Nero, *Roma. Impe. merobiba in caſtris Tyro propter nimiam uini auiditatem,* Claudius Biberius *Mero uocatus eſt.Claudius Caij Caligulæ patruus Imper.* Roma. *cum ebrius eſſet ueneno intoxicatus perijt. Vitellius inter pocula in fruſtra conciditur. Bonoſus Impe.bibit quantum hominũ nemo.* De *quo Aurelianus dicebat: Non ut uiuat natus eſt, ſed ut bibat. Hic ioco prouerbiali pendens, reliquit iocum: Amphoram pendere, non hominem. Ebrietatis mala & incommoda Plinius ſecundus hiſtoriæ mundi lib.14.cap.22.congeſta in hunc modum refert: Tunc auidi matronam oculi licentur, tunc graui produntur marito. Tunc animi ſecreta proferuntur. Alij teſtamenta ſua nuncupant. Alij mortifera loquũtur creditasq; per iuglum uoces nõ continent, q̃ multis ita interemptis. Vulgoq; Veritas iam attributa uino eſt. Interea ut optime cadat, ſolem orientem nõ uident, ac minus diu uiuũt. Hinc pallor et genæ pẽdulæ, oculorũ ulcera,*

*Ebrij tulerunt diſpendia.*

*Ebrietatis damna ex Plinio.*

*ra, tremulæ manus, effundentes plena uaſa, & quæ ſit pœna præſens, furiales ſomni, & inquies nocturna. Præmiumq́; ſummum ebrietatis libido portentoſa, ac iucundum nefas. Poſtera die ex ore halitus fœtidi, ac ferè rerum omniũ obliuio, morsq́; memoriæ. Rapere ſe ita uitam prædicant, cum priorem diem quotidie perdant, illi uero & uenientem.* Hactenus Plinius. *Paucis igitur ſic compone hos duos uerſus* Dauidis & Hoſeæ. *Vinum lætificat cor hominis, moderate ſcilicet potum* : Et *uinum aufert cor, id eſt, dementat hominem immodice ingurgitatũ, Temperatus uini uſus exhilarat, uires recreat, ingeniũ acuit : temulẽtia nocens eſt, & pernitioſa, atq́; uoluntaria inſania, quemadmodum Seneca dicere ſolebat : nam ſapientia uino obumbratur, ut neſcias ebrius, ſanus an ſtultus ſit, rationalis an brutus. Hæc ebrietatis incommoda, deberent nos ad ſobrietatem reuocare: ſi ulla pietatis aut ſaltem honeſtatis in nobis eſſet religio.* *Sapientia uino obumbratur.*

CLXXXVI.

## Perdet Dominus omnes operantes iniquitatem. Pſal. 5 . & 6. & 101 Deus miſericors dominus Deus tuus. Non derelinquet te, & non diſperdet te. Deut. 4

*Legis ſententia eſt:* Perdet Dominus *operantes iniquitatem, qua* Deus *iram & iudicium ſuum erga operarios iniqui-*

Operarios iniquitatis perdet Dominus.

iniquitatis expreſsit: quemadmodum etiam ille Exo.20. Ego dominus Deus tuus, deus Zelotes, uiſitans iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam et quartã generationẽ Et Deu.28. Et erit, Si non obedieris uoci domini Dei tui ut cuſtodias faciẽdo omnia præcepta eius, et ſtatuta eius quæ præcipio tibi hodie, uenient ſuper te omnes maledictiones iſtæ et apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, et maledictus eris in agro &c. Quales maledictiones legis, paſsim ſparſæ ſunt in libris ueteris & noui teſtamenti, quibus Deus iram & indignationẽ ſuam minatur impijs, et uerbi diuini tranſgreſſoribus, qui iniquitatem operantur: Poſterior uero ſententia, non diſperdet te, eſt Euangelij ſententia qua clementiſsimus pater reſipiſcentibus gratiam & delictorum ſuorum ueniam promiſit. Cum quæſieris ibi, inquit, Dominum Deum tuum inuenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, et tota anima tua. Cum fuerit tibi anguſtia, & inuenerint te omnia iſta in nouiſsimis diebus, & reuerſus fueris ad Dominũ Deum tuum, & parueris uoci eius. Quia Deus miſericors Dominus Deus tuus. Non derelinquet te, et non diſperdet te, et non obliuiſcetur pacti patrũ tuorũ quibus iurauit. Deut. 4. Qualis promiſsio miſericordiæ, etiam apud Ezechielem prophetam capit. 18. habetur. Impius ſi auerſus fuerit ab omnibus peccatis ſuis, quæ fecit, et cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium et iuſticiam, uiuendo uiuet, non morietur. Omnes præuaricationes eius, quas fecit non memorabuntur ei, propter iuſticia

Reſipiſcentibus promiſſa uenia.

*ſticiam ſuam quam fecit, uiuet: Nunquid ut moriatur impius uolendo uolo, dixit dominus Deus? Nonne ſi auerſus fuerit à uijs ſuis, uiuet? Stat ſententia Dei omnes impios perdendos niſi fuerint conuerſi. Pſalm. 7. Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum uibrauit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum. Similiter Lucæ 13. Dico uobis, niſi reſipueritis, omnes ſimul peribitis.*

CLXXXVII.

Laborem manuum tuarum ſi comederis, beatus es & bene tibi erit. Pſalmo. 127.

Vanum eſt uobis ante lucem ſurgere, ſero cubitum ire, & magno labore parare uictum. Pſal. 127.

*Labor humano generi, mox ab Adæ lapſu, diuino iudicio impoſitus fuit. Gene. 3. Quia paruiſti uoci uxoris tuæ, & comediſti de arbore, de qua præcepi tibi dicens: non comedes ex ea, maledicta terra propter te. In labore comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ. Ita ſpinam & tribulum germinabit, & comedes herbam agri. In ſudore uultus tui ueſceris pane, donec reuertaris in terram, quia ex ea ſumptus es, quia ex puluere es, et in puluerē reuerteris. Ieſus Syrach Ec. 40. Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & graue iugum ſuper filios Adam, à die exitus de uentre matris eorum, uſq; in diem*

*Labor homini demū datus.*

em

em ſepulturæ, in matrem omnium. Zacha.13. Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea. Commendatur præterea labor uehementer in ſcripturis, non ut fidamus labori, ſed ut quiſq; ſuum officium, ſuam uocationem, rem ſuam agat. Pſal.128. Labores manuum tuarum qui manducabis, beatus es & bene tibi erit. Vxor tua ſicut uitis abundans, in lateribus domus tuæ erũt filij tui, ſicut plãtationes olearum in circuitu menſæ tuæ. Pro.10. Egeſtatẽ operata eſt manus remiſſa, manus aũt fortium, diuitias parant. Qui congregat in æſtate, filius prudens: qui aũt ſtertit in meſſe, filius confuſionis. Pro.12. Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus: qui autẽ ſectatur otium ſtultiſsimus eſt. Manus ſedulorum dominabitur, quæ aũt remiſſa eſt, tributis ſeruiet. Pro.13. Vult & non uult piger, anima autem operantium, impiguabitur. Pro.20 Propter frigus piger arare noluit, mẽdicabit ergo æſtate, & non dabitur illi. Eccle.5. Hoc itaq; uiſum eſt mihi bonum, ut comedat quis et bibat, et fruatur læticia ex labore ſuo, quo laborauit ipſe ſub ſole numero dierũ uitæ ſuæ, quod dedit ei De9, et hæc eſt pars illi9. Et omni homini cui dedit Deus diuitias atq; ſubſtantiã, poteſtatẽq; ei tribuit, ut comedat ex eis & fruatur parte ſua, & lætetur de labore ſuo: hoc eſt donum Dei. Ephe.5. Qui furabatur amplius non furetur: magis autem laboret operando manibus quod bonũ eſt, ut poſsit impartiri ei qui opus habuerit. 1. Theſſa. 4. Obſecramus uos fratres, ut abundetis magis & in hoc incumbatis, ut quieti ſitis: &

*Otia damnantur.*

*Laboris præcepta et commendatio.*

agatis

*agatis res proprias, et operemini proprijs manibus ue- ſtris, ſicut uobis præcipimus. 2. Theß. 3. Etenim cum eſſe- mus apud uos, hoc præcipiebamus uobis, ut ſi quis nol- let operari, is nec ederet. Primus itaq; uerſus. Pſal. 128. Labores manuū tuarū etc. laborem cōmendat, et ad eun- dem hortatur: alter uero ex Pſalm. 127. Vanum eſt &c. damnat præſumptionem, arrogantiam & confidentiam, quā noſtris conatibus attribuimus: quæ fit, cū ſapientiæ, prudentiæ, conſilijs, curis, laboribus & induſtriæ noſtræ nitimur, ac nobis arrogamus laudē, quaſi ſine Deo poſ- ſimus omnia: gubernare mundum, adminiſtrare rempub licam, regere familiam, prouidere nobis aliją;, atq; quid uis, ut uoluerimus efficere. Qua præſumptione & confi- dentia diuinæ maieſtatis, cuius hæc dona ſunt, gloriā ra- pimus, contra primum præceptum. Laborandum quidē, ſapiendum, adminiſtranda reſpublica, noſtra uocatio ex pedienda: cura & benedictio diuinæ bonitati committen da. Niſi enim Dominus edificauerit domum, fruſtra la- borant ædificantes eam. Si Dominus non cuſtodierit ciui tatem, fruſtra uigilat cuſtodiens eam. Fruſtra uobis eſt ante lucem ſurgere, ſero cubitum ire et magno labore pa rare uictum, ſic dat dilecto ſuo ſomnum. Pro. 10. Bene- dictio Dei ipſa diuitem facit, & non adijciet dolorem cū ea. Deut. 8. Non in pane ſolo uiuit homo, ſed in omni uerbo, quod egreditur ex ore Domini. 1. Cor. 3. Itaq; ne- q; q plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui dat incre- mentum Deus. Sumus quidem Dei cooperarij, ſed ipſe*

**Præſumptionem damnat ſcriptura.**

Ee author

author & Dominus eſt, qui noſtris operibus benedicit. Quiſq; ſuam uocationem nõ oſcitanter curet, iuxta Pauli doctrinam. Rom. 12. Habentes dona iuxta gratiam datam nobis uaria: ſiue prophetam iuxta portionem fidei, ſiue miniſterium in adminiſtratione, ſiue qui docet in doctrina, ſiue qui exhortatur in exhortatione, qui impertit in ſimplicitate, qui præeſt in diligentia, qui miſeretur in hilaritate. Dominus dabit benedictionem. Benedictio Domini ſuper caput iuſti. Ad hunc modum Chriſtus docet Mat. 6. Quærite primum regnum Dei & iuſticiam eius: et hæc omnia adijciẽtur uobis. Non debemus otioſi noſtrum officium negligere, laborem fugere, ſed in domino id quod debemus & poſſumus diligenter facere, & non deſeret dominus omnes ſperantes in ſe: tum non erit uanum mane ſurgere, ſero cubitum ire, ſic Dominus inuocatus aderit noſtris laboribus.

## CLXXXVIII.

## Propter unum hominem peccatum in mundum introijt, ac propter peccatum mors. Roma. 5. Filius non portabit iniquitatem patris. Ezechielis 18.

De peccato originali Pauli ſentẽtia.

De peccato originis Apoſtolus Paulus Rom. 5. Ita ſcribit: Quemadmodum propter unum hominem peccatum in mundũ introijt, ac propter peccatũ mors, & ſic in

*in omnes homines mors peruaſit, quatenus omnes pec-cauimus. Vſq; ad legem enim peccatum erat in mundo, porrò peccatum non imputatur, cum non eſt lex. Imò re-gnauit mors ab Adam uſq; ad Moſen, in eos quoq; qui non peccauerant ad ſimilitudinẽ tranſgreßionis Adam, qui typum gerit illius futuri. Itaq; ſicut p unius delictũ propagatum eſt malum in omnes homines ad condem-nationem, ita et per unius iuſtificationem propagatur bo-num in omnes homines ad iuſtificationem uitæ. etc.* Qui-bus uerbis cauſam & radicẽ peccati fuiſſe Adam oſten-dit: effectum uero mortem æternam. Eſt uero originale peccatum nihil aliud, quàm humanæ naturæ corruptio, ſecuta lapſum Adæ, qua uires animæ & corporis ita ui-ciatæ ſunt, ne per ſe uere obedire & legi Dei ſatisfacere poßint. Sic naſcitur homo ſecundũ naturã, ſine metu dei, ſine fiducia erga Deũ, et cũ concupiſcentia. Quemadmo-dum cõqueritur Dauit Pſal. 51 *Ecce in iniquitate forma-tus ſum, & in peccato concepit me mater mea.* Similiter Apoſtolus Ephe. 2. *Eramus natura filij iræ, quemadmo-dum & cæteri.* Adam ſua præuaricatione oẽs nos pecca-tores fecit, nati enim ſumus ex carne & ſanguine eius: et natura ſumus caro peccatrix & immũda. Ioan. 3. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt.* Nemo poteſt dicere: purus ſum à peccato. Omnes peccauimus: non excluduntur in-fantes Iudæorum, nec Chriſtianorum. Peccatum unius propagatum eſt in omnes. Omnes ſunt rei, filij iræ na-tura, & unius Ieſu Chriſti merito et gratia iuſtificantur, Originale peccatum quid ſit.

*uelud idem Paulus oſtendit. Quemadmodum per inobe-dičtiam unius hominis peccatores conſtituti fuimus mul-ti: ita p obedientiam unius, iuſti conſtituentur multi. Ro-ma. 5. Ezechiel autem propheta de huius originalis pec-cati fručtu loquitur, qui eſt peccatum culpæ, ſeu ačtuale, quod quiſq; pro ſuo peccato luet, nõ pro alieno, iuxta le-gis ſententiam. Deut. 24. Non morientur patres pro fi-lijs, et filij non morientur pro patribus. Vnuſquiſq; pro peccato ſuo morietur. Quam legem ſecutus Amaſia rex Iuda, cuius regnum cum eſſet roboratum in manu eius, percuſsit ſeruos ſuos, qui percuſſerant Ioas regem patrẽ ſuum. Filios autem percuſſorũ nõ occidit, ſicut ſcriptum eſt in libro legis Moſe, in quo præcepit Dominus dicen-do: Non morientur patres pro filijs, & filij non morien-tur pro patribus, ſed unuſquiſq; pro peccato ſuo morie-tur. 4. Reg. 14. In hanc ſentẽtiam etiam Ezechiel dixit: Filius non portabit iniquitatem patris. Sed audiamus ipſum prophetam in perſona Dei loquẽtem. Ecce omnes animæ meæ ſunt: ut anima patris, ita & anima filij mea eſt: anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Quòd ſi genue-rit quiſpiam filium, qui uidens omnia peccata patris ſui, quæ facit, et timuerit, et non fecerit ſimile eis: ſuper mon-tes non comederit, & oculos ſuos non leuauerit ad idola domus Iſraël, & uxorem proximi ſui non uiolauerit, & quenquam non oppreſſerit, pignus non retinuerit: & rapinam non rapuerit, panem ſuum eſurienti dede-rit, & nudum operuerit ueſtimento: à pauperis iniuria*

Pro ſuo peccato quiſq; luet.

auer-

*auerterit manum ſuam, uſuram & ſuperabundantiam nõ acceperit, iudicia mea fecerit, et in præceptis meis am bulauerit:* Hic *non morietur in iniquitate patris ſui, ſed uita uiuet.* Pater *eius q calumniatus eſt, & uim fecit fra tri, & malum operatus eſt in medio populi ſui: ecce mor tuus eſt in iniquitate ſua.* Et *dicitis: Quare non portabit filius iniquitatẽ patris?* Videlicet *quia filius q iudiciũ et iuſticiam operatus eſt, omnia præcepta mea cuſtodiuit et fecit illa, uiuet uita. Anima quæ peccauerit, ipſa morie tur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: iuſticia iuſti ſuper eũ erit, et im pietas impij ſuper eũ erit. Si autem impius egerit pœnitẽ tiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, et cuſto dierit omnia præcepta mea, et fecerit iudiciũ & iuſticiã: uita uiuet, & non morietur. Omniũ iniquitatũ eius quas operatus eſt, non recordabor: in iuſticia ſua quam opera tus eſt, uiuet.* Nunquid *uoluntatis meæ eſt mors impij, di cit dominus* Deus, *et non ut cõuertatur à uijs ſuis et ui uat?* Audis *prophetã de cuiuſq; actuali peccato loqui, et non de peccato originali, de uiciata natura & carnis im puritate.* Originalem *maculam ex materno utero contra ximus.* Hiob. 14. *Quis dabit mũdum ex his q omnes im mundi ſunt? ne unus quidem dabit.* Actuale *uero delictũ noſtra uoluntate & malicia committimus, dũ ſpõte man data dei uiolamus.* De *cuius pœna etiam* Hierem. *cap.* 21 Et *uiſitabo ſuper uos iuxta fructum operum ueſtrorum, dicit dominus.* In *ſumma, quamuis oẽs natura ſumus im mundi*

*Pœna pec cati ẽ mors*

*mundi et peccatores, tamē nemo pro altero morietur. Vt quiſq; pro ſe & non pro alio ſaluabitur, ita unuſquiſq; pro ſe ipſo condemnabitur. Iuſtus in fide ſua, non aliena, uiuet. Iniuſtus in ſua infidelitate morietur. Nihil igitur habent Anabaptiſtæ ex hoc prophetæ loco pro ſuo errore, quo putant infantes Chriſtianorum ſine originis labe gigni, quod propheta de actuali, ut uocant delicto, & non de naturæ uitio loquatur. Paulus uero apertis uerbis Pelagianico Anabaptiſtarum errori contradicens, docet omnes natura pollutos.*

Anabaptiſtarū error

CLXXXIX.

## Eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri, Ephe. 2.

## Alioqui filij ueſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt. 1. Cor. 7.

Anabaptiſtæ ꝓgenies Pelagij hæretici.

*Contra originalem maculam et naturæ corruptionem hunc Pauli locum. 1. Cor. 7. Nunc autem filij ueſtri ſancti ſunt, Anabaptiſtæ Pelagij progenies adferunt: Similiter aduerſus Pædobaptiſmum: quemadmodum mihi cum illis ex demandato officio agenti, et ab errore reuocare conati, non ſemel obiecerunt: Pueros non eſſe regenerationis lauacro tingendos, ꝙ ſancti, innocētes, ac puri ſint, nec dū peccato cōſenſerint: Quaſi hoc uelit Apoſtolus, Credentium infantes natura mundos, innocentes, ſanctos nulla originalis delicti labe pollutos, contra ſuam ipſius doctrinam, qua confeſſus eſt unius Adæ delicto, pro-*

*propagatum eſſe malũ in omnes homines ad condemna-tionem.* Ro.5. *Et oẽs natura filios iræ,* Ephe.2. *ſicut proxime retuli.* Nõ *ſcribit eo loci.* 1.Cor.7. *de naturæ incorruptione, de carnis & ſanguinis generatione: ſciuit enim omne quod ex carne natum eſt, eſſe carnẽ,* Ioan.3. *id eſt immundum. Sed de coniugij uſu & liberorum: q̃ ſcilicet fidelis maritus infidelem uxorem non cogatur repudiare, aut ab ea diuertere propter eius incredulitatem: q̃ fidelis maritus bona conſcientia poßit incredulæ uxori cohabitare.* Verba Pauli *ſunt:* Reliqs aũt *ego dico, nõ* Dominus : *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc aßentitur ut habitet cum illo, ne dimittat eam, & mulier quæ habet maritum infidelem, & is aſſentitur ut habitet cum ea, ne dimittat illam, Sanctificatus eſt enim maritus incredulus per uxorem, ſanctificata eſt uxor incredula per maritum.* Alioqui *filij ueſtri immundi eſſent, nunc aũt ſancti ſunt.* Fidelis *omnibus creaturis bona conſcientia uti poterit.* Rom.8. *Diligentibus* Deum *omnia ſimul adiumento ſunt in bonum.* Tit.1. *Omnia quidem pura, puris. Infidelis uxor, marito fideli ſancta eſt, non in ſe, ſed quo ad uſum & conuerſationem: et uiciſsim infidelis maritus, fideli uxori ſanctus eſt: cui bona cõſciẽtia, citra fidei læſionem, cohabitare & cõmiſceri poteſt. Si enim deuellantur, filij uſu cõcepti ex infideli fierent immundi, ſi autem cohæreant coniuges ipſis utriſq; ſancti ſunt filij: ſancte poſſunt illos domi educare, & curam ipſorum habere. Non quòd filij per ſe ſancti & innocentes ſint,*

Sanctificatur marit9 incredulus per fidelem uxorem.

Fideli oẽs creaturæ ad uſum ſanæ ſunt.

Filij natura immũdi. qui natiuitate immundi, in peccatis concepti genitiq́; natura ſunt filij iræ, ſed parentibus ſunt uſu & tractatione ſancti: ut non cogantur extrudere domo, ſed poſſunt bona conſcientia ſeruare ac alere, Sicut panis, uinum, ueſtitus tibi ſanctus eſt, non quod ipſa creatura per ſe ſancta ſit, ſed ad uſum ſit ſancta. Sanctificatur enim utenti per ſermonem Dei ac præcationem. 1. Tim 4. Nam quia uerbum Dei habeo, unde ſcio omnia ad hominis uſum eſſe creata. Sanctus eſt mihi quicunq; cibus, ſancta eſt quæcunq; uxor fidelis aut infidelis ſit, ſancti ſunt mihi filij. Et in ſumma, omnes creaturæ mihi credenti ſunt ſanctæ. Mat. 15. Audite & intelligite, non quod ingreditur in os impurat hominem, ſed quod egreditur ex ore, hoc impurum reddit hominem. Rurſus infideli & immundo nihil eſt ſanctum: omnia ſunt illi immunda. Tit. 1. Porrò pollutis & infidelibus nihil eſt purum, ſed polluta eſt illorum & mens & conſcientia. Deus ipſe impio non eſt bonus. Pſalmo. 18. Cum peruerſo te peruerti ſoles. Filij itaq; carnis quibuſcunq; parẽtibus geniti, bonis uel malis, natura ſunt impuri, peccatores, filij iræ, qui deinde regeneratione purificantur, ſicut uides in diſputatione Nicodemi cum Chriſto, quam Ioannes ſcripſit cap. 3. Amen amen dico tibi, inquit Chriſtus, niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.

Infideli nihil eſt ſanctum.

CXC.

Eramus

Eramus omnes natura filij iræ. Epheſios. 2.

Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut pueri, non ingrediemini in regnum cœlorum. Mat. 18.

*Hic alius eſt Anabaptiſtarum aries, quo originale peccatum oppugnant et abnegant infelices antagoniſtæ. Si inquiunt, paruuli eſſent peccatores, immundi ac nocentes, Chriſtus non remitteret diſcipulos ſuos ad paruulorum imitationem et exemplum, non diceret: Niſi paruulis efficiamini ſimiles, non ingrediemini in regnum cœlorum, non iuberet pueros ad ſe uenire: non pronunciaret talium eſſe regnum cœlorum. Sunt igitur innocentes & puri ab omni uiciorum macula. Reſpōdeo. Chriſtus neq; apud Matthæum, nec alibi, de naturæ incorruptione, innocentia & puritate, aut natiuitatis carnalis ſanctitate, uel puerorum incircumciſorum integritate loquitur, ſed de ipſius uitæ ac morum innocentia, quòd pueri non ſint ambitioſi, tumidi & ſuperbi, ſed citra maliciæ ſtudium ſimplices, humiles, candidi, atq; ſynceri. Nam diſcipuli ad Ieſum acceſſerunt, dicentes: Quis maximus eſt in regno cœlorum? Quis noſtrum maior erit? Chriſtus accerſitum ad ſe puerum, in medio illorum conſtituit, et dixit: Amen dico uobis, niſi efficiamini ſicut pueri, non ingrediemini in regnum cœlorum. Quiſquis igitur humi-* Pueri non ambicioſi ſed humiles ſunt.

liauerit ſemetipſum, ſicut eſt puellus iſte: hic eſt ille maximus in regno cœlorum. Matth. 18. Qui minor eſt inter omnes uos, hic erit magnus. Luc. 9. Quaſi dicat: Videtis hunc puerum minime ambitioſum & ſuperbientem, non affectare gloriam, & dominandi poteſtatem: ſed humilem, ſua ſorte contẽtum: et dico uobis, niſi humilitate illi pares extiteritis, non eritis magni in regno cœlorum.

Humilitas docetur.

Nam qui ſe humiliauerit, exaltabitur. Non proponit diſcipulis puerorum natiuitatem aut naturã, ſed mores ab ambitione alienos. Quemadmodum facit Paulus 1. Cor. 15. Ne ſitis pueri ſenſibus, ſed malicia pueri ſitis, ſenſibus uero perfecti ſitis. Vt tenera & puerilis ætas minime eſt fallax, utpote quæ ad rationis ac maliciæ uſum nondum peruenerit, ita uos minime ſitis mali. Adde quòd hi pueri, qui circa Chriſtum erant, circumciſiõe ſigillo iuſticiæ in populum Dei coaptati, et ab originali labe mundati, fuerant. Et illi alteri, quos ad ſe uenire iuſsit, ipſo Domino Ieſu fuerunt oblati, & ſuo amplexu ſanctificati, ac fideles quoq;: nam pronunciat talium eſſe regnum cœlorum. Quando uero regnum cœlorũ ſit tantum credentiũ (iuxta illud: Qui credederit in filium Dei, nõ cõdemnabitur. Qui uero non credit, iam condemnatus eſt. Ioan. 3. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Mar. 16.) ſequitur pueros poſſe credere. Hoc quoq; probat q̃, ad ſe pueros iubet uenire: Nam infideles neſcit Chriſtus, non uocat ad ſe, non amplectitur & oſculatur. Breuiter: Omnes pueri (licet à maliciæ ſtudio & operatione, hoc

Talium eſt regnũ cœlorum.

Pueri quoq; credunt.

eſt actuali peccato, ætate imbecillitatis prohibeantur ad tempus) natura ſunt peccatores, filij iræ, et æternæ mortis mancipia, niſi gratia & miſericordia Dei in Chriſto ab hac πανωλεθρία eripiantur, in populum Dei conſcribantur, ac Baptiſmo à natiuis ſordib9 abluantur. Ioa. 3. Quos igitur pueros ſacroſancta ſcriptura ſanctos prædicat, iam in eccleſiam Dei conſcripti fuerant, et circumciſione diuini fœderis ſymbolo conſignati. Diuus Ioannes Baptiſta ab utero materno ſanctificatus, & ſpiritu ſancto repletus, quodam ſingulari priuilegio ab genitali ac naturali macula ereptus fuit. Deinde Chriſtus Ieſus quamuis è uirgine carnem aſſumpſerit, non tamen uirili ſemine, ſed è ſpiritu ſancto conceptus fuit. Reliqui mortales è carne et ſanguine cōcepti, naſcuntur filij iræ, peccatores, condemnationi obnoxij. Solus Chriſtus eſt, qui fecit nobis copiam filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, ſed ex Deo nati ſunt. Ioan. 1. Renati non ex ſemine mortali, ſed ex immortali per ſermonem uiuentis Dei, & manentis in æternum. 1. Pet. 1. Ipſe ſolus Ieſus Chriſtus tollit peccatū mundi, eſt propitiatio pro peccatis noſtris.

*Oēs pueri natura æternæ mortis mancipia.*

*Chriſtus ab omnib9 peccatis liberat.*

CXCI.

Deus noſter Deus ſaluos faciendi. Pſalmo. 68.

Baptiſmus nos ſaluos reddit. 1. Pet. 3

Hacte-

Hactenus promiſcue locos utut ſe ſe obtulerant, com-poſuimus: ſuper eſt, ut etiam negotium trium ſacramen-torum, Baptiſmi, Abſolutionis & Euchariſtiæ, uelut me facturum recepi, tractando explicem. Nam contra hæc Chriſtianæ eccleſiæ ſymbola quoq; argumenta aſtute è ſcripturis producuntur. Shwermeri enĩ magiſtro ſatha-na excitati, magno furoris impetu illa impugnant. Sunt uero Suermeri, ne hoc in primis præteream, hæretici no-ſtri temporis, qui mox orta Euangelij luce inflati, magni haberi & eſſe cupientes, nouum dogma contra purum Chriſti Euãgelium elegerunt ac ſuſceperunt, cõtra par-uulorum baptiſmum, quo ſancta Eccleſia ab Apoſtolo-rum temporibus, referente Origene in ſexto capite Epi-ſtolæ Pauli ad Romanos, uſa fuit: contẽdentes nullos in-fantes, ſed adultos tantum, baptiſmate initiandos. Hor-rendum dictu, quantum ſugillent pædobaptiſmum, Sa-thanæ traditionem, magno pietatis zelo, tradunt eſſe. Hi Swermeri etiam uicium originis omnino negant eſſe peccatum, clauium poteſtatem rident, Dominicam cœnã euacuant, & diris modis corrumpunt. Eccleſiæ mini-ſtros diaboli clamant. Noſtrum miniſterium in uerbo Dei & ſacramentorum diſpenſatione, damnant: ritus ec-cleſiæ utiles in totum abrogant, et alia infinita eccleſia-ſticæ politiæ inſano cachinno explodunt, cœlum terræ miſcent, omnia confundunt: Legitimos magiſtratus con-uicijs proſcindunt, ac tollere ſtuduerunt: nihil omnino

*Swermeri qui ſint, & qualis er-ror eorum.*

*in eccleſia tollerant, niſi ab illis ſit excogitatum: uetera auferũt, noua'q; fingunt.* Hi *nouo uocabulo uernacula germanorum lingua ab apum examine, ſeu œſtrorum ſtrepitu & ſuſurro ficta uoce.* SVVERMERI, *ab* DOCTORE MARTINO LVTHERO *Germaniæ noſtræ* Euangeliſta *& alijs deinde uiris, ſunt appellati: quaſi dicas, œſtro aut furia agitati. Schwarm enim uulgari & teutonica uoce examen ſignificat.* Inde *Suermeri, id eſt furientes, frenetici ac lymphatici accõmodatiſsimo uocabulo: nihil enim illis eſt furioſius, obſtinacius q; , præterquã quòd pædobaptiſmum damnant, nihil omnino tribuunt* Baptiſmo, *niſi quòd ſit Chriſtianorũ nota, qua diſcernãtur ab gentib9, more ciuili, ſicut toga* Romanos *ab alijs gẽtibus diſcernebat: ac ciuilia militaria'q; ſigna inter ciues milites'q; diſcernunt: aut uelut cuculus monachos ab reliquo hominum genere ſeparat, & diſcriminis ſymbolum eſt.* Negant Baptiſmum *abluere peccata, et iuſticiæ fidei ſymbolum eſſe.* Negant *ſacramenta noui teſtamenti inſtrumenta eſſe, per quæ fides excitetur, erigatur & confirmetur: id eſt, ſigna et teſtimonia diuinæ uoluntatis erga nos, & promiſſæ miſericordiæ. Sicut etiam diuus* Auguſtinus Lib. 9. *cõtra* Faſtum, *& 80. tractatu ſuper* Ioannem, *Sacramentum interpretatur uiſibile uerbũ.* Quod *ſicut uerbum* Dei *nos de beneuolentia* Dei, *& peccatorum remiſsione certificat: ita Sacramentum uerbo inſtitutum, conſcientiam certificat.* Et *pro ſua opinione adferũt* Anabaptiſtæ *ſcripturæ lo-*

*Swermeri unde dicti.*

*Signorum uſus.*

cos, qui Deo ſaluandi potentiam attribuunt, quemadmodum illos. Pſ. 68. Deus noſter Deus ſaluos faciendi. Ieſ. 33. Dominus Deus noſter ipſe ſaluabit nos. Ieſa. 43. Non eſt abſq; me ſaluator Mat. 1. Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum Luc. 2. Annūcio uobis gaudium magnum, quod futurum eſt toti populo: quia natus eſt uobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid. 1. Ioan. 4. Pater miſit filium ſaluatorem mundi. Hic argumentātur acuti homines: Deus ſaluat non Baptiſmus, non Euchariſtia, Abſolutio etc. Quaſi nos hanc gloriam Deo raperemus, & nudis creaturis, citra uerbum Dei, attribueremus ſaluandi uirtutem. Deus ſolus eſt qui nos paſcit. Sed agite Suermeri, nullo ueſcimini pane, & uidebimus quàm ſaturi ſitis futuri? Nos quoq; aſſeueramus Deum ſolum ſeruare, ſed ut negemus Baptiſmū à peccatis mundare, ſana conſcientia dicere nō poſſumus, propter uerbum Dei, quod mox ſubijciemus. Ita autem res habet: Deus ſaluat ut auctor & Dominus ſalutis, Baptiſmus ut inſtrumentum. Deus iuſtificat, purificat & ſaluat, & nemo niſi Dei gratia & miſericordia iuſtificatur & ſaluus fiet. Nihilominus Deus per inſtrumenta emundat ac ſaluat. Sic Deus ſolus eſt, qui nos paſcit. Matth. 6. Pater ueſter cœleſtis alit illa, tamen pane alendi inſtrumento utitur. Pſalm. 104 Panis cor hominis ſuffulcit. Deus ſolus cuſtodit & protegit nos: iuxta illud Pſal. 127. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatē, fruſtra uigilat qui cuſtodit eā: tamē angelorū aut magiſtratus miniſterio

*Deus ſaluat.*

*Deus per inſtrumenta ſaluat.*

ſterio. Deus ſolus creat, homines tamẽ parentũ coniunctione naſcimur. Deus ſolus Doctor et magiſter eſt, habet tamen ſua organa per quæ docemur, de quibus Centuria prima locis. 85. pleraq; annotata ſunt. Rerum omnium auctor & Dominus eſt Deus: is ſua habet inſtrũenta et organa, quibus ceu medijs efficit quod uult. Sic Deus ſolus peccata remittit per inſtrumenta hæc. Euangelium miniſterium uerbi, & ſacramenta. Roma. 5. Euangeliũ eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. 1. Cor. 4. Diſpenſatores ſumus myſteriorum Dei. 2. Corin. 3. Idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamẽti: Nõ literæ ſed ſpiritus 2. Cor. 9. Dedit nobis miniſterium reconciliationis, et poſuit in nobis ſermonem reconſiliationis. Quod uero miniſterio Baptiſmi purificemur, audiamus ſpiritus ſancti oracula. Mar. 16. Inſtituens miniſterium Euangelij & baptiſmi Chriſtus inquit: Ite in mundũ uniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Hic Euangelio, fidei, & baptiſmo, ſalus attribuitur. Act. 2. Petrus Iudæis, cõpunctis corde, ait: Reſipiſcite et baptiſetur unuſquiſq; ueſtrũ ſuper nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorũ, & accipietis donum ſpiritusſancti. Baptizetur, inquit, in remiſsionem delictorum. Ergo baptiſmus, iuxta Chriſti inſtitutionem delictorum condonationem adfert, Actor. 22. Ananias diſcipulus Domini, Paulo dixit: Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine Domini. Non ludit uanis uerbis Paulum Ananias, Baptiſmo

Inſtrumẽta Dei p quæ peccata remittuntur.

Baptiſmo abluuntur peccata propter uerbum Dei, & offertur gratia.

*uero abluũtur peccata* Gal.3.*Quicunq; baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Si Chriſtum baptiſmo induimus, qui factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſticiaq;, & ſanctifica tio, & redemptio* 1.Cor.1. *Vere iuſt ciam, ſanctificatio- nem, & redemptionem induimus.* Ephe.5. *Chriſtus di- lexit eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, ut illam ſanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum, ut adhiberet eam ſibi ipſi glorioſam eccleſiam non haben- tem maculam aut rugam aut quicquam eiuſmodi, ſed ut eſſet ſancta, & irreprehenſibilis. Chriſtus mundauit & ſanctificauit eccleſiam lauacro aquæ, id eſt, baptiſmo, per uerbum ſcilicet ſuum, quo inſtituit et conſecrauit ba- ptiſmum.* Idem Apoſtolus Titum.3. *At poſtq̃ bonitas, & erga hõines amor apparuit ſeruatoris Dei noſtri, nõ ex operibus quæ ſunt in iuſticia, quæ faciebamus nos, ſed ſe cundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrũ regenerationis ac renouationis ſpirituſſancti: quem effu dit in nos opulente, per Ieſum Chriſtum ſeruatorem no- ſtrum, ut iuſtificati illius gratia, hæredes efficeremur iu- xta ſpem uitæ æternæ. Quid clarius poteſt dici, quàm ſal uos nos factos per lauacrum regenerationis?* Accedit *poſtremò iterum diuus* Petrus *comparans baptiſmum aquæ diluuij.* 1.Pet 3. *& uirtutem illius explicans. In di- ebus* Noe *cum apparabatur arca, in qua paucæ hoc eſt, octo animæ ſeruatæ fuerunt per aquam: cuius figuræ nunc reſpondens baptiſmus, nos quoq; ſaluos reddit: quo nõ carnis ſordes abijciuntur, ſed quo fit ut bona con*

*ſcientia*

*ſcientia bene reſpondeat apud* Deum, *per reſurrectionē* Ieſu *Chriſti, qui eſt ad dextram* Dei, *profectus in cœlum ſubiectus ſibi angelis, & poteſtatibus, ac uirtutib9.* Vide *quæſo pie* Lector, *quanta tribuit baptiſmo* Petrus *: non tantum inquit:* Baptiſmus *ſaluos facit, quo non abluūtur immunditiæ carnales, ſed ſpirituales, originalia peccata, ſed & bona redditur ac pacatur conſcientia de beneuolentia* Dei: *eſt ſignū gratiæ, quo abluti & ſanctificati ſumus, & populo* Dei *inſerti, hæredes regni et cohæredes* Chriſti. Quomodo *potuit magnificentius* Baptiſmum *cō mendare? pudet igitur Suermeros erroris & blaſphemiæ ſuæ, qua miſere & aſtute, proh dolor, uerbum ſpiritus ſancti de* Baptiſmo *corrumpunt & laniant.* Dominus *miſertus eorum, reuocet ab flebili & deplorando errore, ad intelligentiam* Euangelij *ſui, aut deſtruat eos in finem,* Amen. Nos *autem in ſapientia & ſimplicitate uerbi ſui, cuſtodiat ut dominicæ uoci, &* Apoſtolorum *teſtimonijs, indubitata fide adhæreamus perpetuo, & regenerationis lauacro rectè ad nominis eius gloriam, noſtriq; ſalutem utamur.* Faxit Deus.

CXCII.

Placuit deo, per ſtulticiam prædicationis ſaluos facere credentes. 1. Corinth. 1.

Si tantum tetigero ueſtimentum illi-

us ſalua ero. Matthæ. 9.

Paulus Apoſtolus uerbis illis: poſtquam in ſapientia Dei non cognouit mundus per ſapientiam Deum, uiſum eſt deo, per ſtulticiam prædicationis ſaluos facere creden tes. 1. Cor. 1. aperit quomodo Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti à mundo et carne excipiatur, deinde quæ ſit Euangelij potentia. Euanglium prædicatio eſt de filio dei, quòd ſit caro factus, crucifixus, mortuus, portauerit peccata totius mundi, reconciliauerit nos Deo patri & uitam æternam emeruerit: Quod noſtra ſaptentia ſit ſtul ticia coram Deo: noſtra iuſticia, impietas. Annunciat hoc Euangelium in Chriſto Ieſu omnium peccatorum noſtro rum eſſe remiſsionem, benedictionem omnium tribuum terræ, iuſticiam, ſalutem, ac uitam æternam, citra omne noſtrũ meritum. Non eſſe aliud nomen ſub cœlo datum in quo nos oporteat ſaluos fieri. Quòd Chriſtus ſit re• ſurrectio et uita, qui credentes ad immortalem uitam, & æternam gloriam ſit excitaturus. Hanc Euangelij grati• am cum audit mundus prædicare, ſua ſapientia et iuſticia inflatus, non admiratur, non plauſu, iubilo ac honore ex cipit, non agit gratias largitori Deo, non ſubmittit ceruicem, nec captiuam tradit omnem ſuam cogitationem ad obediendum Chriſto: ſed cõtra aſſurgit, damnat, ridet & exſibilat ſalutare nuncium, ſtulticiam pronunciat et ua• nam doctrinam, quæ bona opera prohibeat. Sic Chri• ſtus à ſuis Iudæis exceptus fuit, iudicatus habere dæmo• nium

Euangeliũ quid prædicet.

Euangeliũ mũdo ſtul• ticia

nium. Ioan. 8. ac inſanire, Ioan. 10. & propterea etiam in crucem actus. Phariſæi. ſcribæ, pontifices, ſacerdotes, pfaffi, monachi & nonnæ ſemper deriſerunt Euangeliū. Apoſtoli in die penteeoſtes ſpiritu ſancto repleti, loquentes magnifica Dei, id eſt, Euangeliū magni & beati Dei quod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, pro ebrijs & muſto repletis ſunt iudicati. Acto. 2. Paulum idē Euangelium annunciantem, ſpermologum, nouorumq; dæmoniorum annunciatorum, dixerunt, Actor. 16. Ideo rectè ſcripſit: Sermo crucis, ijs qui pereunt, ſtulticia eſt: at nobis qui ſalutem conſequimur, potentia Dei eſt. Scriptum eſt enim. Perdam ſapientiam ſapientum, & intelligentiam intelligentium reijciam. Vbi ſapiens? ubi ſcriba? ubi diſputator ſeculi huius? Nōne infatuauit Deus ſapiētiam mundi huius? Nam poſtquam in ſapientia Dei non cognouit mundus per ſapientiam Deum, uiſum eſt Deo per ſtulticiam prædicationis (id eſt, per Euāgelium quod mundo eſt ſtulticia) ſaluos facere credentes. Quandoquidem & Iudæi ſignum poſtulant, & Græci ſapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis uero ſtulticiam: ſed ijſdem uocatis, Iudæis pariter ac Græcis Chriſtum Dei potentiam ac Dei ſapientiam. Quoniam ſtulticia Dei ſapientior eſt hominibus, & imbecillitas Dei robuſtior eſt hominibus: Hoc Euangelium quamuis ſtulta habeatur prædicatio, ſaluos facit credentes: eſt organum Dei, quo ſalutem operatur fidelium. Mar. 16. Ipſe Dominus, quod

Euangeliū ſaluū facit.

dico, confirmat. Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit Euangelio, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Ioan. 15. Iam uos mundi eſtis propter ſermonẽ, quem locutus ſum uobis R o. 1 dicit Paulus: Non me pudet euã gelij Chriſti. Potentia ſiquidem eſt Dei ad ſalutem omni credenti, Iudæo primum ſimul & Græco. Iuſticia enim Dei per illud patefit ex fide in fidem, Sicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide uicturus eſt, & 1. Cor. 15. Notum uobis facio fratres Euangelium quod Euangelizaui uobis, quod & accepiſtis, in quo et ſtatis, per quod & ſalutem cõſequimini. Ephe. 1. In quo Chriſto ſperatis, et uos, audito uerbo ueritatis, Euangelio ſalutis ueſtræ, in quo etiam poſteaquam crediſtis, obſignati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt arrabo hæreditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitæ poſſeſsionis, in laudẽ gloriæ ipſius, Eph. 2. Veniens euangelizauit pacem. Iaco. 1. Quapropter depoſita omni immundicia & redundantia maliciæ, cum manſuetudine recipite inſitum ſermonem, qui poteſt ſaluas reddere animas ueſtras. Hæc eſt Euangelij uirtus & gloria, q, credentibus delictorum condonationem, benignitatem Dei & uitam æternã annunciat, conſcientiam lætificat & confirmat, ac ſalutem operatur in nobis. Alter uero locus Mat. 9. Si tantũ tetigero ueſtimẽtum illius, ſalua ero: non contendit cum uerbis Pauli de Euangelij efficatia: ſed fidei energiam, Chriſti ac Euangelij gloriam illuſtrat, mulier enim, quæ ſanguinis profluuio laborauerat duodecim annos, cum audiſſet de Ieſu,

Per uerbũ & ſacramẽta tanq̃ per inſtrumenta donatur ſpiritus ſanctus.

uce

uenit in turba à tergo,et tetigit fimbriam ueſtimenti illi us: dixerat enim intra ſe: Si tantum tetigero ueſtimentũ illius ſalua ero. At Ieſus conuerſus ut uidit illam, dixit: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit. Et ſalua facta fuit mulier à tempore illo. Credebat, pia mulier tantum diuinæ & ſaluificæ uirtutis ineſſe Chriſto, ut illius ueſtimentum attactum ſaluaret: quemadmodum hac fide à ſanguinis fluxu liberata eſt. Magnum & potens argumentum contra Suermeros, qui omnia externa, ut ipſi uocant, reijciunt & inutilia uocant, dicentes, in nulla re externa eſt ſanctificatio, nihil proſunt & conferunt externa, nullius ſunt momenti. Recte quidem, ſi quid externum eſſet, ipſi intelligerẽt. Dicunt externa quæ oculis patent: res corporales, uiſibiles & compræhenſibiles. At externum eſt, quod non habet uerbum & inſtitutionem Dei: quod eſt extra uerbum & regnum Chriſti: de quo dominus nihil mandauit, nec conſecrauit uerbo ſuo. Sicut externus homo eſt, qui extra regnum Chriſti eſt poſitus, nondum renouatus ſpiritu. Ita externa res, cui Deus ſpiritum et uerbum ſuum minime attribuit. Quicquid enim uerbo Domini noſtri Ieſu Chriſti conſecratum eſt, externum dici non poteſt. Quemadmodum Auguſtinus ſcripſit: Accedit uerbum ad elementum, & fit ſacramentum. Quaſi dicat: Ipſa creatura per ſe eſt elementum aut res externa: ſed ſi uerbum & inſtitutio Dei acceſſerit, iam non eſt res externa, ſed Sacramentum, ſanctificatio, & res quæ ſacrat & ſanctificat. Sicut Petrus,

Externum quid ſit.

Paulus, Andreas. &c. per ſe ſunt homines externi, & prophani: aut per uerbum Dei ſunt ſancti. Hinc eſt quod Petri umbra ſanauerit ægrotos, diuina cooperante uirtute. Acto.5. Et uirtutes non uulgares æderet Deus per manus Pauli: Ita ut etiã ſup infirmos deferrentur à corpore eius ſudaria & ſemicincta, & recederent ab eis morbi et ſpiritus mali egrederentur. Acto.19. Aqua per ſe eſt elementum & res externa: Verum ſi fiat aqua baptiſmi, nõ eſt res externa, ſed ſancta & mundificans aqua propter uerbum Dei inſtituentis baptiſmũ. Ita ſentiendũ de alijs rebus, quæ ſanctæ fiũt ex uerbo dei, quod omnia ſanctificat. Itaq; externa per ſe quidẽ nihil proſunt et conferũt, ſed propter mandatũ Dei omnia efficiunt, ad quæ ordinauit ea Deus. Verbũ Euangelij uocale & externum, ut uocãt Suermeri, nõ eſt mortua litera et inefficax ſermo, ſed diuinæ maieſtatis organũ, ſpiritus. 2. Cor. 3. et uirtus Dei, Rom. 1. quo operatur Deus uniuerſa quæ uult, ſalutem fidelium & excæcationẽ reproborum. Ieſa. 55. Quẽadmodũ deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc non reuertitur, ſed inebriat terram & germinare facit eam, & dabit ſemen ſerenti, et panem comedenti. Sic erit uerbum meum quod egreditur de ore meo. Non reuertetur ad me uacuum, ſed faciet quod uolui, et proſperabitur in his, ad quæ miſi illud. Deus nunc ijs, nunc alijs utitur inſtrumentis ad perficiendam uoluntatem ſuam. Qui igitur inſtrumenta aſpernatur, Deum autorem aſpernatur. Et ſicut uerbum ipſum ſanctificat, ita uerbi ſacramenta.

*Verbũ Domini non eſt ocioſum*

*Euangeliũ non litera eſt, ſed ſpiritus et uirtus Dei.*

Mundans

## CXCIII.

## Mundans eam lauacro aquæ per uer bum. Ephe. 5.

## Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato. 1. Ioan. 1.

*In Chriſto Ieſu Dei filio & ſemine Abraham, benedictio et ſalus omnium gentium promiſſa atq; propoſita eſt. Ipſe nobis natus et datus eſt: traditus quoq; propter peccata noſtra, et excitatus propter iuſtificationẽ noſtri Ro. 4. Sua morte nobis uicit mortem, & emeruit nobis peccatorum remiſsionem, iuſticiam, regniq; cœlorum hæreditatem. Corpus ſuũ pro noſtris reatibus flagellandũ, conſpuendum, percutiendum ac crucifigendum tradidit, iuxta prophetiam, Ieſa. 53. Ipſe uulneratus eſt propter iniqtates noſtras, attritus eſt ꝑpter ſcelera noſtra. Sanguinem ſuũ pro nobis in remiſsionẽ peccatorum noſtrorum effudit: uelut ipſe dicit: Hoc eſt corpus meum quod pro uobis traditur. Hic eſt ſanguis meus, q pro uobis effunditur in remiſsionẽ peccatorũ. Sanguine ſuo nouũ cõfirmauit teſtamẽtũ: Cuius promiſsio facta eſt p Hieremiã prophetam, his uerbis: Ecce dies uenient, dicit Dñs, & feriam cũ Domo Iſraël, et cum domo Iuda fœdus nouũ. Non ſecundum fœdus quod pepigi cum patribus eorũ, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, quia ipſi non ſteterunt pacto, & ego dominatus ſum eis, dixit Dñs. Sed hoc erit fœdus quod*

*Nouũ teſtamẽtũ Chriſti ſanguine confirmatum.*

ſeriã cũ filijs Iſraël poſt dies ipſos, dixit Dominus. Dabo legem meam in pectus eorum et in corde eorum ſcribam eam, et ero eis in eum et ipſi erunt mihi in populũ, Et non docebunt ultra unuſquiſq; proximum ſuum, et unuſquiſq; fratrem ſuum, dicens: Cognoſcite Dominum: quia oẽs cognoſcent me à minimo eorum uſq; ad maximũ eorum, dixit dominus: quia propiciabor iniquitati eorũ, et peccati eorum non recordabor amplius. Hier. 13. Heb. 8. Vbi autẽ teſtamentũ eſt, mors intercedat neceſſe eſt teſtatoris. Nam teſtamẽtum in mortuis ratum eſt: quandoquidem nondum ualet cũ uiuit teſtator. Vnde ne prius quidẽ teſtamentum abſq; ſanguine dedicatum fuit. Cum enim Moſes omne præceptũ iuxta legẽ expoſuiſſet omni populo, ſumpto ſanguine uitulorum et hircorum, cum aqua et lana coccina & hyſopo, ſimul & ipſum librum et totũ populũ aſperſit, dicens: Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandauit uobis Deus. Inſuper autem et tabernaculum et omnia uaſa miniſterij ſanguine ſimiliter aſpergebat. Et omnia ferè ſecundũ legem ſanguine purificantur, et abſq; ſanguinis effuſione non fit remiſsio. Itaq; neceſſe eſt, ut exemplaria quidem eorum quæ ſunt in cœlis, hiſce rebus purificentur. Hebræ. 9. Morte et ſanguine Ieſu acquiſita eſt delictorũ condonatio, Atq; hoc Chriſti meritũ Euãgelio ac ſacramentis diſpenſatur. Qui baptizamur, in mortem eius baptizamur. Rom. 6. et Chriſtũ induimus, Galat. 3. ſanguine aſpergimur cordibus, et ab iniquitatibus mundamur. Aſperſio ſanguinis prædicatione fit, ac fide

*Sanguine emundat nos à peccatis.*

recipi•

*recipitur. Ideo Paulus lauacro aquæ per uerbum mundatam Eccleſiam refert. Et Ioannes ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti emundare à peccatis ſcribit: Similiter diuus Petrus huius aſperſionis ſanguinis Ieſu Chriſti meminit. 1. Petri 1. Nulla igitur hic eſt contrarietas & pugnantia. Chriſtus purificationis et ſalutis auctor eſt, ſiue nos aqua illa munda, de qua Ezechie. 36. ſeu ſanguinis ſui aſperſione ſanctificet. De latere Chriſti profluxit ſanguis & aqua ad noſtri emundationem.* *Sanguinis aſperſio.*

## CXCIIII.

### Quis poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus. Mar. 2.

### Quorumcunq; remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorũcunq; retinueritis, retenta ſunt. Ioan. 20.

*Abſoluto paucis Baptiſmi ſacramento ad alterum Abſolutionis ſeu poteſtatis clauiũ accedamus. Hic quoq; rebelles ſunt Suermeri, ac mendacem ſequuntur opinionẽ, magnum numerum teſtimoniorum coaceruantes: Quòd ſolus Deus, iniquitatis peccata & ſcelera remittat, & à delictis abſoluat, qualis eſt hic Legis textꝰ Exo. 34. Qui auferes iniquitatem & ſcelera atq; peccata. Ac Ieſa. 33. Ego ſum, ego ſum ipſe, q deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum nõ recordabor. Similiter ille: Quis poteſt peccata remittere, niſi ſolus deus? Hic eccle*

ſiæ miniſterium omnino extenuant, clauium poteſtatē è domo Dei exturbant, & ſponſam Chriſti ſuis ornamētis ac decore ſpoliant. Sed facillime horum error confutabitur, ſi hic repetamus quæ de miniſterio uerbi et ſacramētorum adminiſtratione, iam ante retulimus. Deū ſcilicet unicum eſſe mundi ſaluatorem, qui deleat iniquitates, auferat peccata, & gratiam conferat: quæ tamē per inſtrumēta operatur in Eccleſia, per Euāgelij prædicationem et ſacramentorum diſpenſationem. Remittit itaq; peccata noſtra miniſterio Apoſtolorum, Euangeliſtarū, ac miniſtrorum Eccleſiæ, iuxta ſuam ordinationem. Sic Petro commiſſum legimus Mat. 16. Tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo meam eccleſiam: & portæ inferorum non ualebunt aduerſus illam. Et dabo tibi claues regni cœlorum: & quicquid ſolueris in terra, erit ſolutum in cœlis: & quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis. Hic audis clauium poteſtatem Petro Eccleſiæ miniſtro, demandatā & confirmatam. Sic deinceps omnibus Apoſtolis eandem auctoritatem committit. Matth. 18. Porrò ſi peccauerit in te frater tuus, uade & argue eū inter te & ipſum ſolum: Si te audierit, lucratus es fratrē tuum. Sin uero te non audierit, adhibe tecum adhuc unū aut duos, ut in ore duorum aut triū teſtium conſiſtat omne uerbum. Quòd ſi nō audierit eos, dic Eccleſiæ. Quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi uelut ethnicus et publicanus. Amē dico uobis, quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunq; ſolueritis ſuper

*Peccata noſtra miniſterio eccleſiæ remittūtur.*

*Abſolutio ſeu poteſtas clauium.*

*terram, erunt ſoluta in cœlo. Similiter. Ioan. 20. Accipite ſpiritũ ſanctũ. Quorumcunq; remiſeritis peccata, remittuntur eis: Quorumcunq; retinueritis retenta ſunt.* Hoc *Chriſti uerbum non eſt uanum & inefficax. Miniſtri in Eccleſia non ſuam perſonã repræſentant, ſed Chriſti uice fungũtur: Chriſti Euangeliũ prædicant, in Chriſti nomine et mandato baptizant, abſoluunt ac* Euchariſtiam *miniſtrant: iuxta illud: Qui uos audit, me audit, Lucæ. 10.* Roborat *noſtram ſentẽtiam* Paulus *aliquot locis. 1. Cor. 3. Quis eſt Paulus? quis autem* Apollo? *niſi miniſtri per quos credidiſtis, & ut cuiq;* Dñs *dedit. Etenim* Dei *ſumus cooperarij. 1. Cor. 4. Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, et diſpenſatores myſterioum* Dei. *2. Cor. 3. Omnis idonietas noſtra ex* Deo *eſt, qui & idoneos fecit nos miniſtros noui teſtamenti: non literæ, ſed ſpiritus. 2. Corint. 5. Nomine Chriſti legatione fungimur tanquã* Deo *uos obſecrante per nos, rogamus pro Chriſto reconciliemini* Deo. *Voluiſſe autem dñm ratam eſſe hanc clauium poteſtatem, exempla probant. 1. Cor. 5.* Paulus *hac poteſtate* Domini *noſtri* Ieſu *Chriſti ſathanæ tradidit inceſtuoſum. Act. 5.* Petrus *Ananiam cum Saphira uxore clauium autoritate peremit. Et olim* Nathan *Dauidem pœnitentem abſoluit. 2. Sam. 12. Oporet igitur* Abſolutionem *in* Eccleſia *retineri propter mandatũ Chriſti, et conſcientiæ medicinã. Dici non poteſt quantum afflictis cõſcientijs medeatur, lapſos erigat et confortet abſolutio.*

*Miniſtri eccleſiæ Chriſti uicem agunt.*

*Abſolutio retinẽda in Eccleſia.*

CXCV.

Veſcen-

Veſcentibus eis, accepit Ieſus panẽ: & cum egiſſet gratias, fregit, dedit'q́; diſcipulis, & ait: Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum. Matthæi, 26.

Tunc ſi quis uobis dixerit: Ecce hic Chriſtus, aut illic, nolite credere. Matthæi, 24.

*Suermeri dederunt ſectas.*

*Poſtquàm Baptiſmi & Abſolutionis ſacramenta breuiter expoſuimus, Euchariſtiæ negotiũ reſtet quoq; explicandum. Nouit enim Chriſtianus orbis quãtas hic turbas atq; ſectas dederint Suermeri: quòd ſcripturæ locos contra hoc ſacramentũ deprauauerint. Agemus autẽ rem quàm ſimpliciſſime. Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur, Ieſu Chriſti filij Dei uiuentis, qui eſt α et ω æterna ſapientia, ueritas, & potentia, per quem Deus ſecula fecit, & omnia moderatur ac ſeruet, ſunt uerba, qui in ea qua traditus fuit nocte, ſacroſanctam cœnam inſtituit, in qua corpus & ſanguis eius ederetur ac biberetur, morsq́; ipſius in eccleſia prædicaretur uſq; ad finem mundi. Verba ſunt uera, nuda ac ſimplicia, ſicut Chriſtus ſimplex, uerax, & ipſa eſt ueritas: quem audire religioſe commendauit cœleſtis pater, Matth. 17. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benecomplacitum eſt, ipſum audite. Quando itaq; Deus, ipſaq; ueritas ſit Chri-*

*Verba dominicæ cœnæ ſimpliciſſima.*

ſtus, debetur ipſi ac uerbo eius fides & obedientia. 2. Cor. 10. Deo namq; et ueritati fides debetur. Vnde ſine ulla contradictione uerbis illis parendũ & credendum. Habent uero dominicæ inſtitutionis uerba, primo præceptũ quid ſit ad huius cœnæ ſolenitatem faciendum: deinde quid credendũ: poſtremò in quem uſum recipiendum. Primo mandauit, ut corpus in pane manducaremus, & ſanguinem in poculo biberemus ad memoriã eius etc. Imperatiua ſunt: Accipite, comedite, bibite, hoc facite: quod præceptũ Domini, ſine peccato nõ poteris præterire. Secundo fidem exigit, ut nõ tantũ comedas et bibas, ſed his uerbis: Hoc eſt corpus meum quod pro uobis datur, Hic eſt ſanguis meus, qui pro uobis effunditur, fidem adhibeas: nempe tibi uere corpus & ſanguinẽ hic diſtribui iuxta uerbũ ueritatis, ſicut ipſe Chriſtus inſtituit. Tertio tibi ad hanc cœnam accedenti, præmeditandum in quẽ uſum Chriſtus tradiderit tibi corpus ſuũ in hac cœna edendũ & ſanguinem ſuum propinauerit potandum: Nempe ut certus ſis nunc impletũ, quod Ieſaias prædixit ca. 53. Ipſe uulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, Liuore eius ſanati ſumus &c. Vt certius ſis inquam, Chriſti corpus pro te traditũ in mortẽ, tua culpa flagellatũ, conſputũ, cæſũ, perfoſſũ et in crucem immolatum: & ſanguinẽ Ieſu pro tuis delictis extergendis effuſum, te à peccatis, & peccatorũ maledictione redemptum, patriq; cœleſti conciliatum, paſſionem & meritum Chriſti tuum eſſe. Inquit enim: Quod pro uobis traditur

*Deo et Veritati fides debetur.*

*Mandatũ Euchariſtiæ.*

*In quẽ uſũ inſtituta Euchariſtia.*

traditur: Sanguis pro VOBIS effunditur. Nobis iſthæc dicta ſunt, nobis obſeruāda: In hæc ueritatis uerba ſpem fixam ponere conuenit. His enimſe nobis donat Chriſtus, cū ſuo merito: Sicut nobis natus eſt, et mortuus pro nobis: ita quoq; meritum ſuæ paßionis hoc ſacramento diſpenſat. Cibus huius menſæ eſt corpus Chriſti, quod pane exhibetur: potus huius cœnæ, eſt ſanguis filij dei, qui poculo offertur. Vſus huius ſacramenti, eſt ſanctificatio noſtri, qua & conſcientia noſtra certificatur & fides cō firmatur de uoluntate Dei, promißione gratiæ, et condonatis peccatis. Sacramentum nanq;, iuxta nominis etymologiā, id ſignificat, quod nos ſacrat, ſanctosq́; efficit. Nam in mentum nomina, plerunq; à uerbis ueniunt, & ſunt uerbalia actionem ſignificantia, ut ueſtimentum à ueſtire, teſtamentum à teſtari, fundamenum ab fundare, monimentum à monere, documentum à decore: ornamentum ab ornare: Sic etiam ſacramentum à ſacrare. Sunt uero ſacramenta ſanctificationis ſymbola, quibus Deus Spirituſſanctus nos ſancttificat in conſcientia, quod Paulus paßim docet de baptiſmo. Gal. 3, Ephe. 5. Tit. 3. 1. Pe. 1. Velut dictum eſt. De Eucharistia dixit Apoſtolus, indigne ueſcentes iudicium ſibi māducare & bibere. Ergo à dignis ad ſanctificationem & ſalutem ſumitur. Abſolutio ſeu clauium poteſtas cū ſoluit et remißionem delictorum annunciat, nonne uere ſanctificat? Et in hunc uſum inſtituta ſunt Sacramenta, ut ſint notæ, ſigilla et teſtimonia iuſticiæ, inſtrumenta per quæ fides excitetur ac confirmetur

*Sacramentū quid ſit.*

*Sacramenta ſanctificationis notæ.*

ſirmetur. Vt enim ipſum uerbum Dei ſanctificat, ita Sacramenta uerbo inſtituta ſanctificant: quæ præterea Auguſtinus. 80 tractatu ſuper Ioannem, et contra Fauſtum lib. 19. uocat uiſibile uerbum, id eſt picturam uerbi: quæ id doceãt quod uerbum, Prædicat autẽ uerbum beneuolentiã Dei, remiſsionem peccatorum et iuſticiam in Chriſto, ergo idem docent ac obſignant noui teſtamenti Sacramenta. Ergo corpus & ſanguis Domini fideles conuiuas ſanctificat & de peccatorũ condonatione certificat Porrò hæc omnia Chriſti uerba: Accepit Ieſus panem, gratias agens, benedixit & dedit diſcipulis ſuis dicens: Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur. Hoc facite in mei commemoratonem, ſine tropo & ſchemate ſunt accipienda. Nam ut in pane nullus eſt tropus : ita in tota oratione non eſt ullum ſchema. Verè itaq; iuxta hanc Chriſti inſtitutionem & mandatum in dominica cœna edimus atq; diſtribuimus Chriſti corpus quod pro nobis traditum eſt. Et bibimus atq; diſtribuimus ſanguinem Chriſti pro nobis effuſum. Et manẽt hæc Chriſti uerba, manet cœnæ inſtitutio & dignitas. Et propter hanc Chriſti Ieſu inſtitutionẽ, Accipite et comedite hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur, Hoc facite in mei recordationem: Et hic eſt ſanguis meus qui pro uobis effunditur in remiſsionem peccatorum. Hoc facite quoteſcunq; feceritis in mei commemorationem. Propter hæc inquam uerba et hanc uoluntatem ordinationemq; filij Dei omnipotentis ueraciſsimi, corpus, & ſanguis

Sacramentum uerbũ uiſibile.

ſanguis Ieſu Chriſti diſtribuuntur in Euchariſtia, contra dicentibus ac repugnantibus phanaticis mundo, diabolo & omnibus portis inferorum. Chriſtus eſt ueritas: hæc uerba ſunt ueritatis uera & ſimplicia. Phanatici uero, mundus, diabolus, & inferorum portæ, uanitas & mendacium. Non pugnat ullum uerbum ſcripturæ cum fide hac noſtra, nullũ eſt in ſcripturis quod cogat τροπικῶς aut σχηματικῶς cœne uerba intelligenda, ut non in naturali, genuina, et ut rudius dicam, germanica ſignificatione accipiantur. Quicquid contra adduxerunt Phanatici, Zwinglianum eſt, id eſt detortum coactumue. Velud illud contra adferunt, Si dixerint: Ecce hic aut illic Chriſtus, nolite credere. Vbi nunc hoc agit Chriſtus ut aliquid contra ſuum uerbum et inſtitutionem diceret, alias ne in cœlis quidem quærendus eſſet Chriſtus, quorſum poſt reſurrectionem aſſumptus eſt, et ubi illum Stephanus protomartyr ſtantem uidit? Acto. 7. Cui quæſo in cœlis illum oſtenditis Suermeri? cũ ubiq; ſit, nulli alligatus loco iuxta illud Pſalm. 139. Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero ad infernum ades. Et Hieremiæ 23. Ego cœlum & terram impleo. Et Matt. 28. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: tamen uos ipſi adducitis. Cum dixerint: Ecce hic Chriſtus, aut illic, nolite credere. Nonne in cœlis monſtrare eſt hic aut illic dicere? Niſi quia dei uerbum hoc dicere uos cogit. Ita nos in menſa dominica pronunciamus corporis et ſanguinis domini præſentiam, ipſa nanq; Chriſti filij dei uerba hoc

Corpus & ſanguis Chriſti in Euchariſtia diſtribuuntur.

Ecce hic aut illic Chriſtus.

Chriſtus in cœlo.

credere

*credere ac fateri cogunt.* Non *poſſumus quicq̃ contra ueritatem, captiuam damus rationẽ noſtrã ad obedientiã filij* Dei. Nihil *igitur contra ſuam doctrinã inſtitutonẽq; eo loci loquitur, ſed eſt alia* Chriſti *ſententia, quàm ut cõtra ſacramentum intelligatur.* Sciebat *fore,* ꝗ *poſt ſuam ad patrẽ abitionem, pſeudoprophetæ et pſeudochriſti in* Iudæa *ſurgerẽt, et ſe* Chriſtos *eſſe affirmarent.* Ieſum Nazarenum *fuiſſe magum, aut prophetam, aut ſeductorẽ: nõ uerum illum* Meßiam *populo promiſſum nugarẽtur, at ſe eſſe ueros populi redemptores, à* Moſe *& prophetis promiſſos aſſeuerarent.* Quemadmodum Theudas *impoſtor ſe pro* Meßia *iactitauit, multosq; ſecum perdidit.* Et *poſt illum* Iudas Galilæus *uanus ſeductor pro* Chriſto *ſe uenditauit, & ipſe plurimos ſecum in exitium rapuit* Actor. 5. Ita Simon *magus* Dei *uirtutem ſe ipſum appellauit.* Act. 8. Sic Herodes *ſe iactauit eſſe* Chriſtum. Sic Aegyptius *pſeudopropheta pro* Meßia *populo mendaciter inſinuans, quoq; ſeduxit ac pdidit multos,* Acto. 21. Similiter Chuſiba *affirmauit ſe eſſe* Meßiam *filium* Dauid: *ut* Seder Olam *meminit.* Eiuſmodi *pſeudochriſti plures extiterunt, ante regni* Iudaici *excidium (à quibus hic præmonet* Chriſtus *) qui in deſerto, montanis uallibus aut penetralibus quibuſdam latitabant, & popolum ad ſe plauſibilibus uerbis & promißis alliciebant, falſoq; Chriſti & redemptoris nomine ſibi ipſis alijsq; imponebant, donec in ipſa ſeditione, quam contra legittimum magiſtratum excitauerant, perijſſent: uelut copio-*

Pſeudochriſti qui fuerint.

ſe Ioſephus, & poſt illum Euſebius recitant. Aduerſus eiuſmodi pſeudochriſtos loquitur Dominus, præmonẽs ſuos, ne audiant recipiantq́;, ne ſeducantur ac pereant. Videte, inquit, ne quis uos ſeducat, multi enim uenient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, multosq́; ſeducent. Sicut omnes pſeudochriſti ſe Meßias iactarunt, & regnum libertatemq́; quandã carnalem pollicebãtur. Et poſt pauca. Multi pſeudoprophetæ ſurgent & ſeducent multos. Et rurſus poſt pauca. Tunc (in afflictione illa quæ præceſſura eſt regni Iudaici deuaſtationem) ſi quis uobis dixerit: Ecce hic Chriſtus aut illic, nolite credere. Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprobetæ, dabunt ſigna magna & prodigia: ita ut in errorem inducantur ſi fieri poßit etiam electi: ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere &c. Omnia hæc dixi contra falſos Chriſtos & impoſtores, qui ut Chriſti Ieſu nomen & gloriam obſcurarent premerentq́;, ſe ipſos eleuabant & pro Meßia inſinuebant: non docentes Euangeliũ dei & regnum cœlorũ, ſed carnalem liberationem, libertatẽ & regnum pollicebantur. Vult cauere ſuos ab eiuſmodi impoſtoribus, præſagiens uenturos eiuſmodi falſos Meſſias: & exempla quæ adduxi, uerbũ Domini, per ſe alioqui planum, elucidant et interpretantur. Vnde plane impie faciunt phanatici, qui hanc Chriſti præmonitionem contra ſacramentum adducũt: et ſpurcißime Euangeliũ Domini noſtri Ieſu Chriſti ſordidant, torquent, ac ſuis ex-

crementis

*excrementis coinquinant, confundentes omnia. Pari enim ratione poteris idem uerbũ Chriſti aduerſus Chriſtianũ Baptiſmum, quo profitemur ablui peccata, & contra clauiũ poteſtatẽ ſeu abſolutionẽ, qua ſimiliter remitti delicta docemus, adducere: eſt nanq; hoc quoq; Chriſtum, qui eſt ſapientia, iuſticia ſanctificatio & redemptio, hic aut illic monſtrare. Poſtremo poterunt phanatici hoc uerbum contra ipſum Chriſtum & uniuerſum Euangelium producere. Adeo perfrictæ frontis, præcipites et temerarij ſunt blacterones, omnia rodent, deprauant, corrumpunt, et ineptis gloßis obſcurant purum Chriſti uerbum. Certus ſum, Dominum Ieſum nihil contra doctrinã noſtram imò ſuam, de præſentia & diſtributione corporis & ſanguinis ſui in huius cœnæ inſtitutione, dixiſſe: ſed aduerſus falſos ꝓphetas, qui Chriſtum, hoc eſt, Chriſti regnum, Lucæ 17. quod eſt iuſticia, pax & gaudium, in ſpiritu ſancto. Rom. 14. peccatorum remißionem, ſalutem et uitam æternam externis rebus, locis, temporibus, perſoniſq; citra uerbum Dei attribuerunt: qui ignorantes Dei iuſticiam, propriam uolunt conſtituere, profitẽtes ſe noſſe Deũ, factis negant, habentes ſpeciẽ pietatis, uim tamen eius abnegant. Quomdo ſub ipſo papatu, heu dolor Romani pontificis clientes, impij Epiſcopi, ſacrificuli, monachi, ſtationarij, bullarum, indulgentiarum, peregrinationum, mißarum, purgatorij et meritorum nundinatores, nouum Chriſtum, id eſt, regnum & iuſticiam erexerunt, fiduciam operum docentes, qui indulgentias,*

Chriſtum locis & rebus alligare.

*fraternitates, miſſas, monaſticam uitam, cœnobia, colle-gia, peregrinatiões, cultus ſanctorum, altaria, imagines, roſaria, ieiunia, uanas quaſdam ceremoniales cappas, blattas, et ſexcentas huiuſmodi nugas inſtituerunt, et ado rare, hoc eſt, in hæc confidere docuerunt.* Nonne *hoc eſt* Chriſtum *hic aut illic monſtrare? S*anguis Ieſu Chri-*ſti emundat nos ab omni peccato.* 1. Ioan. 1 *Si tu hoc tri-buas operibus tuis, uitæ monaſticæ, diuis,* Romanis *indul gentijs,* Chriſtum Ieſum *abnegaſti, & alium priuatum* Chriſtum, *hoc eſt ſaluatorem tibi conſtituiſti, quemadmo dum etiam* Paulus *aſſeuerat.* Gala. 5. Ecce *ego* Paulus *di co uobis: quòd ſi circumcidamini,* Chriſtus *nil uobis pro derit.* Conteſtor *autem omnem hominem qui circumcidi-tur, quod debitor eſt totius legis ſeruandæ.* Chriſtus *fa-ctus eſt uobis ocioſus, quicunq; p legem iuſtificamini, à gratia excidiſtis.* Cur *enim mercaris indulgentias? quia credis has eſſe iuſtificationem.* Cur *radis blattam? cur uo ues caſtitatem, et monaſticam profiteris uitam? niſi quòd hac ratione iuſtificari ſperas.* Deum *&* Chriſtum *tuum efficis quodcunq; finxeris ad iuſticiam & ſanctificato-nem, quibus te placare & mereri gratiam polliceris.* In *ſumma, qui aliunde quærunt gratiam & ſalutem quàm in* Chriſto, *hi dicunt:* Ecce *hic aut illic* Chriſtus. Quod *primum* Saducæi *ac phariſæi fecerunt, deinde falſi docto-res in primitiua* Eccleſia, *legis obſeruationem iuſticiãq; docentes.* Mox *ipſi monachi & legendarum indulgen-tiarumq; proclamatores pontificij.* Poſtremo *noſtra æ-*

tate

*tate Anabaptiſtæ,qui iuſticiam operibus tribuunt,& re gnum Chriſti locis, perſonis,meritis, præparationibus, atq; ſuis nugis arrogant.* Q*uæ noſtra conciliatio docet aduerſarios alterum locum,qui eſt.* Matth.24.*ineptiſſi me contra ſacramentum dominici corporis & ſanguinis adduxiſſe.*Atqui *ſacro ſanctũ panem cœnæ* Domini *cor pus Chriſti confitentur,ij non ſunt pſeudochriſti,loquun tur enim ſecundũ uerbũ* Domini *noſtri* Ieſu *Chriſti: aliâs et ipſe Chriſtus falſ9 erat propheta, qui prior dixit:*Hoc *eſt corpus meum.* Hic *eſt ſanguis meus.* Et *Paulus erat falſus propheta,qui idem ſentit quod nos.*1.Cor.10.et.11. Et *tota uniuerſalis* Eccleſia*(quæ uno ore conſtanter & ueraciter fatetur in menſa* Domini *edi corpus Chriſti, et bibi eius ſanguinem) falſa eſt.* Q*ui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter.*Pro.10.Et *qui iuxta eloquiũ* Do*mini ambulat,recte ambulat.*2.Pet.1.M*alumus cum* Chri*ſto,cuius* Euangelium *annunciamus,eſſe pſeudopropheta,quando tam uolupe eſt Suermeris ueritatem filij* Dei *blaſphemare,ipſiusq; miniſtros tantis proſcindere conuicijs,quàm cũ ipſis pacis* Chriſtianæ *interturbatoribus doctores uocitari* Eccleſiæ. Nos *uerbum* Chriſti *habe mus,cui dum attendimus,recte facimus.*2.Petri.1.Chri*ſtus accepit panem,& gratias agens,fregit & dedit di ſcipulis ſuis dicens:* Accipite *& comedite:* Hoc *eſt corp9 meũ,quod pro uobis frangitur.*Hoc *facite in mei memo riam.*Idem *& nos, iuxta eius inſtitutionem dicimus & facimus.*Non *alligamus locis* Chriſtum *et regnũ eius:ſed*

credimus uerbo eius, quod non fallit, nec mentitur. Non dicimus: Ecce hic panis eſt Chriſtus: ſed tantũ ſimpliciſsime proferimus eadem uerba quæ Chriſtus in cœna protulit: et credimus ac fatemur propter uerba Chriſti, panem hunc iam eſſe corpus Chriſti, nõ integrũ Chriſtum. Poculum eſſe Chriſti ſanguinem pro nobis effuſum, nõ ipſum Chriſtum. Aliud eſt enim dicere, Hic eſt Chriſtus: et hoc eſt corpus Chriſti. Nõ idem eſt Chriſtus et corpus Chriſti. Cum dico: Ecce hic eſt Chriſtus, ſignifico totum Chriſtum, id eſt, regnum Chriſti, et quicquid ad Chriſtum regnumq́; ipſius pertinet, eſſe in loco. Veluti cum dicerẽ Carolus Cæſar, qui nunc imperij maieſtatẽ tenet, agit in Hiſpanijs: Intelligo totum regnũ, imperialem adminiſtrationem, ius, gladium, et exercitum Cæſaris uerſari in Hiſpanijs, non ipſum ſolũ. Sic quãdo dico, Hic eſt Chriſtus intelligo totũ Chriſtũ cũ uniuerſis & bonis & donis, iuſticia, pace, gaudio, remiſsiõe peccatorũ, gratia et ueritate hoc loci uerſari. Aliud uero eſt, cum dico: Exercitus Cæſaris agit in Hiſpanijs: nam exercitus nõ eſt totus Cæſar ſed pars Cæſaris: Ita quando dico: Hoc corpus Chriſti ſignifico patrem Chriſti illic eſſe, non integrum Chriſtum. Corpus Chriſti non eſt regnum Chriſti aut totus Chriſtus ſed pars regni Chriſti. Itaq; uides haud pugnare iſtos locos: Hoc eſt corpus meum, et Ecce hic eſt Chriſtus etc. Chriſtus per mortem ſuam ſpirituale regnum auſpicaturus, noluit regnum ſuum locis, temporibus atque perſonis iuxta noſtrum arbitrium & cogitationes alligari

gari ac in elemẽtis huius mundi quæri. Quapropter admonuit pius magiſter noſter Chriſtus, ne audiantur eiuſmodi pſeudoprophetæ, qui ſine uerbo domini perſonis, temporibus, elementis aut locis annectunt Chriſtũ. Nullibi quærendus eſt Chriſtus, niſi ubi ipſe ſe uerbo ſuo quærendum monſtrat iubetq; Nõ aũt ait: Nolite credere ijs, qui iuxta uerbum & inſtitutionem meam, in menſa domini panem corpus Chriſti manducandum miniſtrant: qui poculum Domini ſanguinem eius pro uobis effuſum prædicant: horum nihil monuit: ipſe enim prior dixit: Hoc eſt corpus meum &c. Hic calix nouum teſtamentũ per ſanguinem meum qui pro nobis effunditur. Et nõ tantum dixit, ſed et nobis cõmendauit. Hoc facite inquiens, in mei cõmemorationem. Sed iſti boni uiri minime diſcernunt inter Chriſtum & corpus Chriſti: idem eſt ipſis ſanguis & Chriſtus pars & totum, Cæſar & exercitus: excæcati & ſpirituali iudicio carentes, fingunt ſibi diſſonãtiam, quam fingere poſſunt, Probare non poſſunt. Inquietam habent conſcientiam, nunc huc, nunc illuc fluctuantem. Perſuaſum enim habeo omnes illos prophetaſtros nunquam certos & ſecuros eſſe in conſcientijs: ſed dubitare aliquoties, an uera ſint quæ ſcribant, loquãtur et ſentiant; expertus loquor. Nam & ipſe paucis diebus conuerſatus inter eos, ab eis circumuẽtus fallacibus uerbis, imprudens fermè totus illis conſenſiſſem, niſi Dominus noſter Ieſus Chriſtus miſertus mei reuocaſſet me ab errore iſto. Vtinam & ab alijs reuocet deinceps, ſi lapſus fue

*Chriſtus ubi quærendus.*

*Suermeri inquietam habent conſcientiam.*

ro. Faxit Deus, ut et ipſi redeant ad mentem per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Amen.

## CXCVI.

## Hoc eſt corpus meum. Mat. 26, Deus non habitat in manufactis templis, Acto. 7. ac 17.

Verbum patris Chriſtus Ieſus eſt ipſa ueritas, et mentiri non poteſt: quicquid dixit, uerum, certum, et firmum eſt: nec eſt repertus dolus in ore eius. Ideoq; cum diceret in nouiſsima cœna: Accipite & comedite hoc eſt corpus meum, cum panē porrigeret. Et hic eſt ſangis meus, cum poculum miniſtraret: uere corpus ſuum in pane comedendum, & in poculo ſanguinem bibendum miniſtrauit. Et cum adderet: Hoc facite in mei cōmemorationem: huius cœnæ cōmemorationem uſumq; inſtituit, uolens ut et nos in celebratione huius cœnæ et conuiuij corpus eius in pane illo: & ſanguinem ſuum in hoc calice perciperemus. Hoc facite dixit, hoc ſcilicet quod ego feci, panem ſumens et corpus ſuum eſſe pronuncians, quod pro uobis datur. Accepto calice ſanguinem ſuum qui pro uobis effunditur affirmans, et ad bibendum porrigens: hoc inquam facite in mei memoriam. Habes nudam ac ueram Euchariſtiæ inſtitutionem: audis ueritatem loquētem: Hoc eſt corpus meum: Scis Chriſtū ut ueracem, ita omnipotentem eſſe. Quid ergo dubitas de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in cœna? num mentitur? num fallit? num obſcure

*Chriſtꝰ omnipotens et uerax.*

et

et ſibi impoßibilia loquitur? Si credis Chriſtum omnipotentem Deũ, cur in hoc uerbo dubitas? Si ueracem alias credis, cur non et hic ueracem? Quomodo hic tuam incredulitatem & dubitationem excuſabis? Crede uerbo Chriſti, et ne dubita corpus Chriſti uerum illud de uirgine natum, & quod pro nobis in cruce pependit uerũ ſuũ ſanguinem quẽ pro peccatis noſtris in ligno effudit, propter eius uerbũ et inſtitutionem in cœna illa myſtica edi et bibi. Ipſe non deeſt ſuæ inſtitutioni. Quòd uero nugiuendi ac infideles Suermeri contra adferunt diui Stephani & Pauli uerba: Deus nõ habitat in manufactis templis etc. non eſt contra noſtrum ſacramentum, fidem ac doctrinam, ſi modo attente, ipſa Stephani & Pauli uerba obſeruauerimus, qui dixerunt: Deus non habitat in manufactis templis, Deus inquam, id eſt, diuina maieſtas & omnipotentia non habitat in manufactis templis. Quis autem unquam dixit, corpus & ſanguinem Chriſti eſſe Deum? & panem ac uinum eſſe templum? aut corpus et ſanguinem Chriſti habitare in pane & uino ſiue in cœna? Non uoluerunt ſancti uiri aliquid contra hanc Chriſti inſtitutionem et Eccleſiæ fidẽ pronunciare: alioqui nõ dixiſſet Paulus: Poculum benedictionis cui benedicimus nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus, nõne participatio corporis Chriſti eſt? at cõtra fiduciam ſplendidorum templorũ altariũq;. Sed uidemus qua occaſione & ſententia Stephanus et Paulus dixerint: Deũ non habitare in manufactis templis. Stepanus

Deꝰ nõ habitat in templis manufactis.

*nus Iudæorum impietatẽ increpabat, qui uerbo Dei con tempto, fidebant magnifico ædificio templi, ſicut quõdã patres eorum ſine fide in arcam magis q̃ in Dei uerbum reſpiciebant. 1. Sam. 5 & 6. Et deinceps templũ domini, templum Domini iactabant. Hier. 7. Ac Deũ iuxta ſuas cogitationes, conſilia, & adinuentiones, citra fidem charitatemq; propter cultũ et opinionem ipſorum hic habitare æſtimabant. Dauid, inquit Stephanus, gratiã inuenit coram Deo, & petijt ut inueniret tabernaculum deo Iacob, Salomon autẽ ædificauit illi domum: ſed non is eſt excelſißimus, q in manufactis templis habitet &c. Act. 7. Et tamẽ habitauerat Deus in templo manufacto propter ſuum uerbum, arcam & propiciatoriũ ad tempus. Exo. 25. & 29. Habitabo in medio filiorũ Iſraël, eroq; eis Deus. 2. Reg. 6. et 8. Impleuit gloria Domini domum Dei. Pſal. 10. Dominus in templo ſancto ſuo, Deu. 16 In loco quem elegit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen eius ibi. Pſa. 22. Tu aũt in ſancto habitas. Pſal. 125. & 135. Qui habitat in Hieruſalem. Habitauit itaq; Deus uere in templo quod erat in Hieruſalem, & uoluit quoq; in eo coli, inuocari, placari ſacrificijs & orationibus: id quod notũ eſt ex ſcripturis: Sicut in Eccleſia ſanctorum, in electis ſuis habitat qui ſunt domus et templũ Dei. 1. Co. 3. Iuxta ſuum uerbum habitauit in templo, non iuxta humanas cogitationes & æſtimationẽ: & rurſum nõ habitat in tẽplo manufacto, hoc eſt, iuxta conſiliũ & opinionem hominum, qui ſuo captu, ratione & bona intentione extruebant*

*ebant exceſſa, ædes & locos: & fingebant præſentiam Dei, putabãt iſta oportere Deo grata eſſe, & propterea ſuis cogitationibus adeſſe. Verum non debes in ullo loco Deum quærere, & habitaculum eius monſtrare, niſi ubi ipſe ſeſe monſtrauit, & habitare profeſſus fuerit. Recte igitur quærebant filij Iſraël Dominũ in templo quod erat in Hieruſalem: Nam ibi ſuam præſentiam uerbo & ſignis reuelauit. Non ſinit ſe includi, capi & circumſcribi ad noſtrum arbitrium, uoluntatem, cogitationes ac cõſilia, ut nobis placuerit uſumq́; fuerit. Eſt enim manufactum templum, quod iuxta hominum cogitationes intentionesq́; citra Dei uerbum ad cultum diuinum extruitur. Non quod Deus ſuo uerbo ædificat, ut fuit templum Zionis, non debet manufactum templum dici, ſed à Deo electum atq; ſanctificatum: Quamuis enim illud templũ hominum manibus extructum fuiſſet, tamen non fuit humano conſilio, arbitrio & cogitationibus, ſed iuxta uerbum & imperium Dei ædificatum: diuinæ maieſtati placuit habitare in eo templo ad tempus: elegerat & ſanctificauerat ſibi hunc locum, ut nomen ſuum habitaret in eo ſuam potentiam, maieſtatem, ſapientiamq́; reuelaret. Ideoq́; templum Domini appellabatur. De pane & poculo Domini nihil tale dicimus, quod diuina maieſtas & omnipotentia pani ac uino incluſa ſit, in eis diuturnum habeat habitaculum, & uelit coli aut adorari, ſicut in templo Hieroſolymitano uoluit. Non enim in hoc conſecrantur & ſanctificantur Chriſti inſtitutione ac ordinatione*

Deus à nobis nõ ſinit ſe includi.

*Manu factum templum.*

*tione ac ordinatione panis & uinum, ut ſint templum & habitaculum diuinæ maieſtatis, aut corporis & ſanguinis Chriſti: ſed ut per illa Chriſtus exhibeat corpus & ſanguinem ſuum ad manducandum & bibendum: Imò ut hic panis ſit corpus ſuum: & poculum ſanguis eius, iuxta uerbum & inſtitutionem ſuam:* Hoc eſt corpus *meum.* Hic *eſt calix noui teſtamenti &c.* Nemo *igitur noſtrum dicit: panis eſt templum* Dei, *uel domus corporis Chriſti: & calix eſt templum* Dei, *aut templũ ſanguinis Chriſti.* Locus Stephani et Pauli *eſt cõtra templa ab hominibus extructa, & uanam templorum pompam fiduciamq;: nõ contra inſtitutionem Chriſti.* Et *ſi permittemus contentioſis ibi in pane habitare Chriſti corpus, et ſanguinem in poculo, ſicut* Papiſtæ, *qui propterea includunt atq; reſeruant: tamen hunc locum & habitationem ipſi non effinximus, ac dominico corpori atq; ſanguini parauimus, ſed ſuum uerbum, ſic ipſe elegit, uoluit & inſtituit.* Nos *uerbo eius pie credimus, & ſecundum illud confitemur.* Vos *Iudæi, inquit* Stephanus, *reieciſtis uerbum* Dei, *occidiſtis prophetas et prophetarum* Dominũ *toti infideles, impij, & reprobi: audetis tamen iactare templum, fidere ſplendori & magnificentiæ templi, abiecto* Deo: *quaſi* Deus *pro ueſtra uoluntate et cogitationibꝰ affectus ſit, et cogatur habitare, ubi ipſi uolueritis.* Erratis *& fallimini.* Nã *licet habitarit aliquando in hoc templo* Deus, *tamẽ iam nõ moratur templum, non ſedet in templo pro ueſtra opinione.* Iam *enim reieciſtis uerbum*

*Panis non eſt templũ corporis Chriſti.*

bum, & uobis reprobis ac peruerſis factus eſt peruerſus. Si uerbo Dei crederetis, uoluntatem eius faceretis, et Chriſtum ſuum fide reciperetis, utiq; Deus non ſolum in templo, ſed ubiq; locorū, et ipſis in cordibus ueſtris habitaret præſensq; eſſet. Cum conditione locutus eſt olim Deus, et ſuam inter uos promiſit præſentiā & habitationem, nempe ſi in uijs eius ambulaueritis, legem obſeruaritis, ipſius uoluntati dediti: at ſi ab eo receſſeritis, ab facie ſua reijciendos minatus eſt Leui. 26. Nunc cum impij contemptores uerbi, et Chriſti perſecutores facti fueritis, nihil iuuabit templi ſplendor, non habitat amplius inter uos Deus. Hæc eſt ſumma diſputationis Stephani. Porrò pauli oratio, planè id habet qđ Stephani: nā & ipſe ſup ſtitionem gentium reprehendit. Erat namq; ciuitas Athenarum ſimulachrorum cultui dedita: nō erat uera pietas, religio et cultus ad uerbū Dei inſtitutus in ciuitate Athenienſi, ſed ſuperſtitio, idolatria & præpoſterus cultus ab hominibus inuentus: ſuis cogitationibus & opinionibus colebat Deum, ac fingebant cultus: quaſi Deus ipſe iuxta eorum opinionem in ſimulacris habitaret ac coleretur. Hunc errorem ſuperſtitionemq; arguit Apoſtolus dicens: Viri Athenienſes per oīa ferè ſuperſtitioſiores uos uideo, præteriens enim & contemplans culturas ueſtras inueni & arā, in qua inſcriptū erat, Ignoto Deo, quē ergo ignorātes colitis, hūc ego annuncio uobis. Deus qui fecit mundum, et omnia quæ in eo ſunt: hic cœli et terræ cum ſit dominus nō in manufactis templis habitat,

Qua cōditiōe habitauerit Deus in templo.

nec

*nec manibus humanis colitur, indigens aliquo: Cum ipſe det omnibus uitam & halitum per omnia: fecitq; ex uno ſanguine omne genus hominum, ut inhabitaret ſuper uniuerſam faciem terræ: præfinitq; præſtituta tempora, præfixitq; terminos habitationis eorũ, ut quærerent Deũ: ſi forte palpent eũ et inueniant: quamuis non longe abſit ab uno quoq; noſtrûm. Per ipſum enim uiuimus, & moue-mur & ſumus. Sicut et quidam ueſtratium poëtarũ dixerunt: Nam huius progenies etiam ſumus. Genus ergo cũ ſimus Dei, non debemus exiſtimare, auro, aut argento, aut lapidi arte ſculpto & inuento hominis numen eſſe ſimile. Acto. 17.* Vides Chriſtiane lector, Paulum aduerſus ſimulachrorum cultũ, & non contra dominicæ cœnæ ordinationem dixiſſe, Deus non habitat in manufactis templis, aliâs etiam cõtra ſuã ipſius doctrinã 1. Co. 10. et. 11. prædicaſſet. Præterea habitare eſt in loco cõcluſum eſſe fixam & diuturnam habere manſionem habitationemq; Sic ſupſticioſi Iudæi fingebant deũ in ſuo templo habitare, cum ad tempus tantum uoluerit habitare in ea domo, Vſq; ad tempus correctionis Lex impoſita fuerat. Hebr. 9. Et lex uſq; ad Chriſtum. Rom. 10. Nunc correctionis tempore impleto, & reuelato Chriſto, finis eſt legis, templi legalis, et non adoratur amplius Deus Hieroſolymis Ioã. 4. Similiter gẽtes fingebãt Deũ in ſuis idolis et aris habitare, hoc eſt ꝑpetuo permanere. Aliud aũt eſt in loco præſentẽ eſſe, et aliud in loco habitare. Nos aliquãdo in tẽplo ſumus, ſed nõ habitamus in templo. In aquis ſumus

Habitare. (margin)

*mus, ſed nō habitamus in aquis. Sic Chriſti corpus in pa ne ſynaxeos præſens eſt, ſed non habitat, & non habet in eo fixam manſionem. Pane iuxta inſtitutionem Chriſti exhibetur corpus ad manducandum. Calice uero ſanguis miniſtratur bibendus, & nulla eſt hic habitatio aut tem plum corporis et ſanguinis. Ideoq; hic locus minime pu gnat cum inſtitutione menſæ domini, nec tollit præſentiā corporis & ſanguinis à pane & uino Euchariſtiæ.*

## CXCVII.

## Hoc eſt corpus meum, Mat. 26, Caro non prodeſt quicquam. Ioa. 6.

*Qui aduerſantur nobis in re ſacramentaria, fidei & confeßioni noſtræ qua pie & recte credimus atq; fatemur propter hæc Chriſti uerba: Accipite & comedite: Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus. Et ob hanc inſtitutionem, Hoc facite in mei cōmemorationem, in cœna dominica ſeu in ſacramento altaris, ut uulgus conſueuit appellare, uerum Chriſti corpus manducari: & uerū eius ſanguinem, quem pro expiandis reatibus noſtris effudit, bibi: opponunt etiam hoc quod Chriſtus alio loco & tempore dixit: Caro non prodeſt quicquam. Quaſi hoc uelit Dominus: Corpus ſuum non adeſſe in cœna et ſanguinem ab hoc poculo Domini abeſſe, quia caro nihil prodeſt. Ita nos è contra ratiocinabimur. Ieſus Chriſtus non eſt caro factus: quia caro non prodeſt quicquā. Non eſt in cœlis, non ſedet ad dexteram patris, quia caro nō prodeſt*

*Caro nihil prodeſt.*

prodeſt quicquam. Quis ſanus unquam ſic argumentatus eſt, et eiuſmodi dedit ſylligiſmos ac συμπερασμοῦς, Hæc merx non prodeſt, ergo non eſt præſens. Vinum in dolio acidum eſt, aut inutile, ergo uinum non eſt in dolio. Hic homo eſt inutilis, ideo non eſt homo. Etiam ſi permitteremus contra uerborum Chriſti ſententiam, his uerbis: Caro non prodeſt quicquam, de ſua carne locutum Chriſtum, Num ideo Chriſti corpus non erit in pane Domini, & ſanguis in poculo eius, quia caro non prodeſt quicquam? Num rei inutilitas rem omnino aufert? Certo ut uini inutilitas, non aufert uini præſentiam è dolio: ita carnis inutilitas, non tollit carnis ſubſtantiam præſentiamq;. Eſt igitur corpus Chriſti in pane, quia Chriſtus dixit. Hoc eſt corpus meum: proſit uel obſit: & uinum eſt in doleo dulce uel amarum, ſanum aut noxium ſit: merx adeſt, bona uel improba ſit. Nullius rei inutilitas tollit rem ipſam. Deinde, quod addunt Phrenetici: caro nõ prodeſt ad manducandum uidelicet: nihil probant, nam Chriſtus hæc uerba: Caro non prodeſt, non in cœna & de ſacramento corporis & ſanguinis ſui protulit: ſed alia ratione, loco & tempore, dudum ante huius cœnæ inſtitutionem. Nec dixit caro mea nihil prodeſt, ſed in genere Caro non prodeſt quicquam. Prius namq; multis uerbis ſubinde repetitis ad carnis ſuæ eſum inuitauerat, inquiens: Amen dico uobis, niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam iñ uobis. Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem,

habet

habet uitam æternam, & ego ſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Caro enim mea uere eſt cibus, et ſanguis meus, uere eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo. Vbi ſummatim concluſit carnem ſuam ad ſalutem noſtram ſumme neceſſariam, ut ſine ea ſaluari non poſsimus. Quomodo igitur priorum oblitus, & uelut à ſomno excitatus potuiſſet mox ſubijcere: Caro mea nõ prodeſt quicquam? Paucis igitur uideamus qua occaſione & ſententia ſic dixerit, Caro non prodeſt, & quis ſit germanus ſenſus huius uerbi. Multa dixerat Chriſtus de manducatione ſuæ carnis, & potu ſanguinis, quæ omnia diſcipuli carnaliter acceperunt, exiſtimantes Dominũ loqui de externa quadã manducatione, quia eius uiua caro dentibus ipſorum eſſet dilanianda, et crudus ſanguis ori nauſeabũdo ingerendus, ſicut feræ agreſtes uiuam beſtiarum carnem laniant deuorantq;. Ideo dixerunt, durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? Quaſi dicerent: horreſcimus, ac nauſeamus audientes hunc ſermonem, de comedenda carne uiui hominis: quanto plus horrebimus ſi admotis dentibus in carnem incidendũ, & reſecanda portio è carne tua erit, non poſſumus audire talia dicentem, multo minus carnẽ tuam mandere: uſq; adeo homo natura ab humanæ carnis eſu abhorret: non ſumus Anthropophagi hominum uoratores. Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum, quòd murmurarent de hoc diſcipuli ipſius, dixit eis: Hoc uos

Caro Chriſti ſummopere ſaluificat.

offendit? Quid igitur ſi uideritis filium hominis aſcen-dentẽ eò ubi erat prius? Spiritꝰ eſt qui uiuificat, caro nõ prodeſt quicquam. Craſſam illorum intelligẽtiam obiurgans, explicat ſe de ſpirituali manducatione diſſeruiſſe: id eſt, de fide qua credere deberent ſe à cœlis deſcendiſſe Verbum carnem factum, panem cœleſtem in quo ſalus totius mundi conſiſteret, & qui hanc carnem ederet, id eſt crederet filium Dei carnem factum, & hunc ſanguinem biberet, hoc eſt crederet Dei filium effudiſſe ſuum ſanguinem pro ſuis peccatis, haberet uitam æternã. Non paſſus eſt aũt quenquã ſe dentibus corrodere, igitur nõ de oris ſed cordis eſu, id eſt, fide diſſertat Chriſtus. Spiritus eſt qui uiuificat, caro nõ prodeſt quicquam. Verba quæ ego loquor uobis, ſpiritus & uita ſunt. Sed ſunt quidam ex uobis qui non credunt: non manducant meam carnem, nec bibunt ſanguinem meum ſpiritualiter, ideo non uiuent: non ſunt ex Deo. Omnis enim ſpiritus q̃ confitetur Ieſum Chriſtum in carne ueniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne ueniſſe: ex Deo non eſt. 1. Ioan. 4. ſunt caro infidelis, ſpiritu uacua. Itaq; in his uerbis: Caro non prodeſt quicquã non de ſua carne loquitur, quæ ſancta, è ſpiritu ſancto cõcepta, ſpiritu plena eſt: ſed de carne quæ ſpiritu caret. Id quod ipſa ἀντίθεσις pulchre probat: qua per contentionem, ſpiritum opponit carni. Sicut Paulus Gala. 3. fecit. Spiritus, inquit Chriſtus, eſt qui uiuificat, Caro non prodeſt

Spiritualis mãducatio eſt fides in Chriſtum.

Caro Chriſti è ſpiritu ſancto concepta.

Spiritus uiuificans, eſt Dei ſpiritꝰ.

deſt quicquam. Spiritus uiuificans eſt diuini Chriſti ſpiritus, qui omnia uiuificat. 1. Cor. 15. Externus Adam factus eſt in ſpiritum uiuificantem. Acto. 17. In ipſo uiuimus, mouemur & ſumus. Caro nihil prodens eſt noſtra ..., non è cœlo aut ſpiritu nata. Non enim hic addit ſicut prius: Caro mea nihil prodeſt, Quotiens enim prius de ſua carne mentionem fecerat, ſemper demonſtratiuum pronomen Mea adiecit, quod in hac oratione omiſit: ut ſciamus hic non ſuã carnem ſignificari, ſed eiuſmodi carnem, quæ nihil proſit, ſicut de eiuſmodi ſpiritu qui uiuificat. Quis enim alius ſpũs uiuificat, niſi Dei? Et quæ alia caro omnino nihil pdeſt, niſi aĩalis? Nec Græcus articulus ὁ demonſtratiui uim habere poteſt, ut ſenex ille delirauit. Spiritũ pro Dei ſuperno atq; cœleſti ſpiritu accipiendum, non ex articulo, ſed ex conſequenti uerbo, uiuificat arguimus, nullus enim ſpiritus uiuificat, niſi Dei. Et quòd caro de carne & natura hominis ex terreſtri carne nata, nõ de Chriſti carne ſit intelligẽda, facit ipſa coherẽtia: Omnino nihil prodeſt: hæc enim per ſe inutilis et inſipiens eſt. Chriſti autem caro plurimum præſtat, iuuat & utilis eſt. Nam in ea uita & ſalus mundi ſita eſt. Caro animalis nihil prodeſt, nihil ſapit aut intelligit, omnia ſiniſtre & craßißime accipit 1. Corint. 2. Animalis homo non accipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Matt. 16. Caro & ſanguis non reuelauit tibi. Ioan. 8. Vos ſecundum carnẽ iudicatis, uana, caduca & inutilis eſt, at Chriſti caro non eſt uana, caduca et inutilis: ſed immaculata, ſancta,

Caro nihil prodens eſt noſtra caro

Caro homi nis inſipiẽs

*immortalis, ut pote quæ in ſpe quieuit, & non uidit cor-ruptionem. Pſal. 16. Acto. 2. Per carnem ſuam Chriſtus ſimultatem tulit. Eph. 2. & patri reconciliauit. Non igi-tur corporis et ſanguinis Domini præſentiam è cœna au-fert hoc uerbum Chriſti: Caro non prodeſt quicquam, ſi-ue de carne Chriſti ſiue cuiuſcunq; hominis intelligas. Permanet Euchariſtiæ inſtitutio & ueritas, non eſt ſibi contrarius Chriſtus, non mox tollit quod iam inſtituerat: nõ mutat quod mandauerat: Credat aut comprehendat ratio aut rideat: Verbum Domini uerum, firmum et in-fallibile manet, quicquid contra moliãtur inferorum por-tæ. Præterea ſi ſuam carnẽ Chriſtus in his uerbis: Caro non prodeſt quicquam intellexiſſet, etiam de ſanguine dixiſſet: Sanguis non prodeſt quicquã. Sicut in tota præ-cedenti oratione carnem & ſanguinem ſemper coniũxit: Ideoq; planũ eſt Chriſtum non de ſua carne dixiſſe: Caro non prodeſt quicquam, ſed de carne quæ non habet ſpiri-tum uiuificantem. Poſtremo quod Chriſtus poſt eam con-tionem, quam Capernai de manducatione carnis & potu ſanguinis ſui habuit, hanc cœnam inſtituerit, declarat utiq; carnem ſuam prodeſſe: alioqui poſtmodum nõ man-daſſet in pane comedendum corpus ſuum, & in poculo bibendum ſanguinem ſuum.*

CXCVIII.

Hoc eſt corpus meum. Ma. 26.
Pauperes ſemper habebitis, me aut.

non ſemper habebitis. Ibidem

*Et hunc poſteriorem locum: Pauperes ſemper habebitis &c. arripuerunt Swermeri contra præſentiam corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia, dicentes: Me non habebitis inquit Ieſus: ergo nõ poteſt corpus et ſanguis eius præſens eſſe in cœna. Nos uero è contra aſſeuerămus hoc uerbum nihil derogare præſentiæ corporis & ſanguinis Domini modo rectè accipiamus, Chriſti uerba: quorũ ſenſus aptiſſime ex Lu. 24. colligitur. Vbi Chriſti poſt reſurrectionem ad ſuos diſcipulos loquens ait: Hæc ſunt uerba quæ locutus ſum ad uos, cum adhuc eſſem uobiſcum: quòd neceſſe foret impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſi & prophetis et Pſalmis de me. Erat hæc loquens in mundo præſens ſuis diſcipulis, et tamen inquit, Hæc locutus ſum ad uos cum adhuc eſſem uobiſcum: quaſi iam non ſit cum eis, quibus tamẽ coram loquebatur, Sed hiſce uerbis indicat ſe duplici ratione & modo eſſe in mundo. Primo fuit in mundo pauper, humiliatus & patiens, cum diſſimulaſſet diuinitatem, id eſt, ut Paulus inquit: Cum eſſet in forma Dei, non rapinam arbitratus eſt, ut eſſet æqualis Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit forma ſerui ſumpta in ſimilitudine hominum conſtitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit ſemet ipſum, factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis Phi. 2. Cum humanam fragilitatem in ſe tranſtuliſſet, & totius mundi calamitatem ac miſeriam aſſumpſiſſet: nõ tantum homo factus, ſed etiam nouiſſimus uirorum*

*Chriſtus duplici modo eſt in mundo.*

*rorum, uir dolorum, & expertus infirmitatem. Ieſa. 53. abiectio plebis. Pſal. 22. egens, legi ac morti obnoxius, patiens, talis fuit ante reſurrectionem ſuam.* De hac ſua *præſentia loquitur, cum in* Bethania *eſſet in domo* Simo*nis leproſi, & diſcipuli ob unguēti diſpēdium indignati murmurarent ac dicerent: Vt quid perditio hæc? Poterat enim iſtud unguentum uenundari magno, & dari pauperibꝯ. Eo autem cognito, ait illis* Ieſus: *Quid moleſti eſtis mulieri? opus enim bonum operata eſt erga me. Nam ſemper pauperes habebitis uobiſcum, me uero non ſemper habebitis. Pauperes, contemptos, egentes ſemper habebitis, et nunquam deerit uobis occaſio beneficiendi illis, me autem pauperem, nouiſſimum uirorum, exinanitum in forma ſerui, mundi fortunæ & periculis expoſitum, patientem non ſemper habebitis.* Secundo Chriſtus *in mundo eſt à reſurrectione, alio tamen modo, forma et ratione, immortalitate et incorruptione aſſumpta, glorioſus & exaltatus, diuinitatis maieſtate iam palàm erecta, declaratus filius* Dei *cum potentia ſecundum ſpiritū ſanctificationis.* Rom. 1. *immortalis regnans* Deus, *iuxta illud* Pſal. 8. *Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſup opera manuū tuarū:* Omnia *ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues uniuerſas, inſuper et pecora campi. Volucres cœli & piſces maris, & qui perambulant ſemitas maris.* Heb. 2. 1. Phil. 2. *Quapropter et* Deus *illum in ſummam extulit ſublimitatem, ac donauit illi nomen, qđ eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne*

*Chriſtus glorificatus et regnans in mundo.*

ne genu ſe flectat, cœleſtium ac terreſtrium, et infernorũ, omnisq; lingua cõfiteatur, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus ad gloriam Dei patris, et Ephe. 1. Suſcitauit eum ex mortuis, & ſedere fecit ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum ac poteſtatem & uirtutem et dominium, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in ſæculo hoc, uerum etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſub pedes illius, et dedit eum caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus illius, complementum eius, qui oĩa in omnibus ad implet. De illa altera præſentia ipſe loquitur. Matt. 28. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo et in terra &c. Et ecce uobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſæculi. Hinc facillime intelligitur, non propterea abeſſe corpus & ſanguinem Chriſti à ſynaxi dominica, quòd Chriſtus non ſit in mundo humiliatus et patiens, qualis tũ erat cum hæc loqueretur: Me non ſemper habebitis, imò magis noſtra fides confirmatur glorificatione Ieſu Chriſti: Nam ſi uiſibilis, mortalis, patiens, cum iam paulo minus diminutus infra angelos eſſet, necdum glorificatus potuit in ſua illa nouiſſima cœna diſcipulis in pane et poculo corpus ac ſanguinem ſuum diſtribuere, ut uere diſtribuit, Cur glorificatus & potentia ſua reuelata non idem ſuum corpus et ſanguinem ſuum, ſecundum inſtitutionem et uerbum ſuum, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus &c. miniſtraret? Ergo ne ..inor & impotentior eſt poſt reſurrectionem et glorificationem, cum omnipotẽtiam ſuam mundo palàm declarasset

raſſet, quàm patiens, diminutus paulo infra angelos? Ad hæc non carent emphaſi Chriſti uerba: Me autē non ſemper habebitis: me inquam pauperē, abiectionem plebis, patientem, humiliatum non ſemper habebitis. Non dicit corpus & ſanguinem meum non habebitis, ſed me talem qualis nunc inter uos uerſor. Poſt reſurrectionem dixit: Ecce ego uobiſcum ſum: ego inquam exaltatus & regnans, cui omnis poteſtas in cœlo & in terra data eſt, uobiſcū ſum uſq; ad conſummatonē ſeculi. Sic. Eph. 4. Aſcendit ſup omnes cœlos, ut adimpleret oīa. Non ſublata eſt igitur Chriſti inſtitutio. Nam uoluit Dñs hanc ſuam cœnam uſq; ad poſtremū eius aduentum in Eccleſia celebrari. Sicut Apoſtolus ſcribit. 1. Cor. 11. Quotieſcunq; comederitis panem hunc, et de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec uenerit. Qui huic fidei et doctrinæ contradicit, infidelis & blaſphemus eſt.

Chriſtus regnās ubiq;

CXCIX.

## Hoc eſt corpus meum. Mat. 26.
## Exiui à patre & ueni in mundum, & iterum relinquo mundum & uado ad patrem. Ioannis. 16.

Qui inquam ſuſceperunt cauſam defendendam, undecunq; corradunt ſcripturæ teſtimonia, pro ſui erroris patrocinio, ut eū aliqua ueritatis ſpecie uelent, ne dolus deprehendatur: omnia ad ſuum ſenſum torquent. Et ſi tergiuerſatores iſti ab aduerſarijs uici ſsint argumentis

tis petantur, et uelut uinculis teneantur, ſuffugium quærunt, et elabendi rimam. Quod noſtra æſtas experta eſt, quæ ſacramentarios protulit, qui phrenetico furore exciti, negarunt præſentiam atq; diſtributionem dominici corporis et ſanguinis in cœna Domini, quam ſacramentum altaris hactenus appellarunt: qui ut ſuæ fraudi fucum facerent contra Chriſti inſtitutionem & uerba: Hoc eſt corpus meum &c. nihil non contra effinxerunt, Scripturæ patrum, & Eccleſiæ contradictionem: quaſi huic ſimplici uerborum ſenſui & fidei, reclamet uniuerſa ſcriptura et Eccleſia: magno ſupercilio reluctantes ac opponentes etiam illud Chriſti uerbum: Exiui à patre & ueni in mundum: iterum relinquo mundum & uado ad patrem. Quomodo poteſt præſens eſſe, qui dicit ſe reliquiſſe mundum & ad patrem abijſſe? Quomodo poßit diſputent curioſi & incruduli. Nolumus hic de potentia contendere, ſed de ueritate. Nam ut Chriſtus eſt omnipotens, ita quoq; uerax, fidelis Dominus in omnib9 uerbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Certe in ipſa inſtitutione dixit: Accipite & comedite: hoc eſt corpus meũ &c. hoc uerum eſſe quis dubitat? Si igitur uerũ eſt quod dixit, quid ambigimus & dubitamus de corporis & ſanguinis præſentia? Verbo Domini fides debetur: Et qui dixit: Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meũ & cætera: uoluit hiſce uerbis credi. Non eſt nobis præceptum ut curioſi ſimus, quomodo poßit adeſſe corpus Chriſti in cœna Dñi & ſimul in cœlis? ſed de fide uerbi Curioſitas prohibita.

mandatum Domini habemus. Deut. 18. Matth. 17: Hunc audite permittamus illi, qui dixit: Hoc eſt corpus meum &c. hanc curam de ſui corporis & ſanguinis exhibitione. Si poteſt Chriſtus ex lapidibus ipſi Abrahæ excitare filios, poterit & iuxta ſuam inſtitutionem & uerbum, corpus & ſanguinem ſuum in hac menſa nobis communicare. Deo omnia poßibilia ſunt, & nihil fictum unquã protulit. Credamus tantum uerbis eius de potentia minus curioſi. Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Prouer. 25. Ita admonet Ieſus Syrach, Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, et in pluribꝰ operibus eius ne fueris curioſus. Non eſt enim tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt, uidere oculis. In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter: & in pluribus operibus eius, non eris curioſus. Multos enim ſupplantauit ſuſpicio eorum, & in uanitate detinuit ſenſus illorũ. Eccleſiaſt. 3. Et ut iam ſatis efficacibus argumentis comprobauimus nullum uerbum in ſcripturis extare contra hanc dominici corporis et ſanguinis in cœna Doinini præſentiam & diſtributionem: ita nunc, ſi hoc Domini dictum recte expenderis, ne hic unum iota aut apicẽ contra hanc noſtram fidem producere poterunt. Exiuit à patre Chriſtus, & in mundum uenit: iterumq; mundum reliquit, et ad patrem conceßit: Sed ideo non abſtulit cœnæ ordinationem. Exire mundum, non eſt ita accipiendum, ut craßißime quidam exponunt, quaſi Chriſtus omnino reliquiſſet

*liquiſſet mundum non uiſibiliter tantum, ſed & inuiſibiliter: quaſi ſe totum ſubduxerit.* Exire à patre, *eſt patris gloriam diſsimulari, nō arbitrari rapinam eſſe* Deo *ſimilem ſed ſemetipſum inaniri, uelut* Paulus *loquitur.* *In mundum uenire eſt non tantum hominem fieri, ſed mundi calamitatem & miſeriam in ſe recipere, ſerui formam induere, in ſimilitudine hominum conſtitui, et figura ut homo reperiri.* Iterum *relinquere mundum, eſt hāc mundi ærumnam & fragilitatem humanam exuere.* Ire *ad patrem, eſt redire in gloriam patris, ſe glorioſum, cœleſtem, diuinum, omnipotentem declarare: patris gloriam, potentiam, maieſtatemq́; recipere, & cum* Deo *æqualem eſſe: ſicut* Apoſtolus Philip. 2. *explicat.* Si *igitur* Chriſtus *ſuo ad patrem diſceſſu, manifeſtauit diuinam maieſtatem, gloriam & omnipotentiam ſuam: quomodo abſtulit præſentiam & diſtributionem corporis & ſanguinis ſui è cœna?* Abitus *è mundo ad patrē, eſt diuinitatis reuelatio:* Ergo *corpus et ſanguis* Chriſti, *uere adſunt in* Eucharistia: *quia* Chriſtus *abijt ad patrē, id eſt, eſt uerus* Deus: Si Deus, *utiq; exhibet quod uerbo ſuo inſtituit.* Hoc *ergo uerbum de abitu ad patrē magis ſtabilit, quàm aufert præſentiā corporis & ſanguinis* Chriſti.

*Exire à patre.*

*In mundū uenire.*

*Relinquere mundū.*

*Ire ad patrem.*

## CC.

## Hoc eſt corpus meum. Mat. 26. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexterā patris omnipotentis. Mar. 16.

*Artis*

Articulo aſcenſionis & ſeßionis Chriſti ad dexteram patris omnipotentis, quoq; abutuntur phrenetici contra Sacramentum cœnæ Domini. Corpus Chriſti inquiunt, ad cœlos aſcendit, & ſedet ad dexteram Dei patris: ergo non eſt in pane &c. Nam unum corpus, non poteſt eſſe uno tempore, in uno loco, & diuerſis locis. Meum corpus non poteſt ſimul & ſemel Romæ et Hieroſolymis eſſe: Ita nec Chriſti corpus ſimul in cœlis & in pane. Quis hic non deploret phanaticorum inſaniam, cæcitatem & errorem? qui de Chriſto nihil ſublimius ſentiunt, quàm de alio quopiam homine: & qui audent ipſam ueritatem mendacij arguere, qua dixit, hoc eſt corpus meum &c. et Paulum uas electum erroris, qui ſcripſit: Panis quem frangimus, nõne eſt cõmunicatio corporis Chriſti? Quaſi articulus aſcẽſionis eijceret corpus dominicũ è cœna, qui potius pani huic corpus, & poculo huic ſanguinem tribuit: & cœnæ reuerentiam ac dignitatem confirmat. Nam articuli iſti Reſurrectionis, Aſcenſionis, & regni Chriſti, doctrinam & uerba Chriſti declarant atq; confirmant. Nam ipſa reſurrectio & aſcenſio Chriſtianis palam declarauit diuinitatem & omnipotentiam ſuam. Rom. 1. Philip. 2. Quod ad dexteram Dei ſedeat æqualem maieſtatem, potentiam, regnumq; poßideat: nihil minor ſit patre: Dextera enim Dei eſt ipſa potentia, regnũ & maieſtas. Pſal. 118. Dextera Domini excelſa, dextera Dñi facit fortitudinem. Pſal. 129. Quo ibo à ſpiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum tu illic

Aſcẽſio doctrinã Chriſtu cõfirmat

es, &

